BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
8 B
22

M

14-22-a-20

Digitized by Google

12-8-D-22

TRIPLEX
PHILOSOPHIA

Rationalis, Naturalis, ac
Prima
Deffinita.

Ad usum fr.is Dominici Salteri

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

TRIPLEX
PHILOSOPHIA
Rationalis, Naturalis, ac Prima Deffinita

In Templo S. Xyxti Placentiæ publicæ cenſuræ expoſita

A D. Laurentio Frigio Ticinenſi Caſin. Congregat. alumno.

Dictante, & aſſiſtente

P. D. ANDREA RAYNERIO Parmenſi, eiuſdem Congregat. Monacho,

In dicto Monaſterio Philoſophiæ, & nunc Sacræ Theologiæ Lectore.

Placentiæ in Camer. Typographia Io. Bazachij.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

TRIPLEX
PHILOSOPHIA
Rationalis, Naturalis, ac Prima Deffinita

In Templo S. Xyxti Placentiæ publicæ cenſuræ expoſita

A D. Laurentio Frigio Tirinenſi Caſin. Congregat. alumno.

Dictante, & aſſiſtente

P. D. ANDREA RAYNERIO

Parmenſi, eiuſdem Congregat. Monacho,

In dicto Monaſterio Philoſophiæ, Sacræ Theologiæ Lectore.

Placentiæ in Camer. Typographia [illegible]
Superiorum permiſſu.

Reuerendiſsimo P. D.

D. HIERONYMO CVPALATÆ

Placentiæ S. Xyxti Abbati, S. Saluatoris apud Ticinum Adminiſtratori accuratiſſimo, & Congregat. Caſinen. Viſitatori,

Humaniſſimo Patri, Domino etiam ſuo Colendiſſimo.

D. LAVRENTIVS FRIGIVS TICINENSIS F. P.

TErtius iam annus effluxit, ex quo infæcundam Arborem tuo in Viridario tolleras Clementiſſime Agricola, Reuerendiſs. Pa-

Pater, *Quodquè probrum ſterilitatis adauget, tuis ſata manibus, tuis exculta laboribus adoleuit, vt tandem ſeduli cultoris deſideria falleret, & eius curas ingrata ſterilitate penſaret; Non eò tamen deceſſi, vt nullos omninò dederim fructus; hoc triennio emerſere nonnulli, ſed radicis tenuitatem ſecum trahentes adeo deſcipuere vt ſterilitati pretium fecerint. Tuliſti patientiſſimè, melioris Autumni ſpe tollerantiam remorante. Eò tandem deuenimus temporis, quòd nullas patitur defferendis fructibus moras; quos per tenuitatem licuit,*

libens

Digitized by Google

*liberis tuis pedibus ſiſto, ad quos pro-
ſolutus decepti toties cultoris reus ve-
niam ſupplex expoſco; Quam adeptum
me fuiſſe crediderim, ſi hos tandem in-
fructuoſæ arboris fructus tuo de more
benignus exceperis. Vale.*

Paternitatis Tuæ Reuerendiſs.

Plac. in Monaſt. S. Xyxti 17.
Kalen. Aprilis Anno 1660.

*Humillimus filius, atq. addi-
ctiſſimus ſeruus*

D. Laurentius Frigius Caſ.

TRIPLEX PHILOSOPHIA
Rationalis, Naturalis, ac Prima Deffinita.

Philoſophia Rationalis.

RATIONALIS Philoſophia, inde dicta, quòd doceat ratiocinari, tres mentis actus ſei ipſis obliquos, rectos facere ſtudens, non immeritò in tres diſtinguitur partes. Prima erit, qua ſimplicem mentis cognitionem conſiderat; Secunda, quà iudicium regit; Tertia, quà diſcurſum confirmat. Tria igitur ſuggerit hæc methodus; primum de vocibus; ſecundum de enunciationibus; tertium de ſyllogiſmo, cuius, cum ſit opinionem, vel ſcientiam parere, aliquid de ſcientia ad extra fari opus eſt.

Quæ omnia præcedet neceſſaria huius Philoſophiæ, illiuſq. obiecti cognitio, quapropter.

Titulus I.

Rationalis Philoſophiæ diuiſio.

PHILOSOPHIÆ huius nomine intelligo habitum quempiam mentis diſcurſiuum, qui aliàs organum, aut inſtrumentum, vel etiam modus ſciendi, proprio nomine, LOGICA, dicitur; Hanc quòniam pluriſariam diuidunt, claritatis ergò, dicò.

1 *Primò, diuidi in Naturalem, & Artificialem.*

Prima, pollent omnes homines, ſiquidem etiamſi rudes ſint, apprehendunt, iudicant, ſyllogizant ſola docente natura; vt quia *Quoties cœlum nubibus obuoluitur imminet pluuia*, concludit rudis intellectus, *Quoties obnubilatur cœlum inſtat imber, hodie nubibus tegitur cœlum, itaque pluuia inſtat*.

Secunda vigent, qui vſu eam didicere per regulas, vt ſi velim concludere de quodam obiecto vniuerſaliter affirmatiuè, iuxtà regulas triplici A indicatas in *Barbara*, ex duabus vniuerſalibus affirmatiuis impoſitam concluſionem infero, ſit ex. ca: *Omnis homo eſt animal, omne rationale eſt homo, igitur omne rationale eſt animal*. Naturali omiſſa, artificialem conſidero.

2. *Secundò diuidi in Docentem, & Vtentem*.

Docet illa Methodum quandam, ac regulas, enunciandi, diuidendi, definiendi, ſyllogizandi: Hæc vtitur, & exercet: Simili quodam modo, quo Pictura mixtionem colorum, lineamentorum ſeriem inſtruit ducere, & Pictura docens dicitur, vel colores miſcet, lineamentaquè ducit, & Vtens eſt.

3. *Tertiò partiri in Mentalem, Vocalem, & Scriptam*.

Dirigit prior mentis motus, poſterior linguæ, calami poſtrema. Primæ poſteriores inſeruiunt, conceptos, confectos, & perfectos mentis motus, proferendo vt audiantur, exarando vt perſeuerent, legantur, vnde cum voces dicimus *Verba*, verba mentis quibus in ſeipſo loquitur; oris quibus extra ſe, ſcriptionis quibus etiam poſt ſe effatur animus: *Verba mentis, Verba oris, Verba ſcriptionis habemus*. Hinc tranſi ad enunciata, & ſyllogizationes.

4. *Abſolutè, aut Actualis eſt, aut Habitualis*.

Actus quoſcumquè dicendi, definiendi, diuidendi, probandi comprehendit prior, facilitatem, ac prompti-

tudinem ad illos quoſcumquè continet poſterior. Simplex nè ſit, an compoſitus habitus, qui fiant actus huiuſce modi, & ſimilia oſtendam alibi.

Titulus II.

Logicæ Natura.

5 IN *eo ſita eſt, quod ſit Habitus quidam mentis.*
Patet, quia ordinatus eſt ad iuuandam, facilitandã, ac dirigendam in ſuis operibus mentem, igitur eius habitus ſit neceſſe eſt; quinam verò ſit ex illis quinquè, quos enumerat Philoſophus non ęgrè reperies ſingulos conſiderans, ſi artem, & ſcientiam excipias.

6 *Non eſt tamen Ars ſimpliciter.*

Quoniam immutat per ſe ars materiam externam, obiectum operatum poſt ſe, & extra ſe relinquit, verùm Logica materiam, ac obiectum internum, mentis videlicèt actus dirigendo, vt inf. conſiderat, atquè interdum merè per accidens materiam externam inſpicit, vt cum in Vocalem, & Scriptam tranſit, igitur ars ſimpliciter non erit.

7 *Nec abſolutè auſim dicere Scientiam.*

Scientia enim ſimpliciter eſt cognitio rei per cauſam non ordinata ad aliud, ſed gratia ſui, vt in ſola rei contemplatione quieſcat, at Logica actus enunciandi &c. dirigit, ideo vt ad alias ſcientias adipiſcendas ordinet.

Quod ſi ſcientiam vſu venire velis pro quacumquè cognitione certa, & euidenti, quæ aut propter ſe, aut propter aliud, aut inſtrumentaliter ſe habeat, aut principaliter,

8 *Non diſplicet Logicam dicere Scientiam.*

Patet ex antecedenti.

9 *Erit itaquè Logica habitus intellectualis, ſcientificus, inſtrumentalis directiuus operationum intellectualium in ordine ad alias ſcientias.*

Eſt enim cognitio certa, & euidens per concluſiones demonſtratiuas acquiſita; ſuas ſiquidem concluſiones demonſtrat de deffinitione, diuiſione &c. quod quidem præſtat, vt in alijs ſcientijs rectà incedat intellectus, ita vt illis defficientibus inutilis ſit Logica, non itaque eſt Logica gratia ſui, ergo inſtrumentalis habitus, ſcientificus, alijs inſeruiens. Poſtremum habebis infra de eius obiecto.

10 *Inferas indè neceſſariam hanc eſſe ad Scientias exactè ſaltem habendas.*

Vt enim ſcias exactè, ſcias opportet te non defficere in hiſce operibus ſcientificis, & quomodo abs Logica ſcies rectè deffinijſſe, diuiſiſſe, enunciaſſe, diſcurriſſe? Anne concluſione ſcientifica gaudes, quin eam, ignota ex ignotis efferendo, adquiras? & vndè rectam habes vim illatiuam niſi ex Logica?

Titulus III.

Logicæ Obiectum.

Obiectum cuiuſpiam Potentiæ, Actus, aut Scientiæ fruſtrà diſquiritur, niſi Obiecti ipſius aliqualis manuducat cognitio.

11 *Ideò primò Obiectum eſt illudcumquè, circa quod fertur Potentia, Scientia, aut Actus.*

Sic obiectum Matheſis eſt quantitas, Viſiuæ eſt color.

12 *Multifariè diuiditur obiectum, videlicèt in Materiale, Formale, Attributum, ſeu Partiale, Attributionis, vel Principale, Adæquatum, aut Totale.*

Mate-

Materiale eſt entitas rei circa quam ſcientia, aut actus occupatur, veluti circa materiam, ita corpus humanum eſt materiale obiectum Medicę (loquor de obiecto materiali proximo) *Formalis* eſt ratio formalis ſub qua obiectum attingit actus, aut potentia; obiectumquè formale dicitur, quia eſt veluti ſpecificatiuum obiecti ad modum formæ, ſic ratio ſanabilis in humano corpore eſt formale obiectum Medicæ.

Attributum, ſeu partiale; quod ita ingreditur obiectum ſcientiæ, vt per ſeipſum eam non adæquet, ſed in ordine ad aliud conſideratur; *Attributionis, vel Principale*, quod per ſe intenditur principaliter, & ad quod cætera omnia, quæ ſcientia perpendit, attribuuntur.

Adæquatum tandem, aut *Totale*, quod potentiæ capacitatem, vel ſcientiam adæquat, omnia comprehendit, quæ in illa tractantur; Ita adæquatum obiectum Phyſicæ quicquid in Phyſica. Hinc ad huius diſcurſus Philoſophiæ obiectum.

13 *Obiectum materiale proximum Logicæ ſunt tres operationes intellectus, remotum res omnes.*

Prima pars probatur: Materia ſeobiectum proximum habes, quum accipis id, circa quod verſatur immediatè ſcientia de qua agis; cum ergò nihil proximius habeas circa quod Logica, quàm intellectus operationes, obiectum materiale proximum habes in illis; quicquid enim ſe ſe offert in Logica ad eas ordinatur, illaſquè ſupponit.

Confirmatur: Proximè obijcitur id ſcientiæ, cui immediatè applicantur deffinitiones, quas ea conficit, at immediatè eis operationibus applicantur deffinitiones, quas conſtruit Logica; vt in conceptu Deffinitionis, Enunciationis, & Syllogiſmi; ergo.

14 *Formale eſt earum operationum dirigibilitas.*

Patet, quia eam rationem formalem habet pro obie-

TRIPLEX PHILOSOPHIA

Rationalis, Naturalis, ac Prima Deffinita

In Templo S. Xyxti Placentiæ publicæ cenſuræ expoſita

A D. Laurentio Ercolo Tririenſi Caſin. Congregat. alumno.

Diſtante, & aſſiſtente

P. D. ANDREA RAYNERIO Parmenſi, eiuſdem Congregat. Monacho,

In dicto Monaſterio Philoſophiæ, Sacræ Theologiæ Lectore.

Placentiæ in Camer. Typographia I. Bazachij, ſuperiorum permiſſu.

Reuerendiſsimo P. D.

D. HIERONYMO CVPALATÆ

Placentiæ S. Xyxti Abbati, S. Saluatoris apud Ticinum Adminiſtratori accuratiſſimo, & Congregat. Caſinen. Viſitatori, Humaniſſimo Patri, Domino etiam ſuo Colendiſſimo.

D. LAVRENTIVS FRIGIVS TICINENSIS F. P.

TErtius iam annus effluxit, ex quo infœcundam Arborem tuo in Viridario tolleras Clementiſſime Agricola, Reuerendiſs.

Pa-

Digitized by Google

Pater, *Quodquè probrum ſterilitatis adauget, tuis ſata manibus, tuis exculta laboribus adoleuit, vt tandem ſeduli cultoris deſideria falleret, & eius curas ingrata ſterilitate penſaret; Non eò tamen deceſſi, vt nullos omninò dederim fructus; hoc triennio emerſere nonnulli, ſed radicis tenuitatem ſecum trahentes adeo deſcipuere vt ſterilitati pretium fecerint. Tuliſti patientiſſimè, melioris Autumni ſpe tollerantiam remorante. Eò tandem deuenimus temporis, quòd nullas patitur defferendis fructibus moras; quos per tenuitatem licuit,*

libens

libens tuis pedibus ſiſto, ad quos pro-
uolutus decepti toties cultoris reus ve-
niam ſupplex expoſco; Quam adeptum
me fuiſſe crediderim, ſi hos tandem in-
fructuoſæ arboris fructus tuo de more
benignus exceperis. Vale.

Paternitatis Tuæ Reuerendiſs.

Plac. in Monaſt. S. Xyxti 17.
Kalen. Aprilis Anno 1660.

Humillimus filius, atq. addi-
ctiſſimus ſeruus

D. Laurentius Frigius Caſ.

Digitized by Google

TRIPLEX PHILOSOPHIA

Rationalis, Naturalis, ac Prima Deffinita.

Philoſophia Rationalis.

RATIONALIS Philoſophia, inde dicta, quòd doceat ratiocinari, tres mentis actus ſe ipſis obliquos, rectos facere ſtudens, non immeritò in tres diſtinguitur partes. Prima erit, qua ſimplicem mentis cognitionem conſiderat; Secunda, qua iudicium regit; Tertia, qua diſcurſum confirmat. Tria igitur ſuggerit hæc methodus; primum de vocibus; ſecundum de enunciationibus; tertium de ſyllogiſmo, cuius, cum ſit opinionem, vel ſcientiam parere, aliquid de ſcientia ad extra fari opus eſt.

Quæ omnia præcedet neceſſaria huius Philoſophiæ, illiuſq. obiecti cognitio, quapropter.

Titulus I.

Rationalis Philoſophiæ diuiſio.

PHILOSOPHIÆ huius nomine intelligo habitum quempiam mentis diſcurſiuum, qui aliàs organum, aut inſtrumentum, vel etiam modus ſciendi, proprio nomine, LOGICA, dicitur; Hanc quoniam plurifariam diuidunt, claritatis ergò, dicò.

1 *Primò, diuidi in Naturalem, & Artificialem.*

Prima, pollent omnes homines, ſiquidem etiamſi rudes ſint, apprehendunt, iudicant, ſyllogizant ſola docente natura; vt quia *Quoties cælum nubibus obuoluitur imminet pluuia*, concludit rudis intellectus, *Quoties obnubilatur cælum inſtat imber, hodie nubibus tegitur cælum, itaque pluuia inſtat*.

Secunda vigent, qui vſu eam didicere per regulas, vt ſi velim concludere de quodam obiecto vniuerſaliter affirmatiuè, iuxtà regulas triplici A indicatas in *Barbara*, ex duabus vniuerſalibus affirmatiuis impoſitam concluſionem infero, ſit ex. ca. *Omnis homo eſt animal, omne rationale eſt homo, igitur omne rationale eſt animal*. Naturali omiſſa, artificialem conſidero.

2 *Secundò diuidi in Docentem, & Vtentem*.

Docet illa Methodum quandam, ac regulas, enunciandi, diuidendi, definiendi, ſyllogizandi: Hæc vtitur, & exercet: Simili quodam modo, quo Pictura mixtionem colorum, lineamentorum ſeriem inſtruit ducere, & Pictura docens dicitur, vel colores miſcet, lineamentaquè ducit, & Vtens eſt.

3 *Tertiò partiri in Mentalem, Vocalem, & Scriptam*.

Dirigit prior mentis motus, poſterior linguæ, calami poſtrema. Primæ poſteriores inſeruiunt, conceptos, confectos, & perfectos mentis motus, proferendo vt audiantur, exarando vt perſeuerent, legantur, vnde cum voces dicimus *Verba*, verba mentis quibus in ſeipſo loquitur; oris quibus extra ſe, ſcriptionis quibus etiam poſt ſe effatur animus: *Verba mentis, Verba oris, Verba ſcriptionis habemus*. Hinc tranſi ad enunciata, & ſyllogizationes.

4 *Abſolutè, aut Actualis eſt, aut Habitualis*.

Actus quoſcumquè dicendi, definiendi, diuidendi, probandi comprehendit prior, facilitatem, ac prompti-

tudi-

tudinem ad illos quoſcumquè continet poſterior. Simplex nè ſit, an compoſitus habitus; quì fiant actus huiuſce modi, & ſimilia oſtendam alibi.

Titulus II.

Logicæ Natura.

5 *IN eo ſita eſt, quod ſit Habitus quidam mentis.*

Patet, quia ordinatus eſt ad iuuandam, facilitandã, ac dirigendam in ſuis operibus mentem, igitur eius habitus ſit neceſſe eſt; quinam verò ſit ex illis quinquè, quos enumerat Philoſophus non ęgrè reperies ſingulos conſiderans, ſi artem, & ſcientiam excipias.

6 *Non eſt tamen Ars ſimpliciter.*

Quoniam immutat per ſe ars materiam externam, obiectum operatum poſt ſe, & extra ſe relinquit, verùm Logica materiam, ac obiectum internum, mentis videlicèt actus dirigendo, vt inf. conſiderat, atquè interdum merè per accidens materiam externam inſpicit, vt cum in Vocalem, & Scriptam tranſit, igitur ars ſimpliciter non erit.

7 *Nec abſolutè auſim dicere Scientiam.*

Scientia enim ſimpliciter eſt cognitio rei per cauſam non ordinata ad aliud, ſed gratia ſui, vt in ſola rei contemplatione quieſcat, at Logica actus enunciandi &c. dirigit, ideo vt ad alias ſcientias adipiſcendas ordinet.

Quod ſi ſcientiam vſu venire velis pro quacumquè cognitione certa, & euidenti, quæ aut propter ſe, aut propter aliud, aut inſtrumentaliter ſe habeat, aut principaliter,

8 *Non diſplicet Logicam dicere Scientiam;*

Patet ex antecedenti.

9 *Erit itaquè Logica habitus intellectualis, ſcientiſicus, inſtrumentalis directiuus operationum intellectualium in ordine ad alias ſcientias.*

Eſt enim cognitio certa, & euidens per concluſiones demonſtratiuas acquiſita; ſuas ſiquidem concluſiones demonſtrat de deffinitione, diuiſione &c. quod quidem præſtat, vt in alijs ſcientijs rectà incedat intellectus, ita vt illis deffic ientibus inutilis ſit Logica, non itaque eſt Logica gratia ſui, ergo inſtrumentalis habitus, ſcientificus, alijs inſeruiens: Poſtremum habebis infra de eius obiecto.

10 *Inferas indè neceſſariam hanc eſſe ad Scientias exactè ſaltem habendas.*

Vt enim ſcias exactè, ſcias opportet te non defficere in hiſce operibus ſcientificis, & quomodo abs Logica ſcies rectè deffiniſſe, diuiſiſſe, enunciaſſe, diſcurriſſe? Anne concluſione ſcientifica gaudes, quin eam, ignota ex ignotis efferendo, adquiras? & vndè rectam habes vim illatiuam niſi ex Logica?

Titulus III.

Logicæ Obiectum.

Obiectum cuiuſpiam Potentiæ, Actus, aut Scientiæ fruſtrà diſquiritur, niſi Obiecti ipſius aliqualis manuducat cognitio.

11 *Ideò primò Obiectum eſt illudcumquè, circa quod fertur Potentia, Scientia, aut Actus.*

Sic obiectum Matheſis eſt quantitas, Viſiuæ eſt color.

12 *Multifariè diuiditur obiectum, videlicèt in Materiale, Formale, Attributum, ſeu Partiale, Attributionis, vel Principale, Adæquatum, aut Totale.*

Mate-

Materiale eſt entitas rei circa quam ſcientia, aut actus occupatur, veluti circa materiam, ita corpus humanum eſt materiale obiectum Medicę (loquor de obiecto materiali proximo) *Formalis* eſt ratio formalis ſub qua obiectum attingit actus, aut potentia; obiectumquè formale dicitur, quia eſt veluti ſpecificatiuum obiecti ad modum formæ, ſic ratio ſanabilis in humano corpore eſt formale obiectum Medicæ.

Attributum, ſeu partiale, quod ita ingreditur obiectum ſcientiæ, vt per ſeipſum eam non adæquet, ſed in ordine ad aliud conſideratur; *Attributionis, vel Principale*, quod per ſe intenditur principaliter, & ad quod cætera omnia, quæ ſcientia perpendit, attribuuntur.

Adæquatum tandem, aut *Totale*, quod potentiæ capacitatem, vel ſcientiam adæquat, omnia comprehendit, quæ in illa tractantur. Ità adæquatum obiectum Phyſicæ quicquid in Phyſica. Hinc ad huius diſcurſiue Philoſophiæ obiectum.

13 *Obiectum materiale proximum Logicæ ſunt tres operationes intellectus, remotum res omnes.*

Prima pars probatur: Materiale obiectum proximum habes, quum accipis id, circa quod verſatur immediatè ſcientia de qua agis, cum ergò nihil proximius habeas circa quod Logica, quàm intellectus operationes, obiectum materiale proximum habes in illis, quicquid enim ſe ſe offert in Logica ad eas ordinatur, illaſquè ſupponit.

Confirmatur: Proximè obijcitur id ſcientiæ, cui immediatè applicantur deffinitiones, quas ea conficit, at immediatè eis operationibus applicantur deffinitiones, quas conſtruit Logica, vt in conceptu Deffinitionis, Enunciationis, & Syllogiſmi; ergo.

14 *Formale eſt earum operationum dirigibilitas.*

Patet, quia eam rationem formalem habet pro obiecto

ĉto Logica, quam immediatè reſpicit forma à Logica intenta, hæc eſt rectitudo earum operationum, ergo ea erit dirigibilitas; mai. habes in omnibus alijs ſcientijs, min. oſtendo; hoc vnum per ſe intendit Logica ſcilicet rectitudinem inducere in actus intellectus, vt patet ex 9. Concluſione.

Item; certū eſt verſari Logicam circa eas immediatè, non vt directiuas, ergo vt dirigibiles, ant. probo, priùs eſt rem in ſe dirigibilem eſſe, quàm rectam, rectamquè, quàm directiuam, vt vides in Norma, & Idea, immò prius eſt, quod in ſe res eſt, quàm quod eſt ad aliud, ergo prius eſt dirigibiles eſſe, & dirigi à Logica operationes intellectus, quàm eis vtatur Logica ad alias ſcientias, ergo eas non reſpicit vt directiuas, ſed vt dirigibiles.

15 *Adæquatum Logicæ Obiectum ſunt ea omnia, quæ per ſe ſaltem tractantur in Logica.*

Patet ex duodecima.

16 *Attributionis obiectum eſt Tertia operatio, ſeu diſcurſus, aut etiam, vt volunt alij, eſt Syllogiſmus tum Topicus, tum Demonſtratiuus.*

Infertur ex dictis; omnia enim ordinantur intrinſecè à Logica ad diſcurſum, ſeu ad Syllogiſmum ſiuè probabilem, ſiuè ſcientificum.

17 *Reliqua erunt obiecta attributa.*

Eſt certa; quia cætera omnia, quæ pertractat Logica, attinent ad diſcurſum ſiuè vt partes, ſiuè vt paſſiones, aut ſubſidiaria ſimili ratione.

18 *Voces non ableganero ab huius Philoſophiæ obiecto, etiam proximo, ſi de Vocali ſit agendum.*

Facilè prob. Non niſi vocali inſeruiunt ad exprimendos mentales actus alteri incommunicatos; Surdus ſiquidem, & Mutus à natiuitate, diuidit, deffinit, componit, infert abſquè vocibus.

PRI-

PRIMA PARS LOGICÆ.

Titulus I.

Signum.

PRimæ Operationis gratia ago de Vocibus; hiſque præmitto ſignum, quoniam earum, quæ ſunt in anima paſſionum notæ ſunt Voces.

19 *Signum vniuerſaliter dixerim illud, quod præter ſui cognitionem, alterius quoquè cognitionem inducit.*

Sic Cæſaris Imago illius eſt ſignum, quoniam præter ſui cognitionem, Cæſarem quoquè facit cognoſcere, ita vt imaginem Cæſaris repręſentatiuam non cognoſcas, quin & Cæſarem repręſentatum.

20 *Sequitur hinc primò quatuor complere veritatem ſigni; Primò, rem ſignificatam; Secundò, cui ſignificatur; Tertiò, intendentem ſignificare; Quartò, connexionem ſigni, aut naturalis, aut ex inſtitutione cum re, quam ſignificat.*

Vndè primò, Voces inarticulatæ, aut non impoſitæ ad aliquid ſignificandum; Secũdò, Articulatæ, ac ſignificatiuæ lapidi tamen, aut ſurdo prolatæ; Tertiò, Voces, quas efformat Pſytacus; Quartò, Vox affirmatiua pro negatione emiſſa, à veritate ſigni aberrant.

21 *Sequitur ſecundò, vulgata partitio ſigni in Naturale, & ad Placitum.*

Si enim res cognita connexionem, aut relationem habeat naturalem cum re, quam indicat, ex vi naturali ſuæ cognitionis, cognitionem rei indicatæ parit, ergo à natura habebit taliter ſignificare; erit ergò naturale ſignum. Rem dilucidet exemplum; Quia, ex vi natu-

ralis relationis, quam dicit ſpecies ad obiectum, quod repręſentat, præter ſui cognitionem, obiecti quoquè repręſentati cognitionem inducit, erit ſignum naturale.

Quòd ſi connexionem habeat cum re indicata ex inſtituto, non naturale, ſed liberum erit ſignum; liberum quidem non in ſe, ſed in inſtitutore; patet ex antecedenti; ſit pro exemplo; viſus lauri ramus domo appenſus eſt Viatori pro libero ſigno hoſpitij.

22 *Sequitur tertiò, non rectè ab aliquibus deffiniri ſignum; id in quo cognito, cognoſcitur aliud.*

Quià ſignum precisè nimis vſurpant: Formale ſignum, non ſignum vniuerſaliter deffiniunt; Si enim in ipſo cognito, cognoſcere debeam aliud, neceſsè erit quòd in ſe formaliter illud repręſentet, ergo quòd ſit formale ſignum alterius: Addo, quòd aliàs fumus non eſſet verum ignis ſignum, quia in fumo cognito non cognoſco ignem.

23 *Igitur formale ſignum erit, id in quo cognito cognoſcitur aliud, vel etiam clariùs, quod potentiam reddit formaliter cognoſcentem aliud.*

Eſt clara; vel enim erit id, quod formaliter aliud repręſentat, & in ipſo cognito aliud cognouero; vel quod ſit forma aliud repręſentans, qua poſita in potentia fiam formaliter cognoſcens aliud, atquè vtroquè modo erit formale ſignum.

24 *Supereſt ſignum inſtrumentale; eſtquè illud quodcumquè, quod menti inſeruiat ad alterius cognitionem habendam propter aliquam connexionem, quam cum illo habeat.*

Per hoc benè explicatur ſignum inſtrumentale, & contradiſtinguitur à formali.

Titulus II.

Voces.

VOces hic conſidero, & prout inſeruiunt Logicæ Vocali, & prout ſupponuntur pro re incomplexa, hoc eſt præcisè ab affirmatione, & negatione, quomodo ſimplici cognitioni inſeruiunt.

25 *Eſt Vox ſonus animalis factus ab anima cum imaginatione quicquam ſignificandi.*

Vndè ſonus tubi in Organo Muſico, vox à Pſytaco articulata, & ſimilia ſoni rectè dicuntur, non voces, quæ imaginationem ſignificandi aliquid neceſſariò ſupponunt. De articulatis, & ſignificantibus intelligas, earumquè ſignificatione, non quà articulatæ ſunt, & ſuum prolatorem, ac principium, humanum ſcilicèt animal indicant, ſed quà articulatæ, & obiectum, ſeu hanc rem magis, quàm alteram ſignificant.

26 *Quo in ſenſu ad placitum ſignificant, non quidem omnium, ſed Sapientum.*

Conuincitur; quia ſicut quà articulatæ ſimpliciter apud omnes ſuum prolatorem rationale animal eſſe indicant, atqui adeò naturaliter dicuntur ſignificare, ita apud omnes idem obiectum inducerent ſi naturaliter hoc, non aliud ſignificarent. Inſuper; ex tot tantiſq. gentium linguis, quamnè natura compoſuit? Significant igitur voces ex libera hominum impoſitione, & quidem ſapientum;

Quoniam, vt rectiùs indicent voces rem obiectam conuenientiam aliquam cum eâ habeant neceſſe eſt, hancquè ſcrutari quis poterit enucleatiùs ſapiente? Huius ergò inſtituto ſignificant.

27 *Voces binam vim ſignificandi habent, alteram ad res ipſas, ſeu conceptus obiectiuos, alteram ad cognitionem rerum, ſeu conceptus formales; immediatè tamen, & primariò res exprimunt, ſecundò conceptus formales.*

Conſtat dicta vis ſignificatiua ex eo, quod ſemper fiat vox ab animali cum imaginatione aliquid ſignificandi, ſi verè vox eſt; at non poteſt vocis emiſſionem moliri animal cum hacce imaginatione, niſi rem ſignificandam conceperit; ergò.

Conſtat etiam vis immediata ex eo, quod immediatè percipitur ab audiente loquentem, at audiens immediatè res percipit, non cognitionem; dum enim audis me dicentem *Voces ſignificant res*, percipis voces ipſas ſignificantes, quæ ſunt res ſignificatæ, non quod ego concipiam voces ſignificantes res ipſas immediatè; & ſi non mihi, Pſytaco credas, quem ſi audias loquentem res ſignificatas intelligis, non eius conceptus, quos ſanè nullos habet; & Pſytaco concedas immediatè ſignificari res à vocibus.

Adde, quòd aliàs quæcumquè vox æquiuoca euaderet, non ſecus, ac vox *Canis*, non enim potiùs caperes, vtrum dum dico, *Homo*, mentalem, quàm realem hominem; quàm cæleſtem, aut terreſtrem canem, dum dico, *Canis*.

Dices. Voces earum, quæ in animo ſunt cognitionum notas eſſe.

Mediatè quidem, & ſecũdariò, quia non niſi arguitiuè habes loquentem ex. gr. de Bello conceptum quempiam Belli formaſſe; Vnde cõſtat ſecunda vis ſignificatiua Vocum. Quã non parum dilucidat eas ſex vocum paſſiones percallere, *Suppoſitionem*, nēpè *Ampliationem, Reſtrictionem, Alienationem, Diminutionem, & Appellationem*.

Prima, *vſus paſſiuus eſt vocis pro aliquo Significando*, quod quàm variè fiat cõſule Sũmuliſtas breuitatis ergò.

Secun-

Secunda, *eſt vocis extenſio à minori ad maiorem ſuppoſitionem*, vtì ſi vocem *omnis* à limitata ſuppoſitione in hoc enunciato, *omnis homo currit*, ad illimitatam ferè in alio, *omnis homo eſt mortalis*, diſtraham.

Tertia, huic oppoſita *eſt vocis coarctatio à maiori ad minorem ſuppoſitionem*, vt in his propoſitionibus, *omnis equus eſt velox*; *omnis equus niger eſt velox*.

Quarta, *eſt translatio vocis à propria ad indebitam ſuppoſitionem*, vt cum ſupponitur *Vulpis pro Herode*, *Canis pro Diogene*.

Quinta, *eſt detractio à vocis ſignificatione per additionem alicuius termini, vel ſigni*; vt ſi dicas *Ethiops eſt albus ſecundum dentes*.

Vltima deniquè, eſt *applicatio ſignificati formalis vnius vocis formali alterius, vt, Alexander Magnus eſt Philoſophus, Alexander eſt Magnus Philoſophus*.

Titulus III.

Verbum, & Nomen.

Ex affluenti Vocum penu Verbum, & Nomen occurrit primò.

28 *Deffinitur illud, & benè, vox ſignificatiua ad placitum cum tempore, cuius nulla pars ſeparata eſt ſignificatiua, finita, & recta, eſtquè eorum, quæ de altero prædicantur, nota.*

Cum tempore, hoc eſt cum aliqua differentia temporis præſentis, aut præteriti, aut futuri; *cuius nulla pars ſeparata*, idem ſignificat, quod coniuncta; *finita, & recta* excludit tempora obliqua, & infinita, vt amare, amarem; Eſtquè Verbum copula in enunciatione coniungens prædicatum cum ſubiecto, & per affirmationem,

tionem, aut negationem indicat inſit nè, vel non inſit prædicatum ſubiecto.

Verbum, quod præſertim inſeruit Logico eſt ſubſtantiuum, quod vel ingreditur enunciationem ſecundi adiacentis, & tunc extra litem habet rationem prædicati, adiectiuè enim ſupponitur, vt ſi dicam *Petrus eſt*, quod reſolutum idem eſt, ac *Petrus eſt exiſtens*, vel tertij adiacentis ſiue in materia neceſſaria, ſiue in contingenti, & dubitas modò, vt ſi dicam *Petrus eſt animal*. Sed verè;

29 *In propoſitione tertij adiacentis Verbum ſubſtantiuum vim prædicati non habet.*

Si enim conſtituam hunc ſyllogiſmum in *Barbara*, *omne viuens eſt animal, omnis homo eſt viuens, ergò omnis homo eſt animal*, nihil concludo, quoniam variatur medius terminus, qui in mai. eſt *viuens*, in min. eſt *ly eſt*, *& viuens*, quod à pari conuincit in omnibus. Non ſic Verba adiectiua, cùm ex natura ſua habeant ſemper addere prædicatum ſubiecto, ſunt etenim Verbum ſubſtantiuum cum actione aliqua, vel paſſione coniunctum, quæ ſignificatum verbi ſubſtantiui ſupponunt, vt ſi dixeris, *Petrus ſcribit lectionem*, quod idem eſt, ac *Petrus eſt ſcribens lectionem*.

30 *Deffinitur Nomen vox ſignificatiua ad placitum ſine tempore, cuius nulla pars ſeparata eſt ſignificatiua finita, & recta.*

Explicata remanet ex deffinitione Verbi.

Titu-

Titulus IV.

Æquiuoca, Vniuoca, Analoga, Denominatiua, Complexa, & Incomplexa.

OCcurrunt ſecundo voces Æquiuocæ, Vniuocæ, Analogæ, Denominatiuæ, Complexæ, & Incomplexæ.

31 *Traduntur Aequiuocæ per hoc, quod ſint ea, quorum nomen commune, & ſecundum nomen ſubſtantiæ ratio diuerſa.*

Nomen, materialiter ſupponit, videlicet pro materia, ex qua componitur, vt pro literis, ſyllabis, accentibus &c. & vniuerſaliter per ampliationem pro quacumquè voce, etiam pro verbo: *Subſtantiæ ratio*, hoc eſt eſſentia, & entitas rei ſiue ſubſtantialis, ſiue accidentalis: *diuerſa*, ità vt diuerſis omninò conceptibus deffinitiuis ſubdatur, vt in hac voce *Taurus*, pro Boue, Ceraunio, Carduеli, Scarabæo, Signo cæleſti, Berythio &c. cum hoc, quod vox *æquiuocum æquiuocans*, res *æquiuocatum* dicitur.

32 *Analoga per hoc, quod ſint ea, quorum nomen commune, & ſubſtantiæ ratio partim eadem, partim diuerſa.*

Conſtat ex antecedenti. Quòd ſi plura ſub communi nomine concurrentia ſubſtantiæ rationem partim eandem habeant, partim diuerſam per ordinem ad quid tertium; ſeu ad aliquod principale *Analoga attributa* dicuntur; ſin autem, ſed ſolum propter aliquam ſimilitudinem inter ſe abſq. ordine ad aliud *Analoga proportionis* appellantur. Priora cernuntur in hac voce *Sanum* de pharmaco, pulſu, colore, &c. per reſpicientiam ad ſanitatem animalis. Cætera in Corde ad arterias, Epate ad venas, Cerebro ad neruos &c. 33 *Ana-*

Digitized by Google

33 *Analogia attributionis in analogatis minùs principalibus non eſt mera denominatiò extrinſeca deriuata à principali analogato tanquàm à forma cæteris extrinſeca, ſed eſt fundata in aliqua intrinſeca perfectione per quam hæc reſpiciant principale Analogatum.*

Probo explicando. Pharmacum ſanum dicis, quòd eſt potens cauſare ſanitatem, colorem ſanum, quòd poteſt ſanitatem animalis indicare &c. hæc non ſunt meræ denominationes extrinſecæ à ſanitate animalis; & prob. Pharmacum poſſe cauſare ſanitatem, eſt poſſe reddere debitum temperamentum qualitatum in animali cõtrario agente deprauatum, & colorem eſſe eius indicium, eſt indicare dictum temperamentum; illud eſt in pharmaco, quia intrinſecè componitur ex rebus potentibus contrarium temperamento animalis deſtruere, ac neceſſariam qualitatem deperditam in priſtinum reuocare; hoc in colore (& certiùs) ex eo, quod eſt color qualitas ſecunda à primarum recta temperie exorta (ſi color eſt quid reale) igitur vtrumquè intrinſecum.

34 *Analogia proportionis conſiſtit in ratione quadam proportionaliter eadẽ inter plura, quæ ſi realis ſit, Proportionis propriæ Analogiam conſtituit; ſi metaphorica, impropriæ: Et rurſus, ſi ſit duarũ Magnitudinum, vt cũ Euclide loquar, eiuſdem generis ſecundùm quantitatem mutua habitudo, eſt proportio rerum; ſi verò ſit duarum proportionum ſecundum eandem rationem mutua habitudo, Proportio proportionis eſt.*

Primam habes in Corde, & Fonte; Secundam, in Riſu ad hominem, ad prata, vel flores, vel cælum; Tertiam, in numero Binario, qui duplam proportionem habet ad quaternarium; Quartam, in Binario ad quaternarium, & in hoc ad octonarium; Sicut enim ſe habet 2 ad 4, ità 4 ad 8.

Vndè

Vndè habes etiam explicari nō poſſe proportionem, minus quàm per quattuor terminos, ſiſtit enim in duabus proportionibus, ſeu relationibus, quarum ſingula neceſſariò duos refert terminos.

35 *Non ita tamen ſub communi nomine conueniunt Analoga attributionis, quòd conceptum communem contrahant.*

Deducitur quia, vbi eſt conceptus communis pluribus fundatur in perfectione aliqua illis pluribus intrinſeca, & communi, vt in homine equo, leone penes animalitatem, verùm ratio denominans pharmacum ſanum eſt vis effectiua, denominans colorem eſt vis indicatiua ſanitatis, illa à priori, hæc à poſteriori, igitur non eſt quid commune, ergo nec communem conceptum fundare poteſt; Niſi fortaſſis quatenus abſtraho ſubordinationem ad primum analogatum, ſed hoc ipſum eſt eſſe analoga ſub vno nomine contenta.

36 *Non ſic analoga proportionis propriæ.*

Conueniunt enim ſub vna ratione proportionaliter ſaltem eadem per idem nomen ſignificata, vt patet ex diſcurſu mox facto.

37 *Vniuoca per hoc quod ſint ea, quorum nomen commune ſubſtantiæ ratio eadem.*

Nomen commune ſtat loco generis, per quod conueniunt cum Æquiuocis, & Analogis: *Subſtantiæ ratio eadem* loco differentiæ, per quam diſcrepant Vniuoca à prædictis; Quòd ſi ſubſtantiæ rationem à pluribus inferioribus æquè contractam intelligas; *Vniuoca participata* dicas, vt animalitatem à leone, æquo, homine: ſi inferiora contrahentia; vt hominem, leonem; *Participantia* appelles.

Et hoc fine, tùm in natura ſubſtantiali, vt in dato exemplo, tùm in accidentali, vt in albedine ad lac, niuem, ſaccarum; differuntquè in nomine, quod priora

Eſſen-

Eſſentialia dicenda ſunt, poſteriora *Accidentalia*. Dic proportionaliter etiam de ſubſtantia, ſed contingenter inexiſtente alteri.

38 *Denominatiua ea, quæcumquè differentia caſu ſecundùm nomen habent appellationem.*

Hoc eſt: ea dicuntur, quæ ſumunt ſuam appellationem ab aliqua forma, à qua differant in ſola terminatione, vt à *fortitudine fortis*. Vnde tres emergunt conditiones: Prima, vt denominationem ſumant à forma inexiſtente, cuius deffectu *Alexandria* non eſt denominatiua ab *Alexandro*, niſi grammaticaliter; Secunda, quod differant in terminatione vocis, propter quod *Muſica* pro cantatrice, & pro arte canendi denominatiua non eſt, ſed æquiuoca; Tertia, vt commune nomen habeant deſinentia excepta, & ex hoc *ſtrenuus* à *fortitudine* denominatiua non eſt ſaltem ſecundùm nomen, licèt forſan ſecundùm rem, ſi trifariam Denominatiuorum illam diuiſionem admittas, quorum aliqua dicuntur talia, *ſecundùm rem, non ſecundùm nomen*, vt dictum; alia *ſecundùm nomen, non ſecundùm rem, vt à ſtudio ſtudioſus*; alia *ſecundùm nomen, & ſecundùm rem, vt à iuſtitia iuſtus*; quod æquè valet, ſi à forma extrinſeca, ac ſi à forma intrinſeca, tàm ab eſſentiali, quàm ab accidentali, vt *à viſione columna viſa, ab albedine album.*

Tria conſtat inde eſſe in denominatiuis, *Denominans*, & eſt forma; *Denominatum*, & eſt ſubiectum, *Denominatiuum*, & eſt concretum reſultans; quòd ſi ſit à forma ſubſtantiali, vel eſſentiali *Subſtantiuum*, ſi ab accidentali *Adiacens*, ſeu connotatiuum dicitur.

39 *Incomplexa eæ voces ſunt, quæ abſolutè poſitæ aliquid ſignificant, vt homo; Complexæ, quæ ſignificant adiunctæ alteri; Quod aut verbaliter fit, vt Petrus ſcribit, aut nominaliter, vt homo iuſtus.*

Et hoc quidem, quia ſi aliqua dicantur de alijs, cum

aliqua

aliqua compoſitione, vt *Petrus eſt homo Iuſtus* prædicata complexa dicuntur, ſi autem abſque complexione, vt *Petrus eſt homo* incomplexa: quocumquè modo fiat ex quattuor modis in dici de alio à Philoſopho traditis.

Ex his incipiunt innoteſcere voces, quæ tertiò occurrunt, videlicet primæ, & ſecundæ intentionis. Priores illæ ſunt, quæ rebus imponuntur ad eas indicandas, vt in ſe ſunt à parte rei, vt *Homo*, poſteriores, vt res ſignificent pro vt intellectui, vel cuiquam potentiæ cognoſcitiuæ obijciuntur, vt *Paries eſt viſus*.

Titulus V.

Prædicamenta.

Res ſicuti ſunt in ſe in decem veluti capita diuiduntur communiter cum Philoſopho, ad quæ cætera reducuntur; & decem *Prædicamenta* dicuntur: Suntq; *Subſtantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Paſſio, Locus, Situs, Habitus, Tempus*, vocibus primæ intentionis comprehenſa.

40 *Eſt Prædicamentum Generis alicuius ſummi, & eorum, quæ ſub ipſo ſunt ſpecierum, & indiuiduorum naturalis diſpoſitio.*

Hoc eſt. Prædicamentum eſt naturalis coordinatio generum, ſpecierum, & indiuiduorum ſecundùm ſuperius, & inferius, ſeu prædicationem, & ſubicibilitatem; Et eſt naturalis diſpoſitio, quia fundata eſt in rerum naturis, ità vt in conſtituenda ſerie deſcendendo ſeruetur ordo generationis, aſcendendo perfectionis; vndè eſt, quod nihil eorum, quæ ponuntur in prædicamentali ſerie æquè latè pateat, ac aliud, nec dicantur ad conuertentiam, ſed ſuperius prædicatur abſolutè de

ſuo inferiori, immò quidquid dicitur de ſuperiori dicitur de omni ſub illo contento; & ſi ſecus, inutilis eſt series conſtituta. Dicta meditare in ſerie prædicamentali ſubſtantiæ, quam ſubſcribo. *Subſtantia, Corpus, Mixtum, Viuens, Animal, Homo, Plato*; vbi quia continet *Plato*, quidquid *homo*, *homo* quidquid *animal*, & cæt. ſi à Platone, hoc eſt ab inferiori incipias ordinem perfectionis ſeruas, & quoniam in priori ſigno gignitur Plato vt ſubſtantia, in ſecundo vt corpus, & cæt. ſi à ſubſtantia dirigas ſeriem ordinem tenes generationis.

Hic clarè cernis rem poni in prædicamento eſſe illius diſpoſitionem in ea ſerie, quam petit illius natura; ſi eſt ſubſtantia, & ſpecifica in primo Prædicamento diſponatur infra genera, vt vides in ly *homo*: ſic de alijs.

41 *Tripliciter porrò ordinabilis eſt res in ſerie prædicamentali, aut directè, aut reductiuè, aut à latere.*

1 Directè ordinantur in prædicamento ſummum genus, ſpecies eiuſdem, & harum indiuidua. A latere diſponuntur differentiæ generum diuiſinæ, & ſpecierum conſtitutiuæ. Reductiuè tandem ea, quæ aliquo modo ad illa ſpectant, quæ directè lineam prædicamentalem conſtituunt, aut quia ſint partes, aut quia ſint principia. Genera, Species, &c. habebis inf.

Nec ponuntur directè in prædicamento primò, niſi entia realia, & poſitiua; Secundò, niſi vniuoca, & incomplexa; Tertiò, entia per ſe; Quartò, entia finita ſaltem in eſſentia. Cum enim conſtituatur diuiſio Prædicamentalis ad tollendam confuſionem à cognitione rerum, neceſſe fuit ea ſolùm in recta ſerie diſponi, quæ diſtinctam parere poſſint cognitionem.

42 *Hinc excluduntur; Primò, entia rationis, & Negatina, ea ſi dantur, hæc ſi contradiſtinguantur ab omni ente poſitiuo; Secundò, æquiuoca, analoga, & complexa; Tertiò,*

tiò, aggregata per accidens; Quartò, deniquè Deus.

Patet de ſingulis, quia non niſi certam parturiunt confuſionem in cognitione finita.

Vrget prȩterea ratio de ente illimitatæ eſſentiæ: Siuȩ enim dicatur conſtitui in Prȩdicamento vt indiuiduum, ſiue vt ſpecies, ſiue vt genus Deo addi poſſet intrinſecą perfectio, atqui diceret aliquam potentialitatem; vt genus enim contrahi poſſet à differentia ſpecifica, vt ſpecies ab indiuiduali, vt indiuiduum ab infima, implicat autem infinito in eſſentia potentialitas.

Accedit, quòd in Deo inordinabilis eſt ſeries naturalis prædicatorum ſub aliquo ſummo genere contenta; hæc namquè dicit diuiſibilitatem in plures ſpecies, ſi generica eſt; vel in plura indiuidua; ſi ſpecifica, quam partibilitatem diuinæ ſimplicitati repugnare quis non videat? Hæc de vocibus primæ Intentionis in communi: ſingula determinatè deffiniet Naturalis, vel Prima Philoſophia.

Titulus VI.

Prædicabilia.

SEcundæ Intentionis voces ſunt quinq. *Prædicabilia*, ſeu vulgata quinquè Vniuerſalia, non quidem Metaphyſicè in eſſendo, ſed Logicè in prædicando; & ſunt, *Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens*; quia non vt ſunt in ſe à parte rei, ſed vt cadunt ſub hoc conceptu *Vnum aptum dici de multis* (de quo in Metaphyſ.) qui conceptus ſecunda intentio eſt; In ordine igitur ad Voces ſecundæ intentionis Prædicabilia deffiniam.

43 *Genus dicunt communiter, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quid.*

Primò, *quod prædicatur de pluribus*, quod vnitatem, ſecundùm quam aptum eſt dici de multis, includit; *Aptum* dicitur; præſcindit enim ab actuali prædicatione, ſolamquè aptitudinalem eſſentialiter importat; iuxtà illud: *In deffinitionibus verba non actum, ſed aptitudinem ſignificant*. Secundò, *differentibus ſpecie*, vt à ſpecie ipſa diſtinguant, quæ de pluribus differentibus numero dicitur. Dicitur tertiò, *in quid*, vt diſtinguant à cæteris tribus, quæ non in quid, ſed in quale quid dicuntur, vel in quale ſimpliciter.

Dices Genus prædicatur etiam de indiuiduis, dicitur enim *Petrus eſt Animal*.

Diſtinguo prædicatur complete, vt tota eorum quidditas nego: eo modo prædicatur ſpecies; incòplete, vt pars eſſentiæ trāſ. rurſus immediatè realiter formaliter, vel virtualiter mediatè concedo. Dum enim dico *Petrus eſt animal*, hoc eſt virtualiter *Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal*, quæ dicitur prædicatio immediata immediatione ſubiecti, non immediatione conſequentiæ.

44 *Quod primariò ſubeſt Generis deffinitioni eſt res, ſeu natura realis; quod ſecundariò, & vt conditio eſt ſtatus rei, ſeu ſecunda intentio.*

Oſtenditur primum; Subeſt id primariò, cui formaliter debetur *prædicari de pluribus &c.*; rei debetur non ſtatui formaliter; illi ſiquidem debetur formaliter, quod formaliter ineſt: Cum enim dico *Genus prædicatur &c.* non affirmo ineſſe pluribus genereitatem; ſed naturam ex vi illius genereitatis, & ſi fecìs perperam agerem.

Oſtendo ſecundum; Status dat rei prædicari de pluribus ad modum vnius, non formaliter, quia non ineſt formaliter ſtatus in pluribus, de quibus fit prædicatio, ergo vt conditio; ergo ſecundariò.

45 *Et quamuis explicetur Genus per ordinem ad plures ſpe-*

ſpecies, exiſtente tamen vna ſola, cæteris non repugnantibus conſeruaretur natura tota generica.

Ratio eſt, quia natura tota generica eſt in ſingulis ſuis inferioribus, ſingula igitur exiſtente ſpecie in ipſa tota conſeruaretur; ant. patet, quia prædicatur natura generica de ſuis inferioribus per modum identitatis, ergo quia illis ineſt tota.

46 *Verum tamen eſt, quod nec cognoſci, nec deffiniri poſſet vt Genus, niſi conſtaret plurium ſpecierum non repugnantia.*

Quia Prædicabilitas de pluribus importat eſſentialiter connexionem prædicabilis cum illis pluribus, ergo ſi illa plura non cognoſcantur, ſaltem non repugnantia ceſſabit prædicabilitatis conceptus; ant. patet, quia prædicabilitas hæc ſupponit vnitatem prædicabilis abſtractam à pluribus.

Dixi, niſi *plura ſaltem non repugnantia dignoſcantur*; quia ad aptitudinem prædicabilitatis ſufficit non repugnantia ſubicibilium; Probat hæc ratio de ſingulis quinquè prædicabilibus enumeratis, ideo vniuerſaliter duas præcedentes Concluſiones tene.

47 *Speciem dicunt, quod prædicatur de pluribus differentibus numero in quid.*

Diſtinguitur à Genere, per ly *differentibus numero in quid*; primò, quia illud de ſpeciebus, hæc de indiuiduis dicitur; ſecundò, quia illud vt pars, & incompletè, hæc vt tota eſſentia, & completè dicitur de ſuis inferioribus: Per ly *in quid* oſtenditur eſſentialis connexio ſpeciei, ſicut & generis cum ſuis inferioribus. Indè ſpecies differt à cæteris tribus ob eandem rationem, qua Genus.

Speciem ſpecialiſſimam, ſeu atomam, non mediam, aut ſubalternam explicat dicta deffinitio; media enim genus potiùs eſt, quam ſpecies, & de pluribus ſpe-

cie atoma differentibus, non numero dicitur. Vnde ſola ſpecies atoma conſtituit ſecundum Prædicabile.

48 *Prout præſcindit ſpecies à ſubalterna, vel infima conſtituitur in eſſe ſpeciei per ſubicibilitatem, ſeu per ordinem ad ſuperius, quatenus verò ſupponit pro ſpecie infima per ſubicibilitatem, & prædicabilitatem, per hancquè ſpecialiter in eſſe talis prædicabilis.*

Infertur primum ex eo, quod ſpecies ſubalterna quatenus reſpicit inferiora non habet rationem ſpeciei, ſed generis, ergo ſpeciei quatenus reſpicit ſuperiora. Inſuper; intellecta ſola habitudine animalis v. g. ad corpus ſufficienter intelligo in animali ratione ſpeciei, ſed ſubicibilitas eſt hæc, ergo: & hinc eſt, quod deffiniatur ſpecies media *ea, quæ ponitur ſub genere; & de qua ipſum genus, in eo quod quid eſt, prædicatur.*

Infertur ſecundum, quia ſpecies infima formaliter eſt perfectio generis, & conſtitutiuum indiuiduorum; immò includit intrinſecè genus ipſum vt contractum ad tale eſſe, & poſitum adæquatè cum differentia in Indiuiduis, ergo ſpecies infima dicit formaliter ordinem ad genus, & ad indiuidua, ergo formaliter per vtrumq. ordinem conſtituitur.

Infertur tertium indè, quia prædicabile formaliter vt tale dicit ordinem ad ſua inferiora, ſubicibile verò formaliter ad ſuperiora, ergo in eſſe talis prædicabilis conſtituitur formaliter ſpecies atoma per ordinem ad inferiora, ſeu prædicabilitatem. De Indiuiduo in Metaphyſicis.

Differentiæ tres dantur ſpecies *Communis*, & coincidit cum accidente aliquo, *Propriæ*, & eſt cum Proprio, *Propriiſſimæ*, quæ tertium Prædicabile conſtituit; & adhuc duplex eſt ſubalterna, & infima.

49 *Dicitur aptè differentia Prædicabile de pluribus in quale quid.*

Præ-

Prædicabile de pluribus generis locum tenet; *in quale quid*, differentiæ. Per ly *in quale* diſcrepat à ſpecie, quæ dicitur in quid abſolutè; Per ly *in quid* à Proprio, & Accidente, quæ dicuntur in quale ſimpliciter. Item per *Quid*; oſtenditur res prædicata, quæ eſſentialiter ineſt ſubiecto, per *quale* modus quo ineſt, ſcilicet veluti forma alteri adiacens nempe generi, & inde dicitur differentia forma Metaphyſica. Quod ſi in deffinitione dicas *de pluribus differentibus ſpecie*, differentiam ſubalternam habes.

50 *Differentiæ propriſſimæ tria ſunt munera, diuidere genus, conſtituere ſpeciem, & dici de Indiuiduis.*

Quæ tamen præſtat differentia vno, eodemquè actu; Diuidens enim *rationale* v. g. genus *animal*, coarctat ad hominem per vnionem ſui cum illo; vniens ſe cum genere conſtituit ſpeciem; & hominem conſtituens de Petro, Paulo &c. dicitur.

51 *Non conſtituit differentia quartum prædicabile per ordinem ad genus, quod diuidit, nec ad ſpeciem quam conſtituit, ſed per ordinem ad inferiora, de quibus dicitur in quale quid.*

Ratio eſt, quia ordo differentiæ ad genus non eſt prædicati ſuperioris ad inferius, quod Vniuerſali, & Prædicabili neceſſariò debetur; magis enim patet genus, quàm differentia. Item; habet differentia rationem veluti formæ Generi adiacentis, eius verò prædicatio eſſentialis eſt, vt exprimitur per *quid*, igitur per ordinem ad genus non eſt prædicabilis.

Secundò; conceptus prædicabilis eſt formaliter ratio vniuerſalis, & ſuperioris in ordine ad inferiora, at ſpecies non eſt inferior differentia, immò & eſt ipſum formaliter conſtitutum, & æquè latè patet, ergo.

Remanet itaquè, quòd per habitudinem ad inferiora, quæ indiuidua erunt ſi differentia ſit infima.

52 *Non quodlibet diuerſum prædicatum, quod dicatur de pluribus dici debet prædicatum ſpecificum, ſed illud ſolum, quod inferat intrinſecum, ac notabile diſcrimen inter illa plura.*

Vrget primò; quia differentia ſpecifica debet *dici de pluribus in quale quid*, at non quodlibet prædicatum ſufficienter dicitur in *quale quid*, niſi ſaltem perfectionem aliquam intrinſecam inſeparabilem, etiam mentaliter importet, ergo non quodlibet prædicatum de pluribus dictum dicendum eſt ſpecificum.

Secundò; quia aliàs Gemelli v. g. differunt ſpecie à cæteris fratribus, prædicatur ſiquidem de illis, quòd ſint vno tempore nati, quod de alijs dici nequit, & ſimilia.

53 *Dantur etiam vltimæ differentiæ; hoc eſt differentiæ per quas ſpecies infima conſtituitur, & diſtinguitur; eſt vnus gradus eſſentialis ſimplex ſolius ſpeciei infimæ proprius, & cum illa conuertibilis.*

Prob. à poſter. Quia in qualibet ſpecie ſunt certæ quædam proprietates, quæ non ſunt in omnibus; proprietates ergò cum ſint principium aliquod ſimplex illi ſoli ſpeciei proprium, & eſſentiale ſupponunt à quo fluant; non genus, quia hoc eſt commune; & ideo non poteſt eſſe principium alicuius proprietatis, igitur erit differentia; & quidem vltima, quia ſubalterna pluribus adhuc in ſpeciebus diffunditur.

54 *Hinc eſt, quod Differentia vltima non includat genus, nec differentiam ſubalternam, ſed ſit prædicatum ſimplex ab eis contradiſtinctum.*

Sequitur ex antecedenti: ſed præterea oſtenditur; Differentia vltima eſt forma Metaphyſica componens cum genere, atque adeo cum differentia media, ergo non poteſt includere genus, & talem differentiam, tenet conſeq. aliàs componeret Metaphyſice cum ſe ipſa.

Item;

Item; Differentia eſſet formaliter ſpecies: Species enim eſt conſtitutum intrinſecè per genus, & differentiam, ſi ergo differentia infima genus inuoluat, ſpecies erit. Deniquè vitiaretur omnis deffinitio ſpeciei, ſufficeret enim exprimere differentiam vltimam, vt explicaretur genus conſtituens ſpeciem, v. g. in Leone ſufficeret dicere *Leo eſt rugibilis*, vt haberetur adæquatus conceptus generis, & differentiæ conſtituentis Leonem, & fruſtra diceretur Leo eſt animal rugibile.

Tria hæc prædicabilia eſſentialia ſunt rei de qua dicuntur, cætera accidentalia.

Proprij duas dant ſpecies; ex his, aliud phyſicũ, quod ſequitur phyſicam rei entitatem, vt lux *Solem*; aliud Logicum, etiam Metaphyſicum dictum, quod ab eſſentia rei diffluit, & quamuis phyſicè ab illa ſeparari nequeat, Logicè tamen, ſeu Metaphyſicè extra eſſentialem rei conceptum eſt, vt *riſibile ad hominem*. De hoc in præſenti.

55 *Eſt proprium, quod competit omni, ſoli, & ſemper & conuerſimquè prædicatur de pluribus in quale.*

Ly *omni*, *ſoli*, *& ſemper* Proprium quartò modo extrahit à vulgata diuiſione in proprium, quod *ſoli competit, non tamen omni*, vt eſſe Philoſophum in homine; quod *omni competit non tamen ſoli*, vt eſſe bipedem hominem; quod *omni, & ſoli conuenit, non tamen ſemper*, vt caneſcere item in homine; deniq. *quod omni, ſoli, & ſemper contingit*, vt hominem eſſe riſibilem, Leonem eſſe rugibilem &c. quod eſt Proprium mox deffinitum. Non diſcrepat tamen hactenus à genere, ſpecie, & differentia.

Per conuerſim prædicari differt ab accidente communi, vel ſaltem non proprio quarto modo. Deniquè per *prædicari de pluribus in quale* differt à genere, & ſpecie, quæ prædicantur in *quid*, & à differentia, quæ dicitur in

in *quale quid*; & hoc eſt, quod intendunt alij Proprium deffinientes *Prædicabile de pluribus in quale, vt habens connexionem cum eſſentia*; vel *Accidens intrinſecè afficiens eſſentiam à quà exigitur determinatè in aliquibus ſaltem circumſtantijs*; Nouas deffinitiones non ſatis claras optimis reiectis gratis omninò meditantes, quaſi nō poſſit aliud accidens non proprium quartò modo habere connexionem cum eſſentia rei, vel accidens proprium non ſemper afficiat eſſentiam à qua exigitur.

56 *Conſtituitur Proprium in eſſe talis prædicabilis per ordinem ad Indiuidua.*

Remanet probata ex 51. & hinc patet cur *Proprium conueniat inferioribus ratione ſpeciei*; accidens verò cōmune *Speciei ratione inferiorum*, cum conuertibile ſit Proprium cum pluribus, ſecùs cōmune; valet .n. ideo ea plura ſunt talia, quia ſpecies ſub qua conueniunt eſt talis; & è contra ideò ſpecies v. g. eſt alba, quia hæc, & illa inferiora ſunt alba; Cauſalis enim ibi ſe tenet ex parte ſpeciei, hìc ex parte Indiuiduorum.

De Accidente in communi in Metaph. pro vt tamen conſtituit quintum prædicabile.

57 *Dici poteſt Prædicabile de pluribus in quale, ſed non conuertibiliter.*

Patet ex 55. per ly enim *prædicabile* de pluribus conuenit cum tribus prioribus, & ſi addas *in quale*, adhuc conuenit cum Proprio, quia tamen non conuertibiliter dicitur, à ſingulis differt; Et hinc patet quomodo conſtituat Prædicabile diuerſum etiam ab alijs quattuor, & conſtituatur in eſſe talis prædicabilis per ordinem ad ſua inferiora; Secùs verò ſi dicas cum communi eſſe, *quod abeſt, & adeſt à ſubiecto præter illius læſionem*, quantumuis intelligas de ſeparatione intellectuali non Phyſica, nam latè nimis patet, & Proprium non excludit, nec Logico datur locus efformandi verum conceptum.

Acci-

Accidentis, vt quintum prædicabile eſt.

Dices, ſatis intelligi accidens, Proprium, & non Proprium:

Contra: aliud eſt accidens in communi pro vt ens alterius, & de hoc alibi; aliud accidens commune, quod quintum prædicabile conſtituit, de quo hìc.

58 *Prædicabilia nec plura, nec pauciora ſunt, quàm quinque deffinita.*

Ratio eſt, quia tòt ſunt, quot modi, quib. res prædicari poteſt de alio, & tot modis poteſt prædicari de alio, quot modis alteri ineſt, ſed alteri ineſſe non p oteſt res, quàm quinquè, ergò nec prædicari: Prob. min. vel enim ineſt eſſentialiter, vel accidentaliter, & ſi eſſentialiter, vel vt pars ſubiectiua, ac perfectibilis, & en *Genus*, vel vt pars actuatiua, ſeu perfectiua, & en *Differentia*, vel vt tota eſſentia, & ecce *Species*: ſi accidentaliter, vel ita ineſt vt omni, ſoli, & ſemper inſit, & habes *Accidens Proprium*, vel ita vt non conuertibiliter dicatur, & eſt *Accidens commune*. Alium modum inexiſtendi, & prædicandi non video.

Quod decem videantur aſſignari modi inexiſtendi in Prędicamentis non obſtat, reducuntur .n. ad hæc quinq. Quæ namquè ſubſtantialiter, & eſſentialiter inſunt ex primo Prædicamento, ad tria priora prædicabilia ſpectant; quæ verò accidentaliter ex reliquis nouem, ad duo poſteriora. Hæc de Vocibus, pro vt opus erat.

Titulus VII.

Deffinitio.

Qvamuis Deffinitio formalis propriè ſpectet ad ſecundam operationem intellectus, & de conſequenti

quenti ad ſecundam partem huius Philoſophiæ; Propriè enim vt modus ſciendi importat aſſenſum, & iudicium, quod in ſimplici apprehenſione ſtare non poteſt; Quia tamen aliquo modo ſaltem imperfecto in apprehenſione reperitur, vt cum cogito totum *animal rationale*, Deffinitioni hic locum facio.

59 *Dicitur igitur Deffinitio Oratio explicans quod quid, hoc eſt naturam, ſeu eſſentiam rei.*

Oratio, nempe pluribus expreſſa vocibus, quia cum quæuis res duas eſſentialiter partes habeat, genus videlicet, & differentiam, ſi vna voce explicetur deffinitio non erit; Datur enim deffinitio, vt diſtinctus habeatur rei conceptus ſecundùm partes, & in quibus conuenit, & in quibus diſcrepat; & ſi mentalis ſit diuerſis ſaltem partialibus apprehenſionibus efformetur. *Explicans eſſentiam, ſeu naturam rei*, quia vel poteſt eſſe deffinitio per partes Phyſicas, vel Metaphyſicas, ſeu Logicas; & ſi per Phyſicas, adhuc vel eſſentialis, videlicet per materiam, & formam, vt partes ſunt; vel cauſalis, hoc eſt per efficiens, Finem, Materiam, & Formam, vt cauſæ ſunt; vel accidentalis, hoc eſt per operationes, vel paſſiones, aut proprias, aut communes erit.

60 *Vt verò bonam deffinitionem conſtituas hæc obſerua; Primò, quòd ſit clarior deffinito; Secundò, quòd cum illo conuerti poſſit; Tertiò, quòd omni & ſoli deffinito congruat; Quartò, quòd breuis ſit, non tamen mutila, ſicut, nec abundans; Quintò, quòd ſit per prædicata magis nota, hoc eſt per genus proximum, & infimam differentiam, & ſi alterum ex his deſſiciat, vitiabitur Deffinitio.*

Primum patet: Datur namquè hic modus ſciendi per deffinitionem, vt ſit manifeſtatio rei eam veluti per partes explicando; Secundum, quia obiectum debet eſſe idem in vtroquè actu, quo infers deffinitum ex deffinitione, vel deffinitionem ex deffinito, aliter ſi non adæ-

quat

quæ deffinitum; confundit; Tertium, quia ſi vel deffinitum excedat, vel ab eo excedatur, hoc eſt omni, & ſoli non competat, non eſt apta deffini um notificare, ſemper enim aliquid explicandum remanet; Quartum, quia ſi mutila eſt aliquod nõ explicat, quod deſideratur de natura, & eſſentia rei; ſi ſuperflua, quidquam adiungit, quod non eſt neceſſarium ad rei cognitionem; Quintum deniquè, quia ſi deffinias rem per genus remotum, & per differentiam mediam, iam remanent prædicata proximiora explicanda, ergo non exhibebit neceſſariam rei cognitionem.

Ex defectu primi, non eſt apta hominis deffinitio *homo eſt paruus Mundus*; Ex defectu ſecundi, malè deffinitur *homo eſt viuens ſenſitiuum*; Tertij, incongruè deffinies *hominem principium ſenſationis*, vel *homo eſt Philoſophus*; Quarti, ſi dixeris *homo eſt viuens ſenſibile*, vel *eſt animal rationale bipes*; Quinti deniquè *homo eſt corpus ſentiens*.

61 *Duobus modis confici poteſt apta rei deffinitio, vel per Diuiſionem, vel per Reſolutionem.*

Per Diuiſionem, quando cõſtituta re in ſuo prædicamento, diuiditur ſupremum illius genus in ſua inferiora, donec aliquod prædicatum remaneat, in quo res deffinita conueniat cum alijs, & erit *Genus*; & aliud in quo differat ab omni alio, & per quod intrinſecè conſtituatur, eritquè differentia; Vt ſi velim deffinire hominem, eum conſtituo in prædicamento ſubſtantiæ, & ſupremum illius genus, quod eſt *Subſtantia* diuido in ſua inferiora, ſcil. in *Corpoream*, & *Incorpoream*; Hac dimiſſa, vt non ad rem; *Corpoream* aſſumo, & diuido in *Simplicem*, & *Mixtam*, eaquè oblita; hanc iterum diuido in *Viuentem*, & *non Viuentem*, & ſic deinceps, donec inueniam *Animal*, in quo conuenit cum alijs, & *Rationale* in quo diſcrepat.

Per

Per Reſolutionem incipiendo ab inferioribus, ea videlicet ſecernendo, ſecundùm quæ conueniunt inferiora, & ea ſecundùm quæ diſconueniunt; & hijs dimiſſis, in quibus diſcrepant, quæ communia ſunt retineo; & quoniam ex his aliqua habeo, in quibus hæc ſola conueniunt, differuntquè ab omnibus alijs hæc ſtatuo pro differentia; alia verò in quibus, & conueniunt inter ſe, & cum alijs etiam non tamen cum omnibus diſſimilibus, ea ſtatuo pro genere. Ita deffiniens hominem cognoſcit diſcrepare in figura, quantitate, albedine &c. his dimiſſis occurrit *Corpus, Viuens, Sentiens, Animal*, in quibus conuenit homo cum equo &c. magis tamen in animali, in quo maximè conuenit cum alio homine; hoc habet pro *Genere*, & *Rationale*, in quo conuenit homo cum homine diſcrepat ab omni non homine, habet pro *Differentia*. Tutius eſt per Diuiſionem deffinire.

Titulus VIII.

Diuiſio.

Affinis maximè, immò & penitùs neceſſaria ad Deffinitionem Diuiſio, propterea etiam ſi non niſi imperfectè valde reperiatur in prima, ſimpliciquè cognitione, non inopportunum hìc habet locum.

62 *Eſt Diuiſio Oratio totum in ſuas partes diſtribuens.*

Oratio, eo modo quo & Deffinitio, & vſquè hùc cum ea conuenit; *Totum diſtribuens in partes*, diſtinguit Diuiſionem à Deffinitione, quæ rem explicat per partes diſtributas à Diuiſione.

Dicitur hic modus ſciendi diuiſio ob ſimilitudinem cum Phyſica ſeparatione, quæ totum diſtribuit in partes

res eas Phyſicè ſegregando: Phyſica totum integrale reſpicit, Logica totum eſſentiale, vel Metaphyſicum, hoc eſt compoſitum ex genere, & differentia vt *Homo*; vel Phyſicum ex materia, & forma vt *Lignum*, Integrale etiam vt *palmus Ligni*; Totum vniuerſale ex inferioribus, vt hoc genus *animal*, Totum denique Morale, vt *Reſpublica*, *Domus*.

63 *Quinque in Diuiſione ſunt obſeruanda; Primum eſt, quod ſit breuis, non minus tamen, quàm duo membra includat; Secundum, quod membra diuidentia ſint inferiora diuiſo; Tertium, quod ſint inter ſe oppoſita, ſeu vnius conceptus ſit adæquate extra conceptum alterius; Quartum, quod omnia ſimul ſumpta ſint conuertibilia cum Diuiſo; Quintum, quod ſint membra proximiora, & immediata*.

Ni primum obſerues Vocem habes non diuiſionem, quod doceris per ly *Oratio*; ſinè ſecundo non diuidis, ſed potiùs reſolui; defectu tertij contentum pro contento proponis; ſi membra diuidentia cum Toto diuiſo non conuertuntur, nec eſt adæquata diuiſio totius; & per quintum, locum ad vlteriorem diuiſionem non relinquis.

64 *Quamuis autem Diuiſio explicetur diſparatè à Deffinitione, ab ea tamen parum differt, ità vt non abſolutè aſſerendum ſit eſſe duos modos ſciendi realiter diuerſos*.

Patet, quia diſtribuere rem in partes, & explicare rem per partes vno ferè, atquè eodem actu fiunt; Diuidens enim explico, & explicans diuido; Verumtamen, quia prius ſuppono partes diſtributas, quam explicem eam eſſe eſſentiam rei, aliqualiter differre videtur à Deffinitione Diuiſio.

Titu-

Titulus IX.

Prima Operatio.

EA, quæ ad primam intellectus operationem ſpectan decidi, operationem ipſam dabo.

65 *Eſt prima operatio ſimplicium apprehenſio, vel ſimplicium intelligentia.*

Ly *intelligentia* ſupponit pro actu, non pro ſubſtanti intelligentis; *Simplicium* hoc eſt obiectorum, quæ ſcilicèt excludunt affirmationem, & negationem; non quia non poſſit prima operatio repræſentare adæquatè obiectum includens affirmationem, vel negationem, vt cum apprehendo aſſenſum exhibitum per iudicium de aliquo obiecto, ex. g. *homo eſt animal*, ſed, quæ excludunt affirmationem, & negationem ex vi talis primæ operationis; vndè fortaſſis melius dicitur *Simplex apprehenſio*, vel *ſimplex intelligentia*, vt oſtendatur, quod ipſa in ſe ſimplex, ideſt excludens affirmationem, & negationem, eſt cognitio obiecti etiam complexi, etiam cum copula.

Quare duplex eſt *ſimplex hæc apprehenſio, vel complexa vel incomplexa*; hæc ſi ſit de obiecto ſimpliciter incomplexo, vt *Homo, Lapis*; complexa de obiecto complexo vt *homo albus* ſinè copula, vel etiam cum copula, vt *homo eſt animal*: immò etiam poterit eſſe de obiecto per diſcurſum integrum expreſſo non affirmando, vel negando, an benè, vel malè, an ità, vel ſecus res ſe habeat. An verò poſſit cognitio terminare ad plura, vt plura, necnè; alibi.

66 *Simplex apprehenſio ſpectat ad Logicam.*

Patet primò, quia Logicæ obiectum ſunt omnes

tres

tres operationes intellectus, vt ex 13. Secundò, quia omne quod eſt dirigibile, immò de facto dirigitur per Logicam ad eam ſpectat, vt eius ſaltem partiale obiectum, at dirigit Logica ſimplicem cognitionem, vt ex dictis adhuc conſtat, ergo. Tertiò; quia agit Logica de partibus componentibus diſcurſum per ſe, agit enim per ſe de hoc toto, ergo per ſe de eius partibus, ergo cognitio ſimplex eſt neceſſariò prærequiſita in Logica, hæc eſt ſimplex apprehenſio, ergo per ſe agit Logica de ſimplici apprehenſione.

67 *In prima Intellectus operatione eſſe poteſt veritas, vel falſitas incomplexa.*

Dixi *incomplexa*; quæ eſt ſimplex intentionalis conformitas, vel difformitas cognitionis cum obiecto, excludens à ſe omnem affirmationem, & negationem ex vi talis cognitionis, & contradiſtinguitur à complexa, quæ eſt conformitas, vel difformitas iudicij cum re iudicata includens affirmationem, aut negationem ex vi talis actus: patebit inf. Sic explicata, eſt certa. Adde, quòd quilibet actus intellectus eſt intentionalis imago ſui obiecti, ergo & prima operatio, ergo ſi conformiter refert obiectum vera erit, ſi difformiter falſa; non veritate, vel falſitate complexa vt patet, ergo incomplexa. Secundò, veritas complexa iudicij fundatur in prima operatione, ergo ſi in prima non ſit veritas, vel falſitas nullum iudicium verum erit, vel falſum; ant. prob. Iudicium affirmat, vel negat ineſſe, vel non ineſſe alteri, quod prius cognouit, ergo fundatur in priori cognitione, ergo præſupponitur illius veritas, vel falſitas.

68 *Immò implicat quilibet actus ſimplicis apprehenſionis, qui non ſit verus, vel falſus.*

Eſt euidens; quia eſſentialiter quilibet actus huiuſmodi eſt formalis imago rei cognitæ, vel ergo eſt conformis in repræſentando obiectum, & eſt actus verus,

 vel

vel difformis in repræſentando, & eſt actus falſus; n
datur medium. Hæc quoad primam partem Rational
Philoſophiæ.

SECVNDA PARS LOGICÆ.

Titulus I.

Enunciatio.

ORdinatur ſecunda pars Logicæ ad ſecundam operationem intellectus, quæ conſiſtit in affirmatione, aut negatione vnius de altero, quod præſtat Logica Mentalis enunciando, Vocalis pronunciando. Enunciationem propterea expendo.

69 *Eſt igitur Enunciatio oratio Indicatiua, hoc eſt verum, vel falſum ſenſum ſignificans.*

Oratio ſupponit pro perfecta oratione, cuius partes ſeparatæ ſignificant, per quod oſtenditur perfectam enunciationem ſtare non poſſe in ſimplici voce, aut termino.

Indicatiua, ſeu verum, aut falſum ſenſum ſignificans: vndè à perfecta enunciatione reijciuntur orationes deprecatiuæ, imperatiuæ, & huiuſm. *Simplicem* complectitur, *Modalem*, *&* *Coniunctam* hæc deffinitio, iuxta triplex Iudicium *Simplex*, *ſeu Cathegoricum*, *Modale*, *&* *Coniunctum*, *ſeu hypotheticum*.

70 *Materia Enunciationis eſt reſpectus, ſeu habitudo termini prædicati ad terminum ſubiectum; forma eſt vnio ſeu copula prædicati cum ſubiecto: paſſiones ſunt quantitas, qualitas, oppoſitio, æquipollentia, & conuerſio.*

Multiplex eſt *reſpectus* prædicati ad ſubiectum, ve

con-

contingens, vt *homo eſt albus*; neceſſarius vt *homo eſt animal*, impoſſibilis vt *homo eſt lapis*. *Copula*, aut affirmatiua eſt, vt *Petrus eſt homo*; aut negatiua, vt *Paulus non eſt lapis*. *Quantitas* eſt vniuerſalitas, vel particularitas, ſingularitas, vel indeffinitio: *Qualitas* affirmatio, vel negatio, veritas, vel falſitas. *Oppoſitio* eſt affirmatio, & negatio eiuſdem de eodem; quæ ſi accidat ſecundùm quantitatem, & qualitatem contradictoria eſt; ſi ſecundùm quantitatem ſolam contraria: cæteræ ad has reducuntur. *Aequipollentia* eſt duarum enunciationum æquiualentia, quæ fit per appoſitionem alicuius ſigni, vel negationis, quæ tollat contrarietatem in qua pugnabant antecedenter. *Conuerſio* eſt itèm duarum propoſitionum vnius ad alteram per terminorum tranſpoſitionem neceſſaria conſequentia, vndè variæ enunciationum ſpecies oriuntur. Primariæ ex his paſſionibus ſunt veritas, vel falſitas, affirmatio, aut negatio; hæc tamen prior, illa poſterior.

71 *Vnaquæquè ergò harum enunciationum diuiditur præſertim in affirmatiuam, & negatiuam, veram, & falſam.*

Vt enim ſint orationes perfectæ affirmant neceſſariò, vel negant vnum de altero, & vt ſint iudicatiuæ, veræ procul dubio erunt, vel falſæ.

72 *Infero indè nullam dari poſſe enunciationem, quæ affirmatiua non ſit, aut negatiua, vera, vel falſa.*

Si enim eſt enunciatio, ergo iudicat ineſſe, vel non ineſſe alteri, quod ineſt, vel non ineſt à parte rei, iudicat autem ineſſe per affirmationem, non ineſſe per negationem: Iterùm; in tantùm vera eſt, vel falſa enunciatio, in quantùm affirmat, vel negat ineſſe, vel non ineſſe alteri, quod realiter ineſt, vel non ineſt, primò itaque eſt affirmatiua, vel negatiua, dein vera, vel falſa.

73 *Differt enunciatio Modalis à ſimplici, quod modum exprimat inexiſtentis, vel non inexiſtentis prædicati.*

Quadrifariè exprimitur modus, quo prædicatum ineſt, vel non ineſt ſubiecto: *Neceſſariò*, *Contingenter*, *Poſſibiliter*, *Impoſſibiliter*: Vndè duplex materia propoſitionis huiuſcè, *altera dicti*, & eſt eadem, quæ enunciationis cathegoricæ, quam neceſſariò includit modalis, *altera modi*, eſtquè connexio modi cum dicto per ipſum modum expreſſa. Partes habet *Dictum*, *Copulam*, & *Modum*, illud vt ſubiectum, hunc vt prædicatum; Cæteras paſſiones proportionaliter, ac ſimplex.

74 *Addit hypothetica ſuprà ſimplicem particulam aliquam diſiungentem, vel coniungentem ſimul plures ſimplices: Inde benè deffinitur Oratio ex pluribus ſimplicibus enunciationibus inter ſe aliqua ratione connexis compoſita.*

Non connectuntur plures ſimplices, quia vna prædicetur de altera, ſed coniunctionem, vel diſiunctionem plurium prædicatorum in ordine ad idem ſubiectum oſtendunt, vt ſi dixerim *Petrus aut eſt Philoſophus, aut eſt Muſicus; nec eſt doctus, nec eſt prudens.*

Quæ connexio ſi explicetur per particulam conditionalem *Si*, Hypotheticam *conditionalem* facit, ex. ca. *ſi eſt homo, eſt animal*, ſi autem per particulam illatiuam *ergo*, vel ſimilem, *rationalem*, v. g. *eſt homo, ergo eſt animal*; ſi tandem per particulam cauſalem *Quia*, *cauſalem* facit, vt *quia eſt homo, eſt riſibilis*. Materiam, formam, paſſiones pares habet cum cathegorica. Ex his cætera eluceſcunt.

75 *Veritas formalis propoſitionum conſiſtit in conformitate intentionali actus cum obiecto, quod repreſentat: è contra falſitas conſiſtit in difformitate actus cum re, quam repreſentare deberet.*

Secunda pars ſequitur ex prima: Primam explico: actus

actus affirmans, vel negans habet quòd ſit forma his imago obiecti, de quo eſt, ſi ergo illud refert ſicut eſt in ſe, conformis dicitur; ſi aliter difformis; Primum eſt actū formaliter verum eſſe; Secundum eſſe falſum, ex quo ſic;

Veritas imaginis eſt ad vnguem obiectum repręſentare, actus eſt formalis obiecti imago, eſt namquè formalis illius expreſſio; ergo: mai. patet, quia veritas imaginis eſt eam eſſe veram obiecti ſimilitudinem, ſimilitudo autem eſt conformitas, igitur, & conformitas eſt veritas. Iterum; obiectum eſt menſura actus, ergo vt actus ſit verus debet adæquatè commenſurari obiecto, hoc eſt eſſe conformem, ergo illius veritas erit conformitas.

76. *Veritas, & falſitas non ſuſcipiunt magis, & minus, ſeu conſiſtunt in indiuiſibili (ſumo veritatem rigorosè).*

Vel enim actus adæquatè conformis eſt obiecto, vel defficit in aliquo: ſi primum, ergò erit verus actus; ſi ſecundum ergo erit aliquod in quo actus non erit conformis obiecto; ſed eo ipſo, quod non eſt conformis in aliquo, in eo eſt difformis, malum enim ex ſingulis deffectibus, & bonum ex integra cauſa, ergo erit falſus, ergo falſitas, & veritas conſiſtet in indiuiſibili: Quòd ſi dicatur propoſitio, & actus magis, vel minus verus, vel falſus altero, impropria loquutio eſt, niſi in quantū eſt ex motiuo magis, vel minus claro. Hæc dixerim de veritate, & falſitate quoad propoſitiones; cætera de anima.

77. *Dantur propoſitiones determinatè ab æterno veræ, & ſunt omnes propoſitiones, in quibus prædicatur, vel eſſentia, vel pars eſſentiæ, vel etiam proprietas eſſentialis.*

Eſt certa; quia hæc ipſa propoſitio *Dantur propoſitiones æternæ veritatis*, vel eſt ab æterno vera, vel ab æterno falſa; ſi primum, habeo intentum; ſi ſecundum,

ergo erit vera eius contradictoria, *non dantur propoſitiones ab æterno veræ*; ex duobus enim contradictorijs, alterum eſt determinatè verum, aliud determinatè falſum; ſed eo ipſo, quod habeo hanc propoſitionem, in qua prædicatur paſſio principalis, ſcilicet veritas de propoſitione, *non dantur propoſitiones ab æterno veræ*, habeo propoſitionem ab æterno veram, ergo ſi non dantur propoſitiones ab æterno veræ, dantur propoſitiones ab æterno veræ.

Confir. omnes propoſitiones dictæ ab æterno habent conformitatem cum ſuo obiecto, ergo ſunt ab æterno veræ; oſtendo ant. hæc enim propoſitio *homo eſt animal* indicat connexionem animalitatis cum homine, quæ à parte obiecti eſt talis, igitur, & conformis erit.

78 *Ex enunciationibus de futuro contingente contradictorijs altera eſt determinatè vera, altera falſa; veritate conſequenti, non antecedenti.*

Hoc eſt, ex his duabus propoſitionibus *Petrus curret*, *Petrus non curret*, altera eſt determinatè vera, altera falſa; Veram dico, non certam, quia ad veritatem ſufficit conformitas cum re, vel exiſtente, vel futura, ad certitudinem præſupponitur cognitio præcedens principiorum, vnde deducatur talis propoſitio: *veritate conſequenti, non antecedenti*, quia prima ſupponit obiectum futurum, vel non futurum ad quod conſequenter ſe habet veritas, vel falſitas propoſitionis, ſecunda præſupponit certam cauſam effectus futuri.

Hoc præ alijs moueor argumento; Vera determinatè eſt ea propoſitio, quæ determinatè eſt conformis obiecto, vel exiſtenti, vel futuro, ſed ex duabus contradictorijs de futuro contingente altera enunciat obiectum futurum, altera non futurum, ſi ergo futurum eſt determinatè obiectum conformis erit enunciatio de futuritione obiecti; ſi non erit futurum erit conformis negans

futu-

futuritionem obiecti; Quoniam verò vna eſt alterius contradictoria, conformis erit determinatè vera, difformis falſa.

Quia autem nullum futurum contingens eſt antecedenter futurum, neque vlla propoſitio de illo erit antecedenter vera, vel falſa, conformitas enim conſiſtit in proportione cum obiecto, & in conformitate conſiſtit veritas propoſitionis.

Titulus II.

Secunda Operatio Intellectus.

79 *EST actus, quo intellectus aſſenſum exhibet, vel diſſenſum per affirmationem, vel negationem obiecto iam cognito: vel etiam, eſt aſſenſus, vel diſſenſus per affirmationem, vel negationem obiecto apprehenſo exhibitus ab intellectu. Eſt deffinitio diuiſiua.*

Per ly *actum* conuenit cum prima operatione, per cæteras particulas differt à prima, & ab vltima. Dicitur *aſſenſus, vel diſſenſus*, quia ſi affirmas inexiſtentiam prædicati in ſubiecto aſſentiris etiam ita ſe habere obiectum ſicut præcognouiſti; ſi negas, diſſentiris; Dicitur *obiecto iam cognito*, quia apprehendere quidem potes obiectum, immò plura obiecta, & de illis nullum iudicium ferre, veluti cum viam, vel forum tranſis; iudicare tamen non potes, quin obiectum præcognoueris; Hunc ergo ſeruant ordinem operationes, quod prima eſſe poſſit ſine ſecunda, hæc neutiquam ſine illa, quem tenent etiam ad inuicem ſecunda, & tertia.

80 *Non eſt tamen actus compoſitus ex apprehenſionibus ſubiecti, & prædicati, ſed eſt ſimplex actus ea tria inſeparabiliter exprimens.*

Suadetur, quia non poteſt dari conceptus exprimens copulam prædicati cum ſubiecto, qui non exprimat indiuiſibiliter prædicatum, & ſubiectum, concipere enim vnionem, & connexionem, vel eam negare inter ſubiectum, & prædicatum eſt concipere prædicatum in ſubiecto, ſi iudicium eſt componens, vel extra ſubiectum ſi diuidens, talis actus exprimet indiuiſibiliter vtrumquè extremum.

Actus igitur exprimens vnionem inter prædicatum, & ſubiectum, non poteſt quin exprimat vt vnita, & negans talem vnionem ea vt diuiſa, ergo erit ſimplex actus.

Quod ſi audiens *Petrus eſt homo* faciam tres actus, ſunt tres ſimplices apprehēſiones, vel etiam vna apprehenſio complexa, qua repręſentatur mihi hoc iudicium ſucceſſiuè prolatum.

81. ***Eius veritas non conſiſtit formaliter in conformitate actus cum obiecto vt apprehenſo, ſed cum eo vt eſt à parte rei.***

Non enim poteſt quò minùs Iudicium ſit conforme rei vt cognitæ, quo dato nulla eſſet omninò enunciatio falſa, ergò erit conformitas actus cum obiecto à parte rei, cum enim conſiſtat conformitas actus in repręſentando obiectum non debet eſſe conformitas cum re pro vt repręſentata, ſed pro vt in ſe. Quod etiam patet in iudicijs practicis, quæ obiecta ſibi efficiunt enunciando, vt ſi Rex dicat *Petrus eſt eques*. Licèt enim obiectum præcedant hæ enunciationes, præcedunt tamen vt effectiuæ, non vt veræ, in priori enim efficiunt, in poſteriori conformes ſunt obiecto realiter effecto, ac proinde veræ.

TER-

TERTIA PARS LOGICÆ.

Titulus I.

Argumentatio.

DIſcurſum dirigit tertia pars Logicæ, qui quoniam exprimitur per argumentationem præſertim per ſyllogiſmum, ad quem cæteræ argumentationum ſpecies reducuntur, hunc expendam.

82 *Eſt igitur argumentatio oratio, in qua vnum ex alio infertur.*

Oratio; quia nec in ſola voce, immò nec in ſolo iudicio ſtare poteſt; *in qua vnum ex alio infertur*, intellige *iudicium*, ſcilicet in qua vnum iudicium infertur ex alio. Primum debet eſſe notum inferēti, ſecundum ignotum. Primum dicitur *antecedens*, ſecundum *conſequentia*, *concluſio &c.* Primum ſi vnum ſolum ſit iudicium *antecedens* abſolutè, vel *Præmiſſa* dicitur, ſi plura, *Antecedentia*, *& Præmiſſæ*. Tria ergo importat quælibet argumentatio, Iudicium quod deducitur, Iudicium ex quo deducitur, & Illationis ſignum, quod exprimitur per particulam *ergo*, *igitur*, *itaquè*, vel ſimilem. Eſt genus ad ſuas ſpecies.

83 *Tres eſſentialiter partes includit argumentatio, maius nempè extremum, & minus extremum, & medium terminum.*

Explico. *Maius extremum*, ſi conſequentia ſit recta, illud eſt, quod in concluſione prædicatur, eſtquè recta conſequentia, ſi iudicium inferendum de quæſtione non nota, exprimat directè; & eam ex præmiſſis, quam ingre-

greditur *maiorem* denominat; *Minus*, quod ſubijcitur in eadem cõcluſione, & *minorem* denominat Præmiſſam in qua eſt. *Medius terminus*, medium quoddam inuentum eſt, quod connexionem habet cum vtroquè extremo, eorumque connexionem oſtendit in concluſione.

Probo. Datur argumentatio, vt ignota, & dubia quæſtio nota, & certa nobis fiat, vt vides ex eius deffinitione; Porrò quælibet quæſtio duos habet neceſſariò terminos prædicatum videlicet, & ſubiectum, & dubium eſt inſit ne, vel non inſit prædicatum ſubiecto, & en duo dicta extrema: vt autem connexio horum duorũ aliàs ignota nota fiat, ex connexione horum cum tertio quodam nobis nota inferenda, iuxta illud, quæ ſunt eadem vni tertio ſunt idem inter ſe, & en habes medium terminum.

84 *Materia argumentationis remotior ſunt termini propoſitionum, & enunciationes ipſæ ex quibus integratur; proximior eſt connexio illationis cum iudicijs antecedentibus: Forma eſt bona diſpoſitio medij termini cum vtroquè extremo in dictis iudicijs ſecundùm ſubiectionem, & prædicationem.*

Materia .n. eſt ex qua res integratur remotè vt arbor materia ſcamni, & de qua proximè agitur, vt in enunciatione connexio prædicati, & ſubiecti de qua fertur iudicium; vtramquè habes in dictis. Forma eſt recta rei diſpoſitio ſecundùm ſuas partes, vt in Rhethorica diſpoſitio troporum, figurarum, ſententiarum, argumentorum &c. & argumentationis medij termini cum vtroq. extremo, vt infra. Argumentationis ſpecies ſunt *Syllogiſmus*, *Enthymema*, *Inductio*, & *Exemplum*.

Titu-

Titulus II.

Syllogiſmus.

85 EST *ſyllogiſmus oratio in qua quibuſdam poſitis aliud quoddam ab his, quæ poſita ſunt ex neceſſitate accidit, eo quod hæc ſint.*

Dicitur primò *oratio in qua quibuſdam poſitis* intellige Iudicijs, ſeu enunciationibus ad differentiam enthymematis, quod vnam, vel alteram præmiſſarum includit, quæ iudicia certa quadam ratione inter ſe per medium terminum connecti debent, quòd vim habeant inferendi cõcluſionem; dicitur ſecundò *aliud quoddam ab his, quæ poſita ſunt ex neceſſitate accidit*, quod aliud eſt concluſio, ſeu quæſtio dicta concluſa, quæ neceſſariò infertur, & ſequitur ex præmiſſis, ſi aptè ſint diſpoſitæ, & connexæ: tertiò, *eo quod hæc ſint*; quia iudicia præmiſſa, & antecedentia ſunt cauſa cur intellectus efformet tertium illud iudicium illatiuum, in quo conſiſtit concluſa quæſtio.

86 *Infero hinc primò, intellectum neceſſitari ab aſſenſu præmiſſarum ad aſſenſum concluſionis tum quo ad exercitium, tum quo ad ſpecificationem.*

Explico, & prob. Neceſſitari intellectum *ad exercitium* intelligo neceſſitari ad præbendum aſſenſum concluſioni, ità vt ſuſpendere actum nullatenus valeat, ſi ſemel præmiſſis conſentierit; *ad ſpecificationem* neceſſitari intellectum ad aſſenſum, vel diſſenſum poſitiuum concluſioni quidem obiectiuæ, quæ eſt ipſum obiectum, de quo diſcurrit intellectus per concluſionem formalem, quæ eſt ipſe actus, quo intellectus infert, & aſſentitur obiectiuæ.

Infero inquam, quia ex quibuſdam poſitis aliud quoddam neceſſariò ſequitur, ergò ex præmiſſis ſequitur neceſſariò concluſio, ergo ſicut ex præmiſſis obiectiuis ſequitur neceſſariò concluſio obiectiua, ita ex formalibus formalis, ergò poſitis præmiſſis formalibus ſequitur neceſſariò aſſenſus concluſionis.

Addo. Non poteſt intellectus quoad ſpecificationem verſari ſimul circa idem obiectum, nec poteſt quoad exercitium aſſentiri obiecto falſo, diſſentiri vero (obiectum enim aſſenſus eſt veritas, diſſenſus eſt falſitas, & intellectus eſt potentia neceſſaria) cum itaque per præmiſſas proponatur virtualiter ſaltem obiectum concluſionis, proponitur namque duo extrema eſſe idem vni tertio, ſi ſemel intellectus aſſenſum præbuerit præmiſſis, non poteſt quin aſſentiatur concluſioni.

87 *Infero ſecundò, quòd licèt intellectus deducat concluſionem eo quod ſint præmiſſæ, & neceſſitetur ab aſſenſu illis præſtito ad aſſenſum concluſionis, non tamen effectiuè, ſed merè formaliter concurrunt præmiſſæ ad aſſenſum concluſionis.*

Dixi *non effectiuè*, quia nullum efficientem influxum exhibent præmiſſæ in actum concluſionis, *formaliter* verò, quia informantes intellectum illuminant ad dignoſcendam concluſionis connexionem, adeo vt illi non aſſentiri non poſſit.

Ad hoc namque vt intellectus eliciat actum, quo concluſioni aſſentiatur, ſufficit ſi ponatur in vltimis diſpoſitionibus cum ſit potentia neceſſaria, in quibus certè ſtatuitur ſi ſemel aſſenſum dederit præmiſſis abſque vllo earum effectiuo concurſu; ad hoc enim vt intellectus ſit vltimò diſpoſitus ad aſſentiendum obiecto ſufficit ſi illi exhibeatur vel realiter, vel ſaltem apparenter vera connexio inter extrema obiecti aſſenſum petentis, ſed per præmiſſas exhibetur huiuſmodi connexio, vt probatum

batum eſt, ergo ipſis poſitis eſt vltimo diſpoſita mens ad annuendum concluſioni. Adde quòd nihil eſt, quod ſuadeat hunc effectiuum concurſum.

Dixi ſi intellectui exhibeatur vel realiter, vel ſaltem apparenter vera connexio extremorũ, quia poteſt decipi intellectus in aſſenſu præmiſſarum ſcilicet, ſi exhibeatur ſyllogiſmus ſophiſticus, propter quod noto,

88 *Diuidi ſyllogiſmum ratione terminorum, ratione præmiſſarum, ratione materiæ, & ratione formæ.*

Ratione terminorum totuplex eſt, quotuplex terminus, vndè alius eſt *expoſitorius, alius finitus alius rectus, alius obliquus &c.* ratione præmiſſarum, *alius ſimplex, alius hypotheticus, alius modalis &c.* ratione materiæ, intellige proximæ, *alius demonſtratiuus, alius topicus, alius ſophiſticus*, ratione formæ, *alius primæ, alius ſecundæ, alius tertiæ figuræ.*

Syllogiſmi primæ, & ſecundæ claſſis facilè dignoſcuntur, cæteros dilucido.

Syllogiſmi primæ figuræ, in quibus ita diſponitur medius terminus, vt ſemel ſubijciatur in maiori, & prædicetur in minori, vt in ſequenti. *Omne rationale eſt homo, omne riſibile eſt rationale, ergo omne riſibile eſt homo. Secundæ figuræ* in quibus prædicatur medius terminus in vtraquè præmiſſa; vt *omnis homo eſt animal, nullus lapis eſt animal, ergo nullus lapis eſt homo.* Tertiæ *tandem figuræ*, in quibus ſubijcitur medius terminus in vtraquè præmiſſa, vt *aliquis homo eſt albus, omnis homo eſt animal, ergo aliquod animal eſt album.*

Syllogiſmi Topici, ſeu probabiles, qui conſtant ex præmiſſis probabilem, vel neceſſariam, immò etiam falſam, probabilem tamen creditam, connexionem inferentibus, vt *quod non conſtat ex materia, & forma eſt corpus ſimplex, cælum non conſtat ex materia, & forma, ergo eſt corpus ſimplex.*

Sophi-

Sophiſtici tandem qui conſtant ex præmiſſis, vel apparenter ſolùm veris, vel apparenter ſolùm connexis, realiter tamen nec veris, nec connexis, quod oritur ex duplici ſophiſmorum genere *in dictione ſcilicet, vel extra dictionem*, vt dicunt. Syllogiſmus demonſtratiuus ſingularem petit locum; ideò,

Titulus III.

Demonſtratio.

89 EST *demonſtratio ſyllogiſmus conſtans ex præmiſſis veris, immediatis, notioribus, prioribus, cauſis concluſionis, & neceſſarijs*.

Veræ debent eſſe præmiſſæ veritate propria Iudicij, quia niſi veræ ſint, nec veritatem dare poſſunt concluſioni cum eius ſint cauſa, vt concluſ. 86. & 87.

Immediatæ immediatione cauſæ, & quidem actu non virtute, ſi perfecta debeat eſſe demonſtratio, hoc eſt, quibus non ſint aliæ priores, ſeu quæ ſint indemonſtrabiles per alias priores, ſi enim ſint immediatæ, vel immediatione ſubiecti, vel conſequentiæ perfectiſſimam non dabunt demonſtrationem. Dixi *actu, non virtute*; quia ſi debent eſſe indemonſtrabiles, & primæ ergo immediatæ actu.

Notiores, & priores, quod perinde eſt, & natura, & nobis: *Natura*, quia debent concluſionem cauſare, ergo ſecundùm ſe, & ex natura ſua notiores, & priores eſſe debent: *Nobis*, quia ignotum ex noto inferimus, ergo præmiſſæ ex quibus inferimus concluſionem ignotam notiores erunt nobis.

Neceſſariæ, quia ſi contingentes non poterunt parere concluſionem ſcientificam, quæ neceſſaria eſt; concluſio

ſio enim ſcientifica eſt neceſſaria connexio prædicati cum ſubiecto, ergo neceſſariam horum connexionem debent oſtendere præmiſſæ cum medio termino, ergo quòd ſint neceſſariæ.

Cauſæ conclusionis, hoc eſt contineant medium terminum, qui non ſit ſolùm cauſa cognoſcendi, ſed verè eſſendi prædicati concluſionis ex parte obiecti, vt ſit demonſtratio *propter quid*; quia ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere, propter quam res eſt, ſi ergo medius terminus ſit ſolùm cauſa virtualis, & non realis eſſendi prædicati concluſionis, concluſio non erit verè ſcientifica.

Duplex eſt demonſtratio *propter, Quid, & Quia*; hæc cum demonſtratur ignota cauſa per effectum notum, & dicitur à poſteriori, illa cum per cauſam notam demonſtratur ignotus effectus, & dicitur à priori, iuxta duplicem modum ſciendi à priori, & poſteriori propter quod adinuenta eſt demonſtratio. Prior hic deffinitur, quæ & potiſſima dicitur.

Hinc excluduntur primò omnes ſyllogiſmi Topici, & Sophiſtici, qui ad ſummum præmiſſas habent probabiles, vel apparenter connexas, ſecundo ſyllogiſmi Theologici, qui vt plurimum alterutram habent præmiſſam de fide, adeoq. concluſionem ſcientificam rarò poſſunt habere. Tertiò plurimi ſyllogiſmi Mathematici, qui licet dicantur demonſtrationes non ſunt tamen demonſtratio rigoroſa de qua hìc.

90 *Datur de facto Demonſtratio potiſſima.*

Sæpe enim ex præexiſtenti cognitione multa ſcimus, & alia deducimus modo verè ſcientifico, & probabitur ſi qua afferatur demonſtratio huiuſmodi ſit ergo. *Omnis cognitio rei per cauſam immediatam, & actualem eſt cognitio ſcientifica, & demonſtratiua, ſed cognitio qua cognoſco hominem eſſe admiratiuum, quia eſt rationalis eſt cognitio*

rei

rei per cauſam immediatam, & actualem, ergo cognitio qua cognoſco hominem eſſe admiratiuum, quia eſt rationalis eſt cognitio ſcientifica, & demonſtratiua.

91 *Vniuerſalius deffiniri poteſt demonſtratio ſyllogiſmus faciens ſcire.*

Tunc enim complectitur tamquam genus demonſtrationem quamcumquè, nam ſicut ſcientia præſcindit à ſcientia perfectiſſima, ſeu à priori, & à ſcientia à poſteriori, ita demonſtratio à propter *Quid*, & à *Quia*. *Syllogiſmus* ſtat loco generis, *faciens ſcire* loco differentiæ, etenim cæteri cuiuſuis generis ſyllogiſmi deffiniri poſſunt *ſyllogiſmus faciens opinari*.

92 *In quacumquè demonſtratione duæ neceſſariò præſupponuntur præcognitiones formaliter ſumptæ quid ſit, & an ſit, & tria præcognita Subiectum, Paſſio, ſeu Prædicatum, & Principia.*

Duæ *Præcognitiones formaliter*, quia materialiter tot ſunt quot præcognita, non enim datur cognitum ſine cognitione; nec cognitio ſine termino cognito; de hoc autem quocumquè cognoſci debet, an ſit, & quid ſit.

Duo ſunt, quæ ſciri debent in quacumquè re vt ſcientificè cognoſcatur; *An ſit, & quid ſit*; alterutro enim ignorato res neſcitur, ergo duæ ſunt præcognitiones formaliter, quia tot præcognitiones formaliter, quot præcognita formalia.

Rurſus, vt cognitionem ſcientificam habeam de quæſtione concluſa debeo cognoſcere prædicatum, & ſubiectum quæſtionis, vt eorum connexionem cognoſcere queam, hancque cognoſcere nequeo, niſi ea præcognoſcam, quæ huius ſcientiam pariant, ergo tria dicta præcognoſci debent, ergo tria præcognita.

93 *Abſit tamen à Philoſopho demonſtrante committi circulum Demonſtratiuum.*

Conſtitueret enim duo æquè priora, & poſteriora, notio-

notiora, & ignotiora per ſe, & nobis, quæ Philoſophico dictamini repugnant; Sequela eſt clara ex deffinitione diſcuſſa demonſtrationis potiſſimæ.

Adde, quòd tria requiruntur ad circulum demonſtratiuum, quem vitioſum appellant; Primò, quòd ſinguli ſyllogiſmi circulum committentes ſint demonſtratio propter *Quid*; Secundò, quòd idem ſit, quod demonſtratur, & demonſtrat; Tertiò, quòd vtraque concluſio demonſtretur per idem genus cauſæ.

94 *Ex deffectu harum condit: onum ſit regreſſus demonſtratiuus, in quo non peccat Philoſophus, ſed cognitionem ſcientificam corroborat.*

Vt ſi quando effectum per cauſam probauerit aliàs notam, aliunde tamen notiorem habeat effectum, eumquè aſſumat ad demonſtrandam eandem cauſam ſibi notam, ex. gr. ſi probaſſes riſibile per rationale, eoquè iterùm aliundè cognito vtereris ad demonſtrandum rationale; Quem modum procedendi quis vetat, cum ſemper ſit per notius ad minus notum?

Titulus IV.

Enthymema, Inductio, & Exemplum.

95 **E**ST *Enthymema ſyllogiſmus imperfectus, in quo ex alterutra præmiſſarum, altera in animo retenta, concluſio deducitur, vnde dici poteſt Oratio, in qua quodam poſito, aliud quoddam ab eo quod poſitum eſt, infertur.*

Patet ex deffinitione ſyllogiſmi. Semper autem, quod ponitur in Enthymemate dicitur antecedens abſolutè, vel præmiſſa, e. c. *Petrus eſt riſibilis, ergo eſt homo.*

96 *Inductio eſt proceſſio à ſingularibus ſufficienter enumera-*

meratis ad concluſionem vniuerſalem.

Hoc eſt ; eſt argumentatio in qua ex eo, quod aliquod prædicatum conueniat, vel non conueniat omnibus indiuiduis alicuius ſpeciei, vel omnibus ſpeciebus alicuius generis inferimus vniuerſaliter conuenire toti generi, vel ſpeciei.

Reducuntur tamen ad ſyllogiſmum perfectum huiuſmodi argumentationes imperfectæ per regulas proportionatas, & quidem *Inductio* per additionem minoris præmiſſæ, quæ conſtrui ſolet ex ſubiecto concluſionis, & ſubiecto antecedentis, vt ſi habeam hanc inductionem *Leo eſt animal, Equus eſt animal, Homo eſt animal &c. ergo omne, quod mouetur eſt animal*, & ſic conſtituam ſyllogiſmum *Leo, Equus, Homo &c. eſt animal, ſed omne quod mouetur eſt vel Leo, vel Equus, vel Homo &c. ergo omne, quod mouetur eſt animal*. Facilius tamen per regulas Enthymematis.

Et prima eſt, ſi in enthymemate idem ſit ſubiectum antecedentis, & conſequentis, vel ſi idem ſit prædicatum antecedentis, & ſubiectum conſequentis, tunc enim deeſt mai. præmiſſa : aſſumendum eſt ergo, ſi primum, prædicatum vtrumque, ſi ſecundum, ſubiectum antecedentis, & prædicatum conſequentis ; Sint exempla *Petrus eſt riſibilis, ergo Petrus eſt homo. Omne riſibile eſt homo, Petrus &c.* vel *omne riſibile eſt homo, ergo omnis homo eſt rationalis*, & fiat *omne riſibile eſt rationale, omne riſibile &c.*

Secunda, ſi idem ſit prædicatum antecedentis, & conſequentis, vel ſi idem ſit ſubiectum antecedentis, & prædicatum conſequentis, tunc enim deeſt minor, quæ fiet, ſi primum, ex ſubiecto vtroque, ſi ſecundum, ex ſubiecto conſequentis, & prędicato antecedentis, exemplum ſtatuo *omnis homo eſt riſibilis, ergo Petrus eſt riſibilis*, & fiat *omnis homo eſt riſibilis, Petrus eſt homo &c.*

vel *nullus homo eſt rugibilis, ergo nullus leo eſt homo*, & fiat *nullus homo eſt rugibilis, omnis leo eſt rugibilis, &c.* Cætera ex his patent.

97 *Exemplum deniquè eſt argumentatio in qua ab vno, vel altero ſimili nobis noto, ignotum inferimus.*

Nempe ex eo, quod vno, vel altero ſimili caſu, vel effectu alias noto aliud, quod ignoro, an ſit, nec ne, vel futurum, an non, ſi ex. ca. dubitem, an legendo defatigandum ſit caput, & probo à ſimili.

Addere placet Dilemma, & fit cum volumus negare, aut affirmare totum quod dicit aliquod prædicatum de ſubiecto, & aſſumimus eius membra, hiſque negatis, aut affirmatis concludimus de toto, quod ſi membra diuidentia ſint pluſquàm duo dicitur trilemma, & ſic deinceps, vt *ſi eſt ſubſtantia, aut ſpiritualis, aut corporea, neutra eſt, ergo non eſt ſubſtantia.*

Titulus V.

Tertia Operatio Intellectus.

His omnibus modis exequitur tertia mentis operatio, quæ diſcurſus dicitur, & eſt veluti mentalis quidam curſus, quo intellectus ab vno, vel pluribus notis tranſcurrit ad aliquod ignotum, cum quo notiora illa habent connexionem aliquam, ita vt remotè ſupponat apprehenſionem, proximè vnum, vel plura iudicia iam dicta; Vnde

98 *Diſcurſum placet deffinire quòd ſit actus, ſeu cognitio veritatis vnius per aliam, & poſt aliam.*

Dicitur *cognitio, ſeu actus vnius veritatis*, hoc eſt alicuius obiecti, vt genericè conueniat cum prima, & ſecunda operatione: *Per aliam, & poſt aliam*, vt ſpeci-

ficè diſtinguatur ab alijs operationibus. Dicitur autem *per aliam, & poſt aliam,* quod idem eſt per alias, & poſt alias, ſunt enim connexiones eſtremorum cum medio termino iam explicatæ; *Per aliam*, vt oſtendatur quod per præmiſſas tanquàm per cauſas ducatur intellectus ad aſſenſum concluſionis, & *Poſt aliam*, vt videas, quod diſcurſus ſupponit neceſſariò, vel alterutram, vel ambas præmiſſas.

99 *Hinc infero diſcurſum formaliter non includere præmiſſas, & Concluſionem, ſeu non eſſe actum ſimul præmiſſarum, & concluſionis, ſed eſſe actum formaliter conſiſtentem in iudicio illatiuo.*

Quia, ſi conſiſtit in cognitione vnius veritatis per aliam, & poſt aliam, ergo non poteſt eſſe actus vtriuſq. veritatis; ergo non poteſt eſſe actus veritatis præmiſſarum, & concluſionis; ergo ſolius concluſionis, ergo actus iudicij illatiui.

Confirm. primò aliàs non diſtinguitur actus humani diſcurſus à diuina cognitione, eſſet enim actus humanus realiter præmiſſarum, & concluſionis, ergo virtualiter æquiualens pluribus actibus, & iudicijs diſtinctis æquè, ac cognitio diuina de hac concluſione *omnis homo eſt viſibilis*. Secundò, præmiſſæ formales ſunt cauſæ ſaltem formales concluſionis formalis, ergo actus concluſionis formalis nõ poteſt eſſe actus præmiſſarũ. Tertiò, paritate aliarum operationum. Quartò, ex vtraq. præmiſſa falſa interdum ſequitur, & infertur verum, vt facilè patet in ſequenti ſyllogiſmo in *Cameſtres*. *Omnis lapis eſt homo, Nullum animal eſt homo, ergo nullum animal eſt lapis*, ergo idem actus tunc non poteſt eſſe actus præmiſſarum, & concluſionis, aliàs idem actus eſſet verus, & falſus, erit ergo actus ſolius iudicij illatiui, quidquid ſit, an poſſit dari actus, qui adæquatum diſcurſum repræſentet,

100 *Ad perfectum diſcurſum non requiritur cognitio reflexa de bonitate conſequentiæ.*

Ideſt, dum præmiſſas habes aptè diſpoſitas non requiritur neceſſariò cognitio, qua reflectas benè, vel malè ſequi ex datis præmiſſis Concluſionem.

Ratio eſt, quia iudicia quibus intellectus iudicat connexionem extremorum cum medio termino ſufficienter illuminant, & determinant intellectum ad iudicium illatiuum, ſeu ad vnienda extrema in Concluſione, fundatur enim vniuerſaliter intellectus in eo quod, *quæ ſunt eadem vni tertio ſunt eadem inter ſe*, ergo quiuis alius actus præter duo dicta iudicia, & iudicium illatiuum, ſeu conſequentis, eſt omninò ſuperfluus.

101 *Actus in quo formaliter conſiſtit diſcurſus non attingit formaliter obiectum præmiſſarum.*

Senſus eſt, quando intellectus aſſentitur huic Concluſioni, *ergo omnis homo eſt riſibilis*, non attingit formaliter hoc totum, *ergo omnis homo eſt riſibilis, quia omnis homo eſt rationalis, & omne rationale eſt riſibile*: in hoc ſyllogiſmo *omne rationale eſt riſibile, omnis homo eſt rationalis, ergo omnis homo eſt riſibilis*, quia alio modo non attingit, vt patet ex 99.

Prob. primò, quia medius terminus numquam ingreditur concluſionem, nec ſyllogiſmi vocalis, nec mentalis, ille enim eſt huius communicatio, expræſſio, & ſimilitudo vocalis. Secundò, diſcurſus eſt actus iudicij illatiui, vel ſimplicis, vel hypothetici cauſalis, vt ſi dixero, ergo *Petrus eſt riſibilis*, vel *ergo Petrus eſt riſibilis, quia eſt rationalis*, ſi autem attingeret diſcurſus obiectum præmiſſarum modo dicto, numquam poſſem habere actum iudicij illatiui ſimplicis, quod certè nulla ratione ſuaderi poteſt. Tertiò, experiatur vnuſquiſque Logicus vtrum concludens hæc omnia obiecta repetat, & certè videbit, quod non: immò ſæpè plures deducimus

mus concluſiones ex ijſdem præmiſſis, abſque eo, quod nec recogitemus de obiecto præmiſſarum; Tandem non modò non leuis eſt nota in ſyllogiſmo mentali ad obiectum præmiſſarum redire, & nouis iudicijs ſaltem partialibus iudicium illatiuum confundere, ſed etiam grauiſſima, ſi in vocali ſyllogiſmo exprimatur. Hæc ſtrictim deffinij pro directione trium operationum intellectus Philoſophum agens rationalem, cum Animaſticum geſſero, cætera de hiſcè actibus.

CONCLVSIO LOGICÆ.

Titulus Vnicus.

Scientia, & Opinio.

SCientiam parit Demonſtratio, opinionem Syllogiſmus Topicus: de vtraquè pro vt ad hunc locum pauca.

102 *Scientia igitur, ſtrictè pro vt effectus demonſtrationis potiſſimæ eſt cognitio rei per cauſam, per quam res eſt, & quod illius cauſa eſt, & non contingit aliter ſe habere.*

Dicitur primò *cognitio*, adde *intellectiua*, vt excludantur à ſcientia formali cognitiones ſenſitiuæ, licèt aliundè inſeruiant ad cognitionem intellectiuam ſcientificam. Secundò, *rei per cauſam*, quod duo genera cognitionum excludit à ratione ſcietię, cognitioné nempè primorũ principiorũ, cum aliud ſit cauſam rei cognoſcere, aliud rem per cauſam, & alias cognitiones probabiles, & opinatiuas, vel etiam ſcientificas, ſed à poſteriori deductas. Tertiò, *per quam res eſt*, ideſt per cauſam rei in eſſendo, non in cognoſcendo tantum. Quartò,

tò, *& quod illius cauſa eſt*, non quod in actu ſignato debeat intellectus reflectere de bonitate conſequentiæ, ſed quod debeat cognitio ſcientifica verè cauſari à præmiſſis modo dicto. Quintò, *& non contingit aliter ſe habere*, quia obiectum ſcientificum debet eſſe obiectum neceſſarium inuariabile, & certum.

103 *Pro vt tamen ſcientia generice complectitur ſcientiam vtriuſque Demonſtrationis deffiniri poteſt cognitio intellectus diſcurſiua vera, euidens, & certa, quæ non poteſt aliter ſe habere.*

Cognitio Diſcurſiua ne ſcientificas cognitiones credas cognitiones primorum principiorum; *Vera euidens, & certa*, procedens per præmiſſas veras, euidentes, & omnem formidinem excludentes, cætera, vt iam.

104 *Datur de facto ſcientia per diſcurſum demonſtratiuum acquiſita; loquor in vtroque ſenſu.*

Prob. quia nihil deeſt ad huiuſmodi cognitionem ſcientificam, aut ex parte obiecti ſcibilis, aut ex parte intellectus cognoſcentis; non ex parte obiecti ſcibilis, quia ſi res ſecundùm eſſentias earum conſiderem habeo eſſentias, & paſſiones ſecundùm quas inuariabiles ſunt, & neceſſariæ, ergo & eſſentiam per proprietatem, & proprietates per eſſentiam potero demonſtrare, ergo cõſequentia deducta erit ſcientia: Nec ex parte intellectus cognoſcentis, quia cognitio ſcientifica non excedit intellectum creatum; & licet dependeat in ſuis operationibus à ſenſibus; non tamen ſemper falluntur, ſed ſæpè cognoſcunt res ſicut ſunt, ergo euidenter ducere poſſunt intellectum ad cognitionem ſcientificam.

Confirm. argumento ad hominem, vel ſcis dari, vel neſcis; ſi neſcis ignoranter negas, ſi ſic, ergo ſcis, ergo datur ſcientia: Deniquè conſule experientiam, & tot inuenies concluſiones demonſtratas in Arithmetica, Geometria, Philoſophia etiam Naturali, & Rationali;

viiam ſubdam *Quoties habeo cognitionem rei per cauſam &c. habeo cognitionem ſcientificam, adeoquè veram ſcientiam, ſed dum cognoſco riſibile per rationale, habeo cognitionem riſibilis per rationale quod eſt cauſa &c. ergo dum habeo cognitionem riſibilis, habeo cognitionem verè ſcientificam*, ergo datur vera ſcientia.

105 *Eſt de nouo acquiſita, & non eſt ſimplex reminiſcentia.*

Prob. quia ſi eſt reminiſcentia, ergo datur in anima antequam corpori infundatur, vel ergo infuſa, vel acquiſita, vel innata; non infuſa, quia hæc ſpeciali gratiæ adſcribitur, de qua non cõſtat. Non acquiſita, quia primum inſtans creationis animæ eſt primum infuſionis, & vnionis eiuſdem cum corpore, quandonè ergo ſcientiam acquiſiuit? Non deniq. innata, quia vndè habes animæ ex natura deberi omnium rerum ſcientiam? & ſi innata quomodo per vnionem cum corpore oblitteratur? Si ſemel deleta, cur non aliquando recordamur rerum, quas diſcimus, ſcientificam, & innatam habuiſſe cognitionem? Tandem ſi innata, quomodò cognitio rei per cauſam, ſeu cognitio diſcurſiua, quæ neceſſario importat illationem ignoti ex noto? Quæ repugnantia animæ cum corpore, quòd per vnionem illi maximè naturalem teneatur omnium obliuiſci? Da ergo eſſe cognitionem de nouo acquiſitam, non reminiſcentiam.

106 *Veritas cognitionis ſcientificæ conſiſtit in ſumma illius conformitate cum obiecto; Certitudo in firma adhæſione intellectus obiecto talis cognitionis abſque formidine, quòd aliter poſſit ſe habere; Euidentia denique in tali claritate, quæ intellectui repræſentata eò conuincit, vt non poſſit obiecto propoſito non aſſentiri.*

Veritas eſt eadem indiuiſibilis, de qua concluſ. 76. Certitudo triplex, ſicut & euidentia, *moralis* qua certus ſum, & euidenter ſcio exiſtere Romam ex atteſtatione

tot

tot virorum prudentum, ita tamen, vt res poſſit naturaliter aliter ſe habere; *Phyſica*, qua certus ſum, & euidenter ſcio ignem comburere, lapidem grauitare, ita tamen, quòd res poſſit ſaltem ab Authore naturæ immutari, & *Metaphyſica*, qua ita certus ſum, & ſcio rem ſe habere, vt nec diuinitùs aliter poſſit conſtitui; vt dum ſcio hominem eſſe animal rationale.

107 *Hinc facilè colliges certitudinem, & euidentiam ſuſcipere magis, & minus, atque adeo non poſſe quidem actum ſcientificum eſſe magis, vel minus verum, poſſe tamen eſſe magis, vel minus certum, & euidentem.*

Quia veritas conſiſtit immediatè in conformitate actus cum obiecto, certitudo vero, & euidentia dependet à principijs, & præmiſſis, quo igitur hæc firmiora erunt, & clariora, eo certiorem, & clariorem cauſabunt concluſionem; quis autem dubitet, quin certior, & clarior ſit Philoſopho, quàm Ruſtico hoc principium *omne graue tendit deorſum?* Latiùs tamen patet certitudo, quàm euidentia, quia certitudo actui quoque fidei tribuitur, euidentia ſoli ſcientiæ; vndè omnis euidentia eſt etiam certitudo, non omnis certitudo eſt euidentia.

108 *Scientiæ potiſſimæ eſſentialis eſt certitudo, & euidentia Metaphyſica; ſcientiæ inferiori euidentia, & certitudo mediata.*

Prima pars eſt certa, & clara ex concl. 102. ſecundam explico, & probo; Euidentiæ, & certitudinis mediatæ nomine intelligo firmitatē, & claritatem acquiſitam de obiecto per aliud, cum quo neceſſariam connexionem habet obiectum cognitum, ſi igitur detur actus concluſionis de obiecto ſine hac euidentia, & certitudine erit cum aliqua formidine, ergo non erit actus ſcientificus. Inſuper euidentia diſtinguit ſcientiam à fide, & opinione, ergo eſt illi eſſentialis.

109 *Scien-*

109 *Scientia rigoroſa non eſt niſi de rebus incorruptibilibus, inuariabilibus, & æternis.*

Deducitur ex antecedentibus, quia cognitio ſcientifica eſt cognitio vera, certa, & euidens, ergo de obiecto vero, certo, & euidenti, ergo incorruptibili, inuariabili, & æterno; hæc conſeq. eſt certa, prob. prima; quia cognitio eſt formalis repræſentatio obiecti cogniti, ergo illi conformis, ergo qualis eſt cognitio tale ſupponitur obiectum; ſic patet à poſteriori: à priori; ſolum obiectum incorruptibile, inuariabile, & æternum eſt ſcibile; quod enim aliter poteſt ſe habere non poteſt niſi contingentem parere cognitionem. De habituali alibi.

110 *Opinio eſt aſſenſus probabilis ex medio connexionem aliquam habente cum obiecto cui exhibetur.*

Seu eſt *cognitio præbens aſſenſum*, & hactenus conuenit cũ ſcientia; *ex medio connexionem aliquam*: aliquam quidem non neceſſariam, vel ſaltem non cognitam vt neceſſariam; per quod differt à ſcientia.

111 *De ratione opinionis eſt formido radicalis non formalis.*

Formido eſt in intellectu, non in obiecto; *Formalis* eſt cum ita aſſentitur mens obiecto per vnum actum, vt per alium dubitet res nè ſit ſic, vel ſe habeat aliter atqui iudicat intellectus; *Radicalis* cum aſſentitur intellectus obiecto ex motiuo tali, quod illum non conuincat; ſed debiliter moueat ad aſſenſum.

Hæc ergo eſt de ratione opinionis, quia ſemper actus opinatiuus eſt ex medio fallibili, & debili; non tamen ſemper habet intellectus actum, quo dubitet rem aliter ſe habere, atqui iudicat, vt patet in ijs, qui ita mordicus ſuis adhærent opinionibus, quod eas, ſi non ſcientificas dicant cognitiones, adeo tamen certas, credant, & prædicent, quod vt dogmata Philoſophica ſuſtineant.

PHI-

PHILOSOPHIA NATVRALIS DEFFINITA.

PHiloſophiæ Naturalis nomine venit diſciplina, quæ res naturales, & ſenſibiles ſpeculatur; res ſcilicet abſtractas quidem à materia ſingulari, ſeu ſignata, immerſas tamen materiæ ſenſibili ſimpliciter tàm ſecundùm rationem, quàm ſecundùm eſſe. Huius obiectum, & natura primò diſquirenda.

Titulus I.

Philoſophia Naturalis.

1 EST *vera Scientia.*

Prob. & primò, quià licèt plures habeat concluſiones probabiles, & ſolùm opinabiles, plures tamen, & præcipuas habet etiam ſcientificas, in quibus paſſiones, & proprietates non paucas de corpore naturali demonſtrat. Ex oppoſito, res naturales, ſeu corpora naturalia, vt naturalia habent omnia requiſita ad hoc vt ſcientificè cognoſcantur, habent enim ſuas eſſentias incorruptibiles, & inuariabiles, de quibus demonſtrari poſſunt paſſiones, partes, principia, & cauſæ, ergo ea diſciplina, cuius erunt obiectum erit vèrè ſcientia, ergo Phyſica erit vera ſcientia, hoc eſt erit cognitio intellectus diſcurſiua vera, euidens, & certa.

2 *Eſt ſcientia ſimpliciter ſpeculatiua.*

Eſt enim habitus facilitans intellectum ad diſcurrendum circa corpus naturale, & eius paſſiones, nec quidquam

quam dictat de opere faciendo, ſed factum meditatur, atquè in ſola illius contemplatione quieſcit.

Titulus II.

Eius Obiectum.

3 **O**Biectum naturalis Philoſophiæ non eſt ſubſtantia naturalis vt ſic.

Ratio eſt, quia tale obiectum debet eſſe ſenſibiliter ſenſibile, ita vt ſecundùm ſe, ſeu ipſum ſit ſenſibile, ſed ſubſtantia in communi, complectitur etiam Angelos, qui ſecundùm ſe, ſeu ipſi non ſunt ſenſibiles, immò nec ſecundùm motum localem, qui ſenſibus non exponitur; ergo &c. mai. habeo inde, quòd obiectum Phyſicæ eius debet eſſe naturæ, vt de ipſo probari ſaltem poſſit paſſio aliqua ſenſibilis per medium ſenſibile, ergo quod ſit ſenſibile ſecundùm ſe, ſeu ipſum; res enim eſt obiectum ſcientiæ non vt res, ſeu vt ens, ſed vt ſcibilis, ergo per medium proportionatum ſcientiæ, ergo obiectum Philoſophię naturalis per medium ſenſibile; min. ex eo, quod Angelica ſubſtantia nonniſi merè obiectiuè concernit materiam ſenſibilem; eſt enim omnino ſpiritualis, & ab omni materia etiam intelligibili abſtracta; igitur non eſt ipſa ſenſibilis.

Dices: eandem eſſe rationem de anima rationali.

Primò tranſeat, valet enim ergo ſubſtantia naturalis vt ſic non eſt obiectum Phyſicè. Secundò, diſpar eſt ratio, quia anima rationalis materiam concernit terminatiuè ſubiectiuè, hoc eſt tanquam actus ſubiectum informationis, ita quòd nec concipi, nec deffiniri queat ſinè ordine ad corpus organicum, ſeu ad materiam.

4 *Nec eſſe poteſt ens mobile vt ſic, aut etiam ens mobile* com-

completum pro vt abſtrahit à ſubſtantiali, vel accidentali.

Primum patet, quia ens mobile vt ſic inuoluit etiam accidentia, & quæuis entia materialia, & corporea inadæquata, & incompleta, quæ conſiderantur *vt quò*, atque in ordine ad aliud videlicet ad totum ſubſtantiale completum; obiectum verò ſcientiæ debet eſſe, quod ſuas habet paſſiones, & quod ſignatè, ac propter ſe conſideratur; ergo &c.

Secundum ſuadetur facilè, quia obiectum vt obiectum Phyſicæ, immò cuiuslibet ſcientiæ conſideratur propter ſe, & vt quod, non vt quo, & propter aliud, ſed ens mobile completum vt abſtrahens à ſubſtantiali, & accidentali complectitur concretum accidentale, quod vt quo, & in ordine ad ſubſtantiale conſideratur; ergo &c. Accedit, quòd concretum accidentale non eſt ens mobile completum, accidens enim in ſubiecto relinquit materiam in potentia ad vlteriorem formam, immò eſt id quo diſponitur materia ad vlteriorem formam, hoc eſt ad formam ſubſtantialem, nec vnquam expetitur à natura propter ſe.

5 *Obiectum attributionis Phyſicæ eſt corpus naturale completum.*

Conſtat ex dictis, quia obiectum attributionis illud eſt de quo per ſe agitur in ſcientia, & ad quod cætera omnia, quæ in ea occurrunt, ordinantur, cuiuſmodi eſt ſolum corpus naturale completum, per ſe enim conſideratur à Phyſica; item materia, forma, vnio, motus, locus, & cætera omnia ad ipſum ordinantur tamquam partes, paſſiones, principia, vel cauſæ, ergo &c.

Dixi *corpus naturale completum*; Primò, vt excluderem accidentia, quæ corporea ſunt, ſed non corpora; item materiam, & formam, quæ licèt corpora ſint, ſunt tamen incompleta, & partes potiùs corporis dicendæ,

quam

quam corpus. Secundò, vt in obiecto Phyſicæ includerem etiam corpus completum ſimplex, pro vt mixtionem excludit, vt quattuor vulgata elementa, & pro vt opponitur compoſito (ſi eſt poſſibile) vt volunt aliqui de facto eſſe Cælum. Tertiò, *corpus naturale, non ens mobile completum*, quia clariùs exprimitur ſubſtantia completa per corpus naturale, quàm per ens mobile, cum magis pateat hoc quàm illud; immo per ens mobile completum magis poteſt intelligi ſola materia, quàm totum compoſitum, cùm materiæ in ratione entis mobilis nihil deſit, eſt enim mobilis per ſe, non per formam; Tandem clarius exprimitur Phyſicæ obiectũ per *naturale, quàm per mobile*, quia illud ſignificat corpus habens naturam, quæ ſit principium intrinſecum paſſionum, quas conſiderat Phyſica; hoc verò mobilitatem intrinſecam potiùs, quàm extrinſecam non exprimit.

6. *Cætera Phyſica ſunt obiecta attributa.*

Sequitur ex antecedentibus.

7 *Ratio formalis Obiecti Phyſici eſt corpus naturale, vt naturale.*

Prob. quia hæc ratio diſtinguit formaliter obiectum Phyſicum ab obiectis aliarum ſcientiarum, quæ circa corpus naturale verſantur, vt ab obiecto Medicæ, quæ meditatur vt ſanabile, Matheſis, vt menſurabile, Methaphyſicæ vt ens. Inſuper ea ratio ſpecificat obiectum ſcientiæ, quæ ſpecificat principium paſſionum, & immediatè attingitur ab ijs de quibus talis ſcientia, huiuſmodi autem eſſe *naturale qua tale* in ordine ad Phyſicam, quis neget?

Hinc diuiditur naturalis Philoſophia quattuor præſertim in partes ex quadruplici præcipuo obiecto. Prima eſt *de Corpore naturali in communi*; Secunda *de corpore naturali incorruptibili*; Tertia *de Corruptibili, inanima-*

nimato; Quarta *de Animato*. Dixi in has partes præſertim diuidi, quia ſingulæ rurſus in alias inferiores partiuntur, iuxta illarum partialia obiecta.

PRIMA PARS PHYSICÆ.

A Priori dignoſcitur natura rei per eius principia, & cauſas, ab his igitur exordior.

Titulus I.

Corporis Naturalis Principia.

8 PRincipium in communi eſt, id Primum, vnde aliud ſequitur.

Id Primum vniuerſaliter pro omni eo, à quo aliud habet eſſe, ſiue ſit ſubſtantia, ſiue ſit accidens, aut ſit abſolutè primum, ita quod ante ſe aliud non ſupponat, qualis eſt D. O. M. aut ſit primum in aliquo determinato genere, vt Iecur venarum, aut primum quatenus dat tale eſſe, & hoc in ſenſu hic principium, eſtquè omne illud, quod alteri dat eſſe. *Vnde aliud ſequitur*, hoc eſt accipit eſſe quoquo modo id fiat, non è contra.

9 *Quæ tamen corpus naturale principiant ea ſunt, quæ neque ex alijs, neque ex alterutris, ſed ex his omnia.* Hoc eſt, principia naturalia, *quæ neque ex alijs* fiant in ea ratione, qua cætera ex ipſis fiunt; *neque ex alterutris*, quia alterum ex altero non ſequitur in eadem ſaltem ratione, vt in forma, quæ fit ex materia; Ex ipſis tamen ſequuntur omnia naturalia, quæ naturali motu

10 *Prin-*

10 *Principia corporis naturalis, prout Phyſicæ mutationi ſubiacet, ſeu in fieri ſunt ea tria terminus à quo, terminus ad quem, & ſubiectum, in facto eſſe ſubiectum, & forma.*

Eſt autem mutatio *tranſitus alicuius ex quodam, in quoddam*; *Tranſitus* dicit motum; *alicuius* dicit ſubiectum tranſiens; *ex quodam* terminum à quo, *in quoddam* terminum ad quem. Quod ſi mutatio ſit poſitiua, vel fiat à non eſſe ad eſſe rei, terminus à quo eſt *Priuatio*, & ad quem eſt *Forma*, ſeu eſſe rei; ſi priuatiua, hoc eſt ab eſſe ad non eſſe rei, terminus à quo eſt *Forma*, ad quem *priuatio*, *ſubiectum* verò ſemper eſt idem: hìc de poſitiua. Tria ergo hæc deffinienda.

Eodem labore ſuadetur vtrumquè aſſumptum: Illis tribus habitis habetur formaliter fieri rei, ipſis deffi- cientibus defficit formaliter fieri rei: pariter illis duobus inexiſtentibus res perſeuerat, abeuntibus, vel ambobus, vel alterutro res corrumpitur, ergo in his ſtat formaliter fieri, & factum rei; fieri enim eſt tranſitus dictus, factum eſt intrinſeca rei conſtitutio ex vtroque dicto.

Titulus II.

Materia Prima.

QVæ deffinita ſunt principia corporis naturalis Forma ſcilicet, Materia, & Priuatio, nunc ſingulatim.

11 *Eſt materia primum ſubiectum vniuſcuiuſquè, ex quo fit aliquid, cum inſit, non ſecundùm accidens, & ſi corrumpitur aliquid in hoc abibit vltimum.*

Subiectum hoc eſt potentia receptiua nullo prorſus

actu

actu Phyſico ditata, vndè ſolet dici *Pura Potentia Phyſica*; *Primum* excludens ante ſe quamcumquè aliam potentiam receptiuam, aliàs hæc non eſſet prima; *Vniuſcuiuſquè* actus, ſeu formæ, vel ſubſtantialis, vel accidentalis, quod vel per ſuſtentationem præbet vt in omnibus formis materialibus de illa eductis, vel per informationem, vt in formis creatis ſiue ſpirituales ſint, ſiue corporeæ; *Ex quo fit aliquid* tanquàm ex ſuſtentante generationem, & tanquam ex comparte ſubiectiua intrinſecè conſtituente, fit compoſitum ſubſtantiale; vndè colligitur eius munus eſſe ſubijci Phyſicæ mutationi; *Cum inſit* per intrinſecam ſuæ entitatis exhibitionem, per quod diſcriminatur à Priuatione, Efficiente, & Fine; *Non ſecundùm accidens*, quia per ſe fit totum ex materia; quæ deniquè in totius corruptione remanet incorrumpta, & additur ideo, *& ſi corrumpitur aliquid &c.*

Dixi materiam potentiam receptiuam actus vel per ſuſtentationem, vel per informationem, quia in ordine ad diuerſos actus diuerſæ ſunt rationes ſubiecti; ſi enim Forma eſt Sùbſtantia, vel accidens abſolutum independenter à ſubiecto productum illi tamen vnitum, *Informationis* ſubiectum dicitur; ſi actus ſit ſubſtantia de potentia ſubiecti educta, ſubiectum dicitur *Suſtentationis*; ſi accidens abſolutum item de ſubiecto eductum, dicitur *Inhæſionis*; ſi actus ſit accidens modale ſiue de ſubiecto eductū, ſiue non, dummodo illud afficiat, dicitur *adhæſionis*. Et quoniam fit, quod aliquando ſortiatur ſubiectum denominationem aliquam à forma etiam in illo non inexiſtente, vt *Viſi* Paries à viſione, dicitur etiam *Denominationis*.

12 *Quod dicitur Materiam eſſe puram potentiam receptiuam ad omnes actus Phyſicos ſaltem ſubſtantiales ponitur ad exponendam eius differentiam eſſentialem ita vt*

materia in ſe nihil aliud ſit, quàm ſubſtantia incompleta potens eſſentialiter recipere actus Phyſicos.

Potens eſſentialiter *recipere, non ſubſtentare*, quia non eſſentialiter de eius potentia educitur quælibet forma, quam recipit, vt in homine, vel etiam, quia actus materialis v. g. lapidis quis vetat creari, illique vniri?

Nam per hoc, quod materia ſit ens incompletum, ſeu ſubſtantia incompleta conuenit cum accidente, & forma ſubſtantiali, ergo vt differat eſſentialiter dicit talem potentiam; Inſuper; quid quid concipias in eſſentia materiæ ſine hac potentia eſt ſuperuacaneum, & quid quid ab ea tollas relicto, quòd ſit ſubſtantia potentialis ſatis eſt ad eſſentiam materiæ, ergo potentia erit eius differentia eſſentialis. Rurſus; non ſecus ſe habet materia ad totum in eſſe ſubſtantiali potentiali, ac forma in eſſe actus, at hæc non dicit rationem actus diſtinctã, immò eſt eius differentia eſſentialis, igitur & illa materiæ, nec eſt vel aſſignabilis diſparitas. Deniquè; quouis accidente etiam proprio à materia detracto potens eſt materia totum per ſe conſtituere; non niſi vt potentia; ergo &c. Quin ſi per potentiam diſtinctam conſtitueret, non faceret ens per ſe; ergo &c.

13. *Euidens eſt Philoſopho Naturali dari de facto huiuſmodi Materiam Primam, quæ ſit Primum ſubiectum ſubſtantiale ſubſtantialis motus, ex quo omnia Phyſica compoſita naturaliter gignuntur.*

Euidentiam oſtendo; primò quia nihil euidentius, quàm dari ſubſtantialem mutationem, qua antiquæ ſubſtantiæ in nouas tranſeunt, vt cum in ignem tranſit lignum, ergo etiam euidens eſt dari aliquod ſubiectum huius mutationis, hoc non eſt vel accidens aliquod, vel forma, ſeu ſubſtantia formalis alterutra ligni, vel ignis, aut aliarum ſubſtantiarum tranſeuntium, ergo

aliud

aliud ſubiectum ſubſtantiale, & Primum, ergo materia Prima. Min. prob. accidens ex natura ſua dicit alteri accidere; Subſtantia formalis ligni corrumpitur, accedente ſubſtantia formali ignis, hæc verò numquam coniungitur cum ſui priuatione, ergo ſubſtantia quædam incompleta ambobus communis, & ſubiectiua, quæ ab altera priori in eo genere non dependeat, ergo, quæ ſit prima; *Incompleta*, quia ex ente completo non fit ens per ſe; *Subiectiua*, quia ex actu, & actu non fit, ſeu ex pluribus ſubſtantijs formalibus non cogitur vnum per ſe; diuerſa ab illis, quia ſi eſſet idē, idem eſſet quod erat, & fit de nouo; *Prima*, quia ſi aliam ſuppo-nit, eam dico Materiam primam; & ſi nec illa, ergo proceſſus in infinitum.

Secundò, ſubſtantia formalis ignis, & ligni non pugnant pro vt ſunt à parte rei, aliàs productio vnius ignis exigeret deſitionem omnium lignorum; non ratione loci, quia productio ignis non eſſet vera, & noua mutatio ſubſtantialis, ſed localis expulſio; ergo pugnant ratione communis ſubiecti, altera vt detineat, altera vt adipiſcatur, ergo datur hoc commune ſubiectum.

Tertiò, in hoc differt naturalis generatio, & corruptio à creatione, & annihilatione, quod illa eſt ex præexiſtente ſubiecto ſubſtantiali; cum ergo gignitur ignis nō gignitur ſecūdùm ſe totum, nec corrumpitur ſecundùm ſe totum lignum, ergo eſt ſubiectum ſubſtantiale, quod præceſſerit in ligno, & perſeueret in igne.

Quartò; quodcumque naturale agens eget ſubiecto ſubſtantiali in quo agat, ergo datur huiuſmodi ſubiectum primum; ant. pete ab experientia, & ſi ſemel operatur naturaliter ſine ſubſtantiali ſubiecto, cur non ſemper? Inſuper naturale agens ſemper agit, extra ſe per alterationem, ergo ſubiecto eget, hoc erit primum, aliàs illud, quod hoc præſupponit, & eſt, quod quæri-

Quintò tandem euidentiam cernis in homine, vbi ſubſtantia formalis eſt ſpiritualis, ergo ibi negare non potes aliam partem ſubiectiuam ſubſtantialem, quæ ſit ſubiectum accidentium materialium, immò & ſubſtantiæ formalis;

Neque enim ſubiectantur huiuſmodi accidentia, & ſubſtantiæ in ſubſtantijs materialibus formalibus partialibus, primò, quia ex his actibus non fit vnum per ſe, ſicut numquam ex pluribus actibus; ſecundò, quia non dantur huiuſmodi actus partiales ſubordinati; concede igitur hanc ſubſtantiam receptiuam incompletam, & primam, quam dicunt materiam primam.

14 *Sequitur hinc primò ingenerabilem hanc eſſe, & incorruptibilem, atquè adeo primo à Deo creatam.*

Accedit, quod niſi incorruptibile ſit hoc ſubiectum, quælibet mutatio erit annihilatio; Pugna verò illa, quæ cernitur aſſiduè inter qualitates contrarias quid aliud indicat niſi indeffinitam litem de communi ſubiecto, quod ſub ſingulis ſucceſſiuè ſaltem naturaliter incorruptum perſeuerat?

15 *Sequitur ſecundò aliam materiam quacumquè corpoream ab hac ſpecie diuerſam excogites eſſe merum figmentum.*

Aliter hæc non eſſet primum ſubiectum, vel enim diuerſam habet eſſentiam, ſeu prædicata eſſentialia, vel eadem; ſi eadem, ergo non eſt diuerſa, niſi ſolo numero; ſi diuerſa; vel eſt in ſpecie perfectiori, vel imperfectiori; non ſecundum quia nihil imperfectius poteſt excogitari hac prima materia, & ſi aliam imperfectiorem aſſignes illa eſt, quam dico materiam primam, & de qua impræſentiarum; nec primum, quia vel eſt in perfectiori ſpecie per perfectionem intrinſecam, ergo non eſt purum ſubiectum, vel per extrinſecam, & tunc in ſe erit eiuſdem minimæ entitatis, cuius eſt hæc ma-

teria prima, ergo non erit diuerſa.

16 *Sequitur tertiò materiam primam eſſe vnam ſpecie ſaltem incompleta, licet in partes diuiſa.*

Cuiuis enim materiæ de facto inſunt eadem prædicata eſſentialia, eadem ratio ſubiecti, ergo ſpeciem ſubſtantiæ ſubiectiuæ conſtituet, & quoniam ſubſtantia ſubiectiua eſt, atquè adeo incompleta, ſpeciem incompletam dabit.

17 *Sequitur quartò habere materiam propriam exiſtentiam ab exiſtentia formæ realiter inadæquatè diſtinctam.*

Eſt enim ſubſtantia incompleta phyſicè potentialis, ergo excludens formaliter quid quid ſe tenet ex parte actus phyſici, vel enim exiſtentia formæ eſt actus diſtinctus à forma, & eſt modus, vel eſt realiter vnum, & idem, ergo ſi excludit omnem actum phyſicum, excludet quid quid eſt formaliter cũ illo identificatum. Iterum; eſt ingenerabilis, & incorruptibilis, ergo &c. prob. conſeq. materia exiſtens per exiſtẽtiam formæ corruptâ forma amitteret eam exiſtentiam, & noua genitâ forma nouam adipiſceretur; Corrumpi autem, & gigni, quid eſt aliud, quàm priorem exiſtentiam realem deperdere, nouam adquirere?

Nec valet, quod inquiunt eſſe puram potentiam, ergo excludere omnem actum etiam entitatiuum;

Nam eſt pura potentia Phyſica, ergo excludit omnem actum phyſicum, non eſt pura potentia obiectiua, quæ actui entitatiuo opponitur; potentiam, ergo phyſicam cum obiectiua identificant, & vtriuſquè conceptum confundunt, euertunt; Quòd ſi potentia phyſica eſt ſupponitur contradiſtincta ab obiectiua, ergo per hoc, quòd actum entitatiuum, ſeu methaphyſicum includat; ergo quia antecedenter ad formam quamcumquè phyſicam habet propriam exiſtentiam.

Dixi verò *inadæquatè diſtinctam*, quia diſtinguitur vt exiſtentia incompleta ſubſtantiæ incompletæ.

18 *Sequitur quintò omni forma denudari poſſe ſaltem diuinitùs.*

Dixi *diuinitùs ſaltem*; quia naturaliter obſtat primò experientia; ſecundò intentio agentis naturalis, quæ eſt formam producere, non deſtruere productam, niſi fortaſſis ſecundariò; tertiò finis ad quem data eſt materia, nempe vnio cum ſua comparte, vt conſtituat tertium, quo naturaliter fruſtraretur, ſi careret omni forma.

Oſtendo ſequelam: Materia independenter ab omni forma habet quid quid intrinſecè ſpectat ad illius exiſtentiam, vt iam ex 17. ergo quid obſtat quin poſſit diuinitùs ſeruari abſque forma? Rurſus, minus dependet vſquequaque materia à forma, quàm accidentia à ſubiecto, ergo ſi non repugnat ea ſine ſubiecto ſeruari diuinitùs, minus implicabit ſubiectum ſine forma perſeuerare?

19 *Sequitur ſextò innatus materiæ appetitus ad omnes formas, etiam quas de facto habet.*

Patet quia forma eſt finis ſaltem ſecundarius materiæ; Præterea, dicit materia eſſentialiter potentiam ad omnes formas etiam quas de facto habet, non enim impotens redditur per acquiſitionem formæ, ſed potentiam actuat, & perficit; ergo omnes etiam quas de facto habet appetit; vnumquodque enim nihil magis appetit, quàm proprium finem. Item; fundatur inclinatio, & appetitus rei in potentia ad eam, eſſentialis eſt autem materiæ potentia ad formas etiam quas de facto habet, igitur & omnes appetit.

20 *Sequitur ſeptimò per ſe ipſam eſſe ſubſtantiam corpoream incompletam, atque adeo excludere omnem formam, quam dicunt Corporeitatis, vt penitus ſuperfluam, & fictitiam.*

Quod

Quod dic vniuerſaliter de quauis ſubſtantia corporea; præterquam de tali ipſa forma, ſi detur.

Materia namque eſt ſubſtantia incompleta receptiua conſtitutiua compoſiti phyſici corporei in ſe, & per ſe, non ſpiritualis, ergo corporea, ergo indopenden er ab omni forma corporeitatis. Deinde, implicat forma ſubſtantialis ſubordinata, ergo non datur ſimilis forma. Rurſus, ſi das hanc formam, ergo tot debes admittere, quot gradus entium. Poſtremo, quilibet actus conſtituit, & ſpecificat, quod negas huic formæ. Tandem, vnde colligis hanc formam, totum debetur ipſi materiæ in ſe, & per ſe immediatè.

Titulus III.

Forma.

EST Forma, quod quid erat eſſe rei, ſeu eſt ea pars totum conſtituens, quæ rei dat eſſe ſpecificum. Sicut ergo duplex eſt eſſe ſcilicet ſubſtantiale, & accidentale, ita duplex forma accidentalis, & ſubſtantialis.

21 *Hæc eſt ſubſtantia incompleta ex ſe ordinata ad complendam materiam, tanquam actus in conſtitutione totius ſubſtantialis.*

Subſtantia incompleta genericè ſe habet ad materiam, *completiua materiæ &c.* diſtinguit formam à materia, quæ non complet, ſed completur. Et hinc excludit primò omnes formas accidentales; ſecundò omnes formas etiam ſubſtantiales, quas ſubordinatas dicunt. Colligitur verò, quod mutuò ſe reſpiciant hæ duæ ſubſtantiæ incompletæ vt potentia perfectibilis, ac receptiua, & actus perfectiuus, & completiuus.

22 *Euidens Phyſicè eſt exiſtere formas ſubſtantiales, quæ ſint ſubſtantia incompleta actuatiua, & completiua materiæ in conſtitutione totius ſubſtantialis.*

Primò, quia res naturales, & corporeæ non conſtant ſola materia, quæ ſecundùm ſe eadem eſt in omnibus, & vt oſtenſum eſt, eſt ſubſtantia incompleta, & perfectibilis, ergo euidenter debet dari alia ſubſtantia incompleta actuatiua materiæ. *Subſtantia*, quia ex materia, & accidente non fit vnum per ſe, nec fit ſubſtantia completa, quia totum completum dicit omnes ſuas partes eiuſdem generis. *Incompleta*, quòd ex ſe non ſit conſtitutiuum adæquatum totius, quia res materiales non conſtant ſola forma, vt in illarum generatione, & corruptione cernitur; ergo ex alia ſubſtantia, quæ ſit eius compars, ergo hæc incompleta. *Actuatiua*, quia ex ſe materia eſt pura potentia, ergo eius compars erit actus. *Completiua*, quia materia in ſe incompleta eſt, vt potentia ſubſtantialis, ergo forma completiuum ſubſtantiale.

Secundò, euidens eſt omnia compoſita materialia nō eſſe eiuſdem ſpeciei, ergo euidens eſt dari in illis principium aliquod ſubſtantiale, quod ea diſtinguat, cùm ergo idem ſit diſtinctiuum, ac conſtitutiuum, hæc ſubſtantia erit talis actus.

Tertiò, in mutatione naturali certum eſt res non mutari ſecundùm ſe totas, nec in ſolis accidentibus, ergo ſecundùm partem ſubſtantialem, & ſecundùm partem non, hæc eſt materia, prior erit forma, ergo &c.

Quartò, complexio diuerſa adeò accidentium, & operationum diuerſa neceſſariò ſupponit principia, à quibus exigantur, & exeant, non ſolam materiam, quæ eadem in omnibus eſt, ergo formam ſubſtantialem.

Tandem euidentiſſimè in homine eſt ſubſtantia partialis ſpiritualis, hæc eſt huiuſmodi forma: In Brutis

vbi apparent tot ſenſationes noſtris perſimiles, in plantis ab aliquibus aliorum viuentium non abſimiles, ergo in illis eſt aliqua pars à noſtra parum abſimilis, ergo quæ ſaltem ſit ſubſtantiale principium harum operationem; ergo quæ ſit forma, quia potentia purè receptiua non eſt principium actiuum; nec ſufficit actus aſſiſtens, quia nequit elicere actus indiuiſibiliter dependentes ab vtraquè comparte.

Nequè verò ſufficit ſola accidentium complexio, aut vnio partium materiæ ſaltatricum, ſeu mobilium, quia in Planta, & Bruto diuerſæ adeo ſunt accidentium complexiones, & tamen quam plures cernuntur in hijs operationes eædem in ſpecie; idem dic de Bruto, & Homine. Item; in Bruto mortuo eædem ſunt partes materiæ, quæ ante, attamen non mouetur vltra, nec viuit. Deinde; vnde colligis huiuſmodi partes ſaltatrices materiæ? Cur non aliqua irrepſit in lapidis conſtitutione? vndè habent vim ſaltandi? à ſe, & ab entitate eadem, quæ eſt in alijs, an ab aliquo alio illis indito? ſi primum, ergo omnes erunt ſaltatrices; ſi ſecundum, hoc inditum dico formam, quæ eſt principium &c. Da igitur has formas ſubſtantiales.

Patet etiam euidentiſſimè in alijs compoſitis inanimis, vbi ſi eorum naturalis accidentium complexio ſe reducit ad priorem ſtatum, ergo independenter à tali complexione datur principium aliquod exigens complexionem talem, non eſt materia, ergo forma: Cernis mai. in aqua præſertim, quæ calefacta antiquam frigoris, & grauitatis, & aliorum accidentium complexionem ſibi in ſe ipſa reſtaurat.

23 *Inferas hinc primò poſſe ſaltem diuinitus conſeruari ſeparatas à materia.*

Omitto, quod fide Sanctum ſit in anima rationali, & deduco id de alijs formis ſubſtantialibus, quia ſunt ſubſtantiæ,

ſtantiæ, licet incompletæ; realiter tamen à materia diuerſæ, illa perfectiores, ab eaque non eſſentialiter dependentes; igitur ab ea ſeparari, & ſeparatæ ſeruari poterunt ſupernaturaliter.

24 *Inferas ſecundò has eſſe principium actiuum in toto.*

Quia tot operationes, quæ in totis corporeis cernimus non poſſunt procedere à materia, quæ eſt ſubſtantia incompleta, & purè paſſiua, & eadem in omnibus, non à ſola complexione accidentium, immò ipſa reſtauratio complexionis accidentium eſt aliqua operatio; ergo à forma.

25 *Inferas tertiò implicare naturaliter plures formas ſubſtantiales ſimul in eodem ſubiecto.*

Eſt enim forma ſubſtantialis actus completiuus materiæ, ergo vbi ſemel vna eſt, altera naturaliter repugnat. Item, à poſteriori formæ ſaltem diuerſæ ſpeciei diuerſam petunt accidentium complexionem, & diſpoſitionum temperiem, quæ ſimul naturaliter eſſe non poſſunt, vt ex eorum pugna conuincitur. Iterum, plures formæ eiuſdem ſpeciei in eodem ſubiecto ſemel non taxarent ſibi certum numerum, quod naturæ ordinem exquiſitè confunderet. Denique, naturaliter incapax eſt ſubiectum plurium ſimul operationum, & functionum à diuerſis formis procedentium, ergo & formarum.

26 *Inferas quartò implicare formas ſubſtantiales, quas ſubordinatas vocant, ſeu partiales.*

Primò, quia ſubſtantia formalis, ſeu forma ſubſtantialis eſſentialiter eſt ſubſtantia actuatiua, & completiua materiæ, ergo implicat ſubordinari alteri formæ ſubſtantiali; antecedens reijce ſi potes non inutilando eſſentiam formæ ſubſtantialis; prob. conſeq. non minus eſt indiuiſibilis ratio ſubſtantiæ, quàm talis ratio ſubſtantiæ; ergo non minus indiuiſibiliter forma eſt ſub-

ſtanti-

ſtantia, quàm ſubſtantia completiua, igitur dat, quod ſpectat ad formam, ergo implicat ſubordinari.

Rurſus, complere, actuare ſubſtantialiter, & inadæquatè complere, actuare, repugnant; complere enim eſt perficere, & dare quid quid ad actum ſubſtantialem ſpectat; inadæquatè eſt relinquere vlteriorem perfectibilitatem.

Tertiò, forma ſubſtantialis per ſe exiſtit, nec ad aliud ordinatur tanquàm ad formam, ergo implicat ſubordinari, certum eſt autem; quod ſi eas ſubordines, ſunt ad aliud; ergo &c. & vrgeo; vel ſubordinas vt ſubiectum, vel vt diſpoſitiones; non vt ſubiectum, quia vel ſupernaturaliter repugnat actum formaliter eſſe ſubiectum, nec vt diſpoſitio; quia dicit incompletionem, & hæc ſupponit entitatem in inferiori prædicamento, quæ repugnant cum actu ſubſtantiali. Addo; forma, quam dicis ſubordinatam, vel actuat eandem, vel diuerſam partem ſubiecti à principali; ſi hoc, ergo forma principalis conſtituet ens per accidens; ſi ſecundum, aut dimidiat vim informatiuam phyſicam, vel rationem metaphyſicam; non hoc, quia indiuiſibilis eſt; non illud, quia partialis eſſet, non ſubordinata. Implicat igitur ſubordinari, & eſſe actum phyſicum ſubſtantialem.

Diſtinguere verò de actu ſubſtantiali completo, vel incompleto, eſt verbis ludere, & ſupponere id, quod debet probari, & eſt in lite.

27. *Forma accidentalis eſt actus incompletus extra conceptum rei, cui inhæret, ita vt ſine ſubiecto inhæſionis eſſe naturaliter non poſſit.*

Actus, quia ſuo modo perficit, actuat, & ſpecificat materiam, & conuenit cum forma ſubſtantiali. *Incompletus*, non in ſe; quia ex ſe complet tantum, quanta eſt eius entitas, ſed in ordine ad aliud, videlicet ad actum ſubſtantialem, cui ſubordinatur, vel vt diſpoſitio, vel

vt

vt proprietas, vt actus diuerſi prædicamenti. *Extra conceptum rei*, quod complectitur ea omnia, quæ ad rem pertinent, ſed non vt partes, vel vt nexus partium eſſentialium: *Ita vt ſine ſubiecto, cui inhæret, naturaliter eſſe non poſſit* explicat differentiam, per quam differt forma accidentalis à re ſimpliciter accidentali; aliud enim eſt eſſe alteri accidentale, quomodo veſtis homini, aliud eſſe formam accidentalem.

28 *Non minus euidens eſt dari huiuſmodi formas accidentales.*

Loquor de abſolutis, quia de Modalibus infrà.

Cõmuni Patrum, Theologorum, & Philoſophorum conſenſu prob., cui fidere optima eſt ratio. Addo; primò actus, quibus Angeli, Animus noſter, & Creaturæ omnes per ſe ipſas immediatè operantur ſunt accidentia de facto informantia ſubiectum extra rei conceptum. Item; cernis oculis aerem ex tenebroſo lucidum fieri illæſa eius ſubſtantia, manum, ferrum, aquam de frigida fieri calidam, & de calida frigidam ipſa incorrupta. Tertiò, certum eſt in naturalibus mutationibus non poni in materia formam ſubſtantialem immediatè, & ſecundùm ſe, ſed priùs diſponi materiam per formas quaſdam præcedentes, quæ habeant contraria, atquè adeò ſuſcipiant magis, & minus, vnde oritur ſucceſſio in mutatione naturali, at nulla forma ſubſtantialis eſt diſpoſitio ad aliam, vt probatum eſt, nulla ſubſtantia contrarium patitur, aut ſuſcipit magis, & minus, igitur huiuſcemodi diſpoſitiones erunt formæ accidentales; ergo.

29 *Omnes formæ materiales, quæ vi naturalis agentis fiunt, educuntur de potentia materiæ.*

Naturale agens non creat, igitur res neceſſariò producit ex ſubiecto ſubſtentante, conſeq. eſt certum, quia in hoc differt actio naturalis agentis ab actione increa-

ſecun-

ſecundùm ſe operantis. Ant. præterquamquod experientia clarum eſt, ſemper enim petit ſubiectum vt agat, quod ſi tollas, ab operatione deſiſtit, accedit quòd agens quodcumquè naturale ſemper operatur per alterationem, ergo præſuppoſito ſubiecto. Formæ ſimiliter omnes materiales cum in ſe entia ſint incompletæ, petunt naturaliter fieri, & ſuſtentari in ente, cum quo phyſicè componant, ergo in ſubſtantia ſuſtentante.

30 *Hinc eſt, quòd materiam natura ſaltem præſuppoſnant.*

Ad hoc enim, vt de potentia ſubiecti educantur formæ dicunt dependentiam ſui, & eductionis à ſubiecto, ſuſtentantur enim ambæ; ſuſtentari verò eſt dependere, & omnis dependentia dicit prioritatem naturæ in eo, à quo eſt dependentia.

Titulus IV.

Priuationes, & Negationes.

Tertium principium rerum naturalium eſt Priuatio, affinis maximè Negationi, & ex hac ea eluceſcit: de vtriſquè hìc.

31 *Negationem deffiniunt abſentiam formæ in ſubiecto. Vel entis ſimpliciter abſentia,* ſiuè nunquã extiterit forma, aut res negata, ſiuè extiterit aliquando, nunc verò deſierit eſſe. *In ſubiecto* ſi forma eſt, vel in aliquo vicem ſubiecti gerente, ſi non forma, ſed ens completum, vel quid ſimile ſit ens negatum, vt negatio Antichriſti.

Cuius tres ſunt ſpecies, *aliæ neceſſariæ*, *aliæ impoſſibiles*, *aliæ cõtingentes*: *neceſſariæ* ſunt negationes rerum impoſſibilium, vt negatio Chimæræ; eſt enim rei cuius eſſe repugnat, ergò non eſſe neceſſarium eſt. *Impoſſibiles*

rerum

rerum neceſſariò exiſtentium, vt negatio Dei, neceſſariò enim eſt Deus, igitur non eſſe Dei impoſſibile eſt, *Contingentes* rerum contingentium, vt data negatio Antichriſti.

Negationes etiam neceſſariæ dicuntur negationes *Intollibiles*, quia cum negatio non ſit tollibilis niſi per poſitionem rei negatæ, ſi res negata eſt impoſſibilis, negatio eſt Intollibilis. Contingentes dicuntur *Tollibiles*, ſemper enim oppoſito modo ſe habent ad formam negatam. Quòd ſi res negata ſit vbiquè ſucceſſiuè ponibilis, vbiquè tollibilis eſt eius Negatio, cuiuſmodi eſt Negatio cuiuſuis entis abſoluti; ſi verò res negata non ſit ponibilis niſi hìc, & nunc eius negatio non eſt tollibilis niſi hìc, & nunc, qualis eſt negatio entis modalis v. g. vbicationis Placentinæ, durationis anni 1660.

32 *Priuationem dico abſentiam formæ, vel entis ſimpliciter in ſubiecto, vel ſimili apto.*

Addit priuatio ſupra negationem ſubiecti aptitudinem; In recto enim dicit totum, quod pura negatio, videlicet *abſentiam formæ*, in obliquo connotat capacitatem, ſeu aptitudinem ſubiecti ſiuè poſſibilis, ſiuè exiſtentis, quam aptitudinem connotat priuatio indiſpenſabiliter, cum ſit id, per quod differt priuatio à pura negatione, & à nihilo ſimpliciter.

33 *Dantur à parte rei Priuationes, & Negationes.*

Euidens eſt; quia nullo cogitante intellectu dantur obiecta harum propoſitionum *Petrus caret viſu*, *Lapis caret viſu*, ſed obiectum harum propoſitionum ſunt Priuatio, & Negatio, ergò nullo cogitante intellectu dantur Priuatio, & Negatio. Mai. eſt certa, aliter hæ duæ propoſitiones non eſſent veræ, niſi intellectus cogitaret de illarum obiecto, at propoſitiones independenter ab intellectu ex ſola conformitate cum obiecto ſunt veræ; vel ſi hæ veræ non ſimus ergo earum contradicto-

dictoriæ, ergò erit forma in ſubiecto carente forma. Min. oſtendo, obiectum huius propoſitionis *Petrus caret viſu* non eſt viſus, ſed non eſſe viſus in Petro apto nato videre; Item *Lapis caret viſu* eſt non eſſe viſus in ſubiectò inepto videre, igitur illud eſt Priuatio, hoc pura Negatio.

Confirmatur, quia euidens eſt ignem eſſe ignem, & non eſſe aquam, hanc verò eſſe aquam, & non eſſe ignem, ergo euidens eſt in igne eſſe negationem aquæ, & in aqua negationem ignis.

34 *Negationes, & Priuationes non conſiſtunt in ente, poſitiuo ſiue abſoluto, ſiue reſpectiuo, exiſtente, aut poſſibili, ſed exiſtunt realiter, vt abſentiæ entium poſitiuorum, ab illis contradictoriè diſtinctæ.*

Quod ſi dicimus *ſunt*, *exiſtunt*, & ſimilia, Priuationum, & Negationum paſſiones ſignificamus impropriè per terminos poſitiuos propter terminorum inopiam.

Ratio eſt, quia primò Negationes, & Priuationes exiſtunt formaliter vt non eſſe rei, ergo formaliter vt carentiæ, ergo in nullo ente poſitiuo conſiſtunt, ſecundò æquè verum eſt à parte rei aerem tenebroſum eſſe, ac lucidum, ergo à parte rei æquè debet dari verificatiuum formale huius propoſitionis *Aer eſt lucidus*, atquè alterius *Aer eſt non lucidus*, ſed verificatiuum formale illius eſt forma poſitiua in aere, ergo verificatiuum formale huius erit purum non eſſe formæ; ergo non erit aliquod poſitiuum. Mai. eſt certa; min. etiam patet; quia hæ propoſitiones ſunt contradictoriæ, ergo formale illarum verificatiuum erit formaliter contradictorium.

Iterum: ab æterno non fuit lapis, nec potuit eſſe motus; & tamen ab æterno erant veræ hæ propoſitiones *Lapis non eſt ab æterno*, *Motus non eſt ab æterno*. Quodnam autem diſcrimen inter has duas propoſitiones,

pes, quorum altera habet pro obiecto lapidem poſſibilem, altera motũ impoſſibilem? non certè ens poſſibile. De facto ſunt veræ hæ propoſitiones nullo cogitante intellectu *Antichriſtus non eſt; non eſt Chimæra*, & quomodo poſſunt verificari pro nunc per poſſibilitatem ſui obiecti, ſi vtrũq. pro nunc eſt impoſſibile, & quidem Chimæra in ſe, Antichriſtus ratione durationis? Quid aliud poſitiuum potes imaginari, quod ſit formale verificatiuum harum propoſitionum? Confugere autem ad decretum Dei, quo tendit per modum fugæ in obiectum eſt figmentum, & effugium; In quid enim tendit decretum Dei? non ne in non eſſe rei? ergo eius obiectum erit non eſſe rei, quod non minus complet decretum Dei, quàm propoſitionem negantem eſſe rei. Vides quomodo in hoc poſitiuo ipſo inuoluis purum non eſſe rei, realiter ſuo modo exiſtens?

Præterea; volitio Dei non eſt formaliter quid negatiuum, ſed actus poſitiuus terminans ad negatiuum, ergo hoc negatiuum extra ſe connotat; aliàs ſi actus Dei, quo Deus non vult alium Mundum opponeretur contradictoriè Mundo, Deus intrinſecè non potuiſſet velle alium Mundum, actus enim eſt identificatus cum Deo.

Deniquè; poſitiuum poſitiuo non contradicit, ſed ad ſummum contrariè, vel diſparatè opponitur; Exiſtunt ergo Priuationes, & Negationes, vt remotiones, & carentiæ entium, eiſquè contradictoriè oppoſitæ.

35 *Priuationes, & Negationes, quæ dantur de facto non ſunt vna ſimplex abſentia, aut carentia, ſed tot ſunt indiuidualiter, & ſpecificè, quot ſunt formæ, ſeu entia negata.*

Eſt clara: primò quia negatio, & priuatio non minus ſimpliciter eſt per contradictionem cum ente negato, quàm ſit hæc, ergo pari ratione, quæ eſt per ens negatum,

tum, erit hæc per eris negatum, ens negatum de facto non eſt vnum, & idem ſpecie, & numero, ergo nec Negatio, & Priuatio. Secundò, ſi eſſet eadem abſentia viſus, & ignis, ergo poſito igne in ligno deſtrueretur negatio viſus etiam non poſito viſu. Tandem, ergo eſſet æquè negatum, & priuatum viſu, & igne lignum, ſi ergo tollibilis eſt abſentia ignis à ligno relicta abſentia viſus, diſtinguuntur ſpecie, ergo & numero pari ratione.

36 *Priuationes, & Negationes ſunt immediatè in eo, à quo excludunt res negatas, & ab eo diſtinguuntur realiter ſuo modo.*

In eo enim eſt non forma immediatè, quod immediatè mutatur, & aliter ſe habet, ac antea, ſed quod immediatè aliter ſe habet eſt ſubiectum à quo immediatè excluditur forma: ergo. Ab eo etiam diſtinguî debent eo modo quo ſunt vtraque, ſubiectum quidem vt ens poſitiuum non incompoſſibile cum priuatione, & negatione aliorum entium, hæ verò vt abſentiæ, & remotiones entium poſitiuorum, ita vt remanente eodem ſubiecto pereant ſæpè huiuſmodi priuationes, & negationes per poſitionem formæ negatæ, igitur ſuo modo diſtinguuntur.

37 *Ad poſitionem formæ negatæ non tollitur eius negatio vbicumquè, & ſemper, ſed ibi, & tunc ſolum, quum, & vbi ponitur res.*

Probo quia quum ponitur ex. ca. lapis Placentiæ hac die, vel eius negatio eſt Romæ, & anno præterito, vel non, ſi eſt, ergo non tollitur vbiquè, & ſemper: ſi non eſt, ergo lapis eſt ſecundùm ſuam entitatem hìc, & Romæ nunc, & anno præterito, quia vbi non eſt negatio eſt res negata.

Dixi ſecundùm ſuam entitatem, quia licet exiſtentia lapidis Placentiæ, & hodie dicat entitatem lapidis, vbi-

 catio-

les. Deniquè de toto magis, quia nihil magis eſt natura, quàm id, quod eſt principium actiuum, & paſſiuum motus, & quietis; Nihil magis eſt in eo, in quo eſt motus, & quies, quàm rei quidditas in ſe ipſa, ſeu ſibi intrinſeca.

Naturam Ars imitatur, eiuſdemquè eſt ſcientiæ agere de eo, quod eſt tale, & quod tale videtur.

41 *Eſt Ars habitus cum recta ratione effectiuus.*

Habitus, quia ad artem non ſufficit ſimplex actus, ſed habitus ex plurium actuum vſu acquiſitus, ars enim experientia diſcitur. *Cum recta ratione*, hoc eſt iuxta regulas, & præceptiones rectæ rationis. *Effectiuus*, quia efficit, & operatur, & relinquit opus poſt ſe.

Congruit Ars cum Natura primò, quod effectus producant ſuorum agentium ſimilitudinem referentes, ita vt ſicut ignis ex igne, ita Domus ex Domo: Secundò, quod ab imperfectioribus ad perfectiora tranſeant. Tertiò, quod plura minoris, minora maioris perfectionis efficiant. Quartò, quod aliquandò fortuna, vel caſu effectus monſtruoſos in perfectione, vel in deffectu depromant.

Diſcrepat, quod effectus Artis ſimilitudinem tantùm refert Idealem, naturalis realem ſui principij; iterum, quod vtraquè pars in naturalibus, immò & tota eſſentia eſt Natura, in artificialibus ſola materia, & quidem natura completa cum ſit totum ſubſtantiale completum. Tertiò, quod in illis formæ ſunt intrinſecæ, in his extrinſecæ, & Figura dicuntur, quæ conſiſtit in tali vnione entitatiua partium, qua perſeuerante perſeuerat eadem partium diſpoſitio in ordine ad ſe, licèt varietur in ordine ad locum. Ruſſus, quòd naturales tales ſunt, & dicuntur à natura intrinſeca, artificiales ab arte illis penitus extrinſeca; Inſuper in illis producitur motus à natura ineſiſtente, in his modificatio motus ab arte in

arti-

artifice. Sextò deniquè illi eſſentialiter dicunt principium intrinſecum vel actiuum, vel paſſiuum, vel vtrumquè, iſti neutrum per ſe, quamuis aliquando per accidens, & ex his non ægrè dignoſcitur, quam facilè ars naturam imitetur, à natura tamen aberret.

42 *Arti non repugnat efficere opera naturæ, non quidem per ſe ipſam immediatè, ſed applicando actiua paſſiuis.*

Duo dant primam partem; vnum eſt, Artem eſſe habitum intellectus per certas regulas dirigentem intellectum ad operandum; alterum ad effectum naturalem requiri actionem realem eductiuam formæ de potentia ſubiecti; vnde ſic: ad effectum naturæ requiritur actio phyſica educens formam de potentia materiæ, ſed ab habitu purè intellectiuo exire non poteſt actio huiuſcemodi, ergo per ſe ipſam non poteſt ars efficere opera naturæ.

Secunda pars ex prima luceſcit; Accedit, quod nulla eſt repugnantia, & conuincitur experientia, vt cum pullos vi temperati caloris excludit ab ouo, ſanitatem animali reſtituit per pharmaca, aurum verum Chimica gignit applicando tot contraria agentia.

Titulus VI.

Cauſæ in Communi.

Quattuor vulgata, *Cauſarum* genera, *Efficientium* nempè, *Finalium, Materialium, & Formalium*, quatenus ſub hoc ſummo genere *Cauſa*, conueniunt expendo: de ſingulis poſtea.

43 *Cauſa eſt Principium determinatiuum per ſe influens eſſe in aliud.*

Principium eſt genus, *Per ſe*, hoc eſt per propriam

 virtu-

virtutem, vt excludantur conditiones, quæ non per ſe, ſed per virtutem cauſę applicatam determinant effectus; Vel etiam *non per accidens*, vt cauſæ per accidens eijciantur à vera ratione Cauſæ. *Influens*, quia in effectus productione aliquid realiter operetur, & non merè moraliter ſe habeat. *In aliud*, id eſt in terminum diſtinctum, ſiuè in natura, ſiuè in ſolo ſuppoſito explices ly *aliud*.

Addidi *determinatiuum*, vt diſtinguerem cauſam à principio, quod eſt *id, vnde aliud ſequitur*, ſiuè per verum influxum, ſiuè per modum ſequelæ, vtquè explicarem dependentiam, quam eſſentialiter importat effectus à Cauſa: Cum enim diſtinguatur cauſa à principio per hoc, quod principium dicat aliud à ſe ſequens, & cauſa ſequens cum dependentia, nec ſatis exhibeatur conceptus huius dependentię, niſi per terminos ignotos, dixi *Determinatiuum*.

Duo entium genera ab alijs procedentia reperio; aliud eſt entium eſſentialiter exiſtentium, omnemquè contingentiam in eſſe excludentium; huiuſmodi eſt Diuinus Filius, & Spiritus Sanctus; aliud contingenter exiſtentium, & quibus repugnat penitus neceſſitas in exiſtentia, & huiuſmodi ſunt omnia extra Deum. Ea igitur vt exiſtant, non opus eſt determinari, cum hoc habeant ab eſſentia, ſed ſufficit ſi aliud ſit, quod det eſſe; hæc verò non ſolùm ſupponunt, quod det eſſe, verùm quod dando tollat indifferentiam ex contingentia, atquè adeo determinet, ergo quod ſit *Principium determinatiuum*; & quidem determinatiuum principium non formale, vt excludantur à ratione Cauſæ Modi, qui ſunt quidem determinatiui, ſed formalia, ſeu *vt quo*, non *vt quod*.

Sic deffinita, & explicata ratione Cauſæ, quis non videat quàm dilucidè tollantur omnes æquiuocationes, & difficultates, & quam aptè cuiuslibet cauſę conceptus exprimatur.

44 *Cauſa*

44 *Cauſa quæcumquè in actu primo, reſpicit eſſentialiter tranſcendentaliter omnes effectus proportionaliter producibiles.*

Dixi *cauſam quamcumquè*, quia non inuenio rationem potiorem in vna, quàm in altera, ſiuè eiuſdem, ſiuè diuerſi generis. *In actu primò*, quia de actu ſecundo inf. *Eſſentialiter tranſcendentaliter* primò, quia nondum certam habeo relationem prædicamentalem; ſecundò, quòd hæc extrinſeca eſt, & contingens non eſſentialis. *Omnes effectus*, quia cur potiùs vnum, quàm alterum? *Proportionaliter producibiles*, quia certum eſt, quod non datur relatio ad impoſſibile, & quidquid refertur ad aliud, refertur propter aliquam conuenientiam, & connexionem cum eo, vel in omnibus prædicatis intrinſecis, & erit Cauſa Vniuoca, vel in aliquibus, & erit Æquiuoca.

Dixi etiam *omnes effectus*, quia non video cur debeat adſcribi limitata ſeries, & productiuitas virtuti cauſæ; nullum vix mouens fundamentum cerno; nullum ex oppoſito ſequitur inconueniens; ſeruatur magis integritas naturæ, eiuſquè fæcunditas; accedit, quòd, ſi res ſit de cauſis, & effectibus vniuocis, tàm cauſæ, quàm effectus ſunt eiuſdem omnino perfectionis eſſentialis, ergo nihil eſt in cauſa, quod eam obliget ad hos magis, quàm ad alios effectus, neque quicquam eſt in effectu, quod eum neceſſitet eſſe ab hac potius cauſa, quàm ab alia; Nec finitas cauſæ aliud conuincit, quàm poſſe eam finitos ſolùm effectus, & ſimul, & ſucceſſiuè producere, non hos, aut alios determinatos; ſi autem de cauſa æquiuoca, magis viget, quia perfectioris virtutis, & entitatis eſt; ergo multò plures, & perfectiores effectus continere debet, immò quò perfectior eſt cauſa, eò plures, & in ſpecie, & in indiuiduo debet poſſe producere; indeterminatam igitur ſeriem habet cauſa quæcumquè

 ſecun-

ſecunda; quod idem militat etiam de potentijs quibuſlibet in ordine ad ſua obiecta; non nego tamen indè eſſe aliquas cauſas hos ſolos effectus potentes producere, aliquos etiam effectus, qui à determinata cauſa, non tamen omnes ſunt eiuſdem conditionis.

Ratio concluſ. eſt primò ipſa cauſæ deffinitio, dicitur enim principium influens in aliud, ergo eo ipſo, quòd influit in aliud eſt alterius cauſa, ergo nec concipi poteſt quin cum connexione, & ordine ad aliud, quoniam verò cauſa in actu primo effectum non exiſtentem, ſed poſſibilem reſpicit, ideo tranſcendentaliter, non prædicamentaliter; ſecundò ex eodem cauſæ conceptu, nam cauſa vt cauſa in actu primo formaliter non eſt ad ſe, ergo formaliter eſt ad aliud, tenet conſeq., ant. prob. cauſa vt cauſa in actu primo dicit virtutem productiuā, ſeu poſſe producere, nihil autem dicit virtutem productiuam ad ſe ipſum, ſaltem naturaliter, & primò, ergo ad aliud; & quia ad aliud poſſibile, ideo tranſcendentaliter.

Eos tamen non reſpicit ſub ratione communi effectus poſſibilis vt ſic; ſed ſingulos in particulari, ſicut quæuis potentia ſuos terminos.

Enim verò, eo modo reſpicit cauſa in actu primò ſuos effectus, & potentia ſua obiecta, quomodo cauſa producere, potentia terminare poteſt, ſed nec cauſa effectus producere, nec potentia terminare ad obiecta poteſt ſub ratione communi poſſibilis, vel cognoſcibilis; ergo &c. Mai. eſt veriſſima, quia reſpectus cauſæ, & potentiæ fundatur in vtriuſquè virtute; min. prob. virtus cauſæ, & potentiæ eſt virtus realis, & ratio effectus poſſibilis, & obiecti cognoſcibilis, vt ſic, nec eſt, nec eſſe poteſt quid reale, eſt enim ratio communis abſtracta à pluribus, ergo reſpicere debent rationem ſingularem. Sic potentia viſiua non fertur, nec ferri poteſt in colo-

rem

tem vt ſic, ſed in album, nigrum &c. ignis non producit, nec producere poteſt ignem vt ſic, ſed vel ignem A, vel ignem B.

Et hinc eſt, quod implicante vno, aut altero effectu, vno aut altero obiecto particulari, implicare quoquè deberet eadem virtus cauſæ, & potentiæ; poſſe namquè producere hunc effectum, & tendere in hoc obiectum eſt cauſæ, & potentiæ eſſentiale, ergo implicaret hoc eſſentiale in cauſa, & potentia, ergo non eſſet eadem cauſa, & potentia.

46 *Quum verò reducitur cauſa ab actu primo ad ſecundum determinatur ad effectus indiuiduationem ab Authore Naturæ.*

Colligitur ex maxima rerum contingentium dependentia, quibus cum contingat fieri ab hac cauſa in his circumſtantijs, cum illis diſpoſitionibus, immò, & contingat hæc omnia huic potius effectui indiuiduo inſeruire, quàm alteri (ſi modos excipias, qui tamen omnes ferè ſéper ſunt poſteriores natura re modificata) opus eſt non contingentem vim ſuæ indiuiduationis determinatiuam venerari in Authore Naturæ, & quod à ſecunda cauſa in ſe indifferente ad alterutrum ex ſuis partibus in lucem edendum, obtinere non poſſunt, ſuſpiciant neceſſe eſt in Cauſa prima, ſinè qua comite nulla prorſus inferior cauſa operatur. Singula, quæ ad effectus productionem concurrunt, perpende, & dubitandi locum non reperies, nequè *in cauſis Liberis* in ordine ad hunc potius actum, quàm alterum, ex illis quos ſyncathegorematicè infinitos poſſunt elicere in tali, vel tali ſpecie actus.

Quod clarefatio in vtraquè cauſa: certum eſt, quòd ignis A v. g. non eſt neceſſariò alligatus, vt ignem B producat, aut C, & ſi B per actionem E, aut F, ex illis ſyncathegorematicè infinitis, quibus poteſt tendere in

ignem

ignem B, ac propterea determinari ab aliquo superiori, vt actu ipſe E producat B: pariter quoque voluntas indifferens ad obiectum A, vel B, ſe ipſa intrinſecè ad B determinata, indifferens adhuc ad actum C, vel D, determinari debet vt C tendat in B.

Cum enim cognoſcat Prima Cauſa inferiorum cauſarum vel ex natura ſua, vel ex libera vi determinatam virtutem ad ſpeciem effectus, indifferentem tamen adhuc, vt per hunc magis, quàm per alium actum; vniuerſalem concurſum omnibus ad omnia non repugnantia exhibitum, ſuſpendit ad omnes alios actus, ad hunc vnum eo relicto, vt ferè negatiuo modo, & concomitanter determinet.

47. *Hinc nego, quòd effectus ab vna cauſa productus, potuiſſet idem numero ab alia produci, ni obſtaret, quòd ſemel productus fuiſſet.*

Probo, quia cauſa quæcumque reſpicit omnes effectus in ſua ſpecie poſſibiles, nulluſque est effectus in A contentus, qui non contineatur in B, vt ex 44. ergo quicquid poteſt A, poteſt B; Effectus ſimiliter ex ſe eſt indifferens, vt ab A magis, quàm à B accipiat eſſe, ergo effectus ab A productus idem numero potuiſſet fieri à B, ſi non obſtaret dicta conditio. Præterea nulla aliundè cernitur oriri repugnantia; ergo &c. Res tamen eſt de effectibus adæquatè realibus, & de cauſis totalibus non ſubordinatis.

48. *Immo nec facilè conuincitur quomodò non poſſit effectus ſemel corruptus naturaliter reproduci quantum eſt ex parte cauſæ, licèt non ex parte effectus.*

Cum enim remaneat eadem virtus productiua in cauſa, non eſt cur ſi ſemel potuit, non poſſit iterum quantum eſt ex ſe; ergo &c. de ant. ne dubites, primò, quia poſſe producere effectum eſt prædicatum intrinſecum connectens eſſentialiter cauſam cum effectu, ſi ergo per

vnam

vnam effectus emiſſionem defficeret, defficeret quoquè cauſa, vt ex 44, & 45; Secundò, quia remanet virtus in cauſa ad conſeruandum eundem effectum, ergo ad nouam etiam productionem; ſi enim remanet virtus in cauſa ad conſeruandum effectum per horam, remanebit etiam vt eundem effectum producere poſſit in vltimo horæ quadrante, ſi in primo deſtruatur, & continuatio illa actionis conſeruatiuæ nihil auget, aut minuit intrinſecè in cauſa, ſicut etiam effectum corrumpi, vel non corrumpi.

Immò nec ſecùs ſe habet cauſa corrupto ſemel effectu, ac ſi idem perſeueret, ita vt ſi effectui fieret optio effectum exiſtentem produceret; & quidquid afferatur impedimenti vrget ex parte effectus, vndè dicere cauſam remanere effætam eiuſdem conditionis eſt, ac eam comparare crumenæ; non poteſt itaquè conuinci repugnantia in effectus corrupti reproductione ex parte cauſæ.

Sed quoniam experientia magiſtra conſtat ſemel corruptum effectum viribus naturæ non reproduci, cenſendum eſt aliquid obſtare in effectu; quod non ſatis appareat, vel quia conformius ſit naturæ ſuas diuitias aperire in nouis, ac diuerſis effectibus; vel qu a Vniuerſi huius decori proficiat magis nouus effectus, quàm veteris innouatio; aut ſit quia ſicut placuit Authori Naturæ A futurum, & non B; ita quòd ſemel A tantùm exiterit; aut quia ſicut rei futuræ debitum expletur per influxum adæquatum vnius tantùm cauſæ, ita adæquetur per vnum ſemel actum completum debitum exiſtendi, quod fundamentum habet in limitatione rei finitæ.

49 *Implicat naturæ viribus duas, vel plures cauſas adæquatas eiuſdem generis, & ordinis æquè applicari ad producendum ſimul eundem numero effectum totaliter, vel etiam ſupernaturaliter applicatas producere, ſi cauſæ realem petant exiſtentiam ad agendum.*

Ratio

Ratio primæ partis eſt, quia in manu naturalis agentis non eſt, res eò æquè diſponere, quod phyſicè dici poſſint æquè applicatæ, cum hoc dicat ęqualitatem loci, ſubiecti, temporis, actiuitatis, & aliarum circumſtantiarum, & conditionum, quæ omnia dignoſcere, atquè dirigere nequit naturale agens, ergo nec æque diſponere; immò nec ſi diſtingueret, quia diſponere ſupponit poteſtatem ſupra entitatem, conditiones, & circumſtantias diſponibilium; ſuprà quæ agens purè naturale non poteſt, & ſi applicarentur, non tamen vt cauſæ adæquatæ, & totales;

Quod probo ſitquè ratio ſecundæ partis; Vſus naturæ eſt, quòd ſicut non defficit in neceſſarijs, ita ſummè abhorreat à ſuperfluis, dum non immineat ſui, vel rei naturalis periculum, nullum porrò periculum appareret in natura cauſarum, aut in effectu, ſi duplicem illum adæquatum influxum, vſquequaquè ſuperfluum impediret, & euitaret; ergo &c. Et, ſi quid probat, non deeſt experientia, qua ſi applicentur ſaltem moraliter æquè primò duo trahentes idem pondus, influxum dimidiant, etiam ſi coneris effectum totaliter præbere, ergo quia naturaliter totalis multiplex influxus in eundem effectum repugnat.

Præterea; Vnaquæquè cauſa adæquatam vim operatiuam habens exigit naturaliter operari ſecundùm totam vim, quam habet, ergo ſi applicetur adæquatè, adequatè petit producere; ergo niſi accedat vis agentis ſuperioris diſpenſantis hanc naturalem exigentiam cauſarum, non poterunt duæ, minus plures cauſæ in eundem effectum totaliter influere.

Et hinc eſt, quòd ſi natura permitteret duplicem influxum totalem eidem effectui, & admitteret ſuperflua, & deficeret præterea in neceſſarijs, quoniam impediret ne duplex influxus totalis duplicem effectum totalem

præ-

præberet, ſicut neceſſariò exigerent cauſæ applicatæ; vndè non iuxta, ſed contra exigentiam cauſarum illarum faceret.

50 *Non repugnat tamen ſupernaturaliter, & applicari, & agere modo dicto.*

Propoſitio ſibi eſt ratio, præterquam quod patet ex præcedenti.

51 *Cauſa quæuis, ſi verè eſt cauſa, natura ſaltem antecedit effectum, quæ anteceſſio dicitur prioritas naturæ.*

Cauſa eſt ab eo, quod det eſſe; ergo priùs eſt, quàm quòd cauſet, non tempore, quia plerumquè accidit cauſas producere in inſtanti ſuæ exiſtentiæ, ergò natura; mai. eſt certior, quàm vt petat prob.; min. patet in Sole ad lumen, igne ad calorem &c; conſeq. corroboro, quia quod dat eſſe ſimpliciter dicit prioritatem originis, ſeu à quo, ergo quod dat eſſe determinando aliquid magis, non temporis, vt iam, ergo naturæ, in hoc enim differt principium à cauſa, producere ſimpliciter à producere cum dependentia.

52 *Conſiſtit prioritas naturæ in tali connexione vnius ad alterum, quòd vnum eſſe non poſſit ſinè alio, eò quod contingens accipiat eſſe, non vice verſa; Vndè prius natura dici poteſt illudcumquè; quod aliud antecedit, vt productiuum illius eſſe contingentis.*

Complectitur omnes Cauſas; excludit principia ſimpliciter; congruit cum ratione cauſæ iam dicta; explicatur per prædicata ſatis nota; notificat connexionem effectus, & dependentiam à cauſa, neceſſariamque diſtinctionem inter producens, & productum; diſtinguit cauſas à conditionibus, circumſtantijs, medijs, & actionibus, quæ licet antecedant effectum natura, antecedunt tamen vt quo datur eſſe, non vt quod dat; Saluat deniquè cauſalitatem veram cauſarum ſecundarum.

53 *Inter cauſas ſecundas, quæ realem petunt exiſten-*

tiam

les. Deniquè de toto magis, quia nihil magis eſt natura, quàm id, quod eſt principium actiuum, & paſſiuum motus, & quietis; Nihil magis eſt in eo, in quo eſt motus, & quies, quàm rei quidditas in ſe ipſa, ſeu ſibi intrinſeca.

Naturam Ars imitatur, eiuſdemquè eſt ſcientiæ agere de eo, quod eſt tale, & quod tale videtur.

41 *Eſt Ars habitus cum recta ratione effectiuus.*

Habitus, quia ad artem non ſufficit ſimplex actus, ſed habitus ex plurium actuum vſu acquiſitus, ars enim experientia diſcitur. *Cum recta ratione*, hoc eſt iuxta regulas, & præceptiones rectæ rationis. *Effectiuus*, quia efficit, & operatur, & relinquit opus poſt ſe.

Congruit Ars cum Natura primò, quod effectus producant ſuorum agentium ſimilitudinem referentes, ita vt ſicut ignis ex igne, ita Domus ex Domo: Secundò, quod ab imperfectioribus ad perfectiora tranſeant. Tertiò, quod plura minoris, minora maioris perfectionis efficiant. Quartò, quod aliquandò fortuna, vel caſu effectus monſtruoſos in perfectione, vel in deffectu depromant.

Diſcrepat, quod effectus Artis ſimilitudinem tantùm refert Idealem, naturalis realem ſui principij; iterum, quod vtraquè pars in naturalibus, immò & tota eſſentia eſt Natura, in artificialibus ſola materia, & quidem natura completa cum ſit totum ſubſtantiale completum. Tertiò, quod in illis formæ ſunt intrinſecæ, in his extrinſecæ, & Figura dicuntur, quæ conſiſtit in tali vnione entitatiua partium, qua perſeuerante perſeuerat eadem partium diſpoſitio in ordine ad ſe, licèt varietur in ordine ad locum. Ruſſus, quòd naturales tales ſunt, & dicuntur à natura intrinſeca, artificiales ab arte illis penitus extrinſeca; Inſuper in illis producitur motus à natura inexiſtente, in his modificatio motus ab arte in arti-

artifice. Sextò deniquè illi eſſentialiter dicunt principium intrinſecum vel actiuum, vel paſſiuum, vel vtrumquè; illi neutrum per ſe, quamuis aliquando per accidens, & ex his non ægrè dignoſcitur, quam facilè ars naturam imitetur, à natura tamen aberret.

42 *Arti non repugnat efficere opera naturæ, non quidem per ſe ipſam immediatè, ſed applicando actiua paſſiuis.*

Duo dant primam partem; vnum eſt, Artem eſſe habitum intellectus per certas regulas dirigentem intellectum ad operandum; alterum ad effectum naturalem requiri actionem realem eductiuam formæ de potentia ſubiecti; vnde ſic: ad effectum naturæ requiritur actio phyſica educens formam de potentia materiæ, ſed ab habitu purè intellectiuo exire non poteſt actio huiuſcemodi, ergo per ſe ipſam non poteſt ars efficere opera naturæ.

Secunda pars ex prima luceſcit; Accedit, quod nulla eſt repugnantia, & conuincitur experientia, vt cum pullos vi temperati caloris excludit ab ouo, ſanitatem animali reſtituit per pharmaca, aurum verum Chimica gignit applicando tot contraria agentia.

Titulus VI.

Cauſæ in Communi.

QVattuor vulgata *Cauſarum* genera, *Efficientium* nempè, *Finalium*, *Materialium*, & *Formalium*, quatenus ſub hoc ſummo genere *Cauſæ*, conueniunt expendo: de ſingulis poſtea.

43 *Cauſa eſt Principium determinatiuum per ſe influens eſſe in aliud.*

Principium eſt genus, *Per ſe*, hoc eſt per propriam

 virtu-

virtutem, vt excludantur conditiones, quæ non per ſe, ſed per virtutem cauſę applicatam determinant effectus; Vel etiam *non per accidens*, vt cauſæ per accidens eijciantur à vera ratione Cauſæ. *Influens*, quia in effectus productione aliquid realiter operetur, & non merè motiuè ſe habeat. *In aliud*, id eſt in terminum diſtinctum, ſiuè in natura, ſiuè in ſolo ſuppoſito explices ly *aliud*.

Addidi *determinatiuum*, vt diſtinguerem cauſam à principio, quod eſt *id, vnde aliud ſequitur*, ſiuè per verum influxum, ſiuè per modum ſequelæ, vtquè explicarem dependentiam, quam eſſentialiter importat effectus à Cauſa: Cum enim diſtinguatur cauſa à principio per hoc, quod principium dicat aliud à ſe ſequens, & cauſa ſequens cum dependentia; nec ſatis exhibeatur conceptus huius dependentię, niſi per terminos ignotos, dixi *Determinatiuum*.

Duo enim entium genera ab alijs procedentia reperio; aliud eſt entium eſſentialiter exiſtentium, omnemquè contingentiam in eſſe excludentium; huiuſmodi eſt Diuinus Filius, & Spiritus Sanctus; aliud contingenter exiſtentium, & quibus repugnat penitus neceſſitas in exiſtentia, & huiuſmodi ſunt omnia extra Deum. Ea igitur vt exiſtant, non opus eſt determinari, cum hoc habeant ab eſſentia, ſed ſufficit ſi aliud ſit, quod det eſſe; hæc verò non ſolùm ſupponunt, quod det eſſe, verùm quod dando tollat indifferentiam ex contingentia, atquè adeo determinet, ergo quod ſit *Principium determinatiuum*; & quidem determinatiuum principium non formale, vt excludantur à ratione Cauſæ Modi, qui ſunt quidem determinatiua, ſed formalia, ſeu *vt quo*, non *vt quod*.

Sic definita, & explicata ratione Cauſæ, quis non videat quàm dilucidè tollantur omnes æquiuocationes, & difficultates, & quàm aptè cuiuslibet cauſę conceptus exprimatur.

44 *Cauſa*

Digitized by Google

44 *Cauſa quæcumquè in actu primo, reſpicit eſſentialiter tranſtendentaliter omnes effectus proportionaliter productibiles.*

Dixi *cauſam quamcumquè*, quia non inuenio rationem potiorem in vna, quàm in altera, ſiuè eiuſdem, ſiuè diuerſi generis. *In actu primò*, quia de actu ſecundo inf. *Eſſentialiter tranſtendentaliter*: primò, quia nondum certam habeo relationem prædicamentalem; ſecundò, quòd hæc extrinſeca eſt, & contingens non eſſentialis. *Omnes effectus*, quia cur potiùs vnum, quàm alterum? *Proportionaliter productibiles*, quia certum eſt, quod non datur relatio ad impoſſibile; & quidquid refertur ad aliud, refertur propter aliquam conuenientiam, & connexionem cum eo, vel in omnibus prædicatis intrinſecis, & erit Cauſa Vniuoca, vel in aliquibus, & erit Æquiuoca.

Dixi etiam *omnes effectus*, quia non video cur debeat adſcribi limitata ſeries, & productiuitas virtuti cauſæ; nullum vix mouens fundamentum cerno; nullum ex oppoſito ſequitur inconueniens; ſeruatur magis integritas naturæ, eiuſquè fæcunditas; accedit, quòd, ſi res ſit de cauſis, & effectibus vniuocis, tàm cauſæ, quàm effectus ſunt eiuſdem omnino perfectionis eſſentialis, ergo nihil eſt in cauſa, quod eam obliget ad hos magis, quàm ad alios effectus, neque quicquam eſt in effectu, quod eum neceſſitet eſſe ab hac potius cauſa, quàm ab alia; Nec finitas cauſæ aliud conuincit, quàm poſſe eam finitos ſolùm effectus, & ſimul, & ſucceſſiuè producere, non hos, aut alios determinatos; ſi autem de cauſa æquiuoca, magis viget, quia perfectioris virtutis, & entitatis eſt; ergo multò plures, & perfectiores effectus continere debet, immò quò perfectior eſt cauſa, eò plures, & in ſpecie, & in indiuiduo debet poſſe producere; indeterminatam igitur ſeriem habet cauſa quæcumquè

 ſecun-

ſecunda; quod idem militat etiam de potentijs quibuslibet in ordine ad ſua obiecta; non nego tamen indè eſſe aliquas cauſas hos ſolos effectus potentes producere, aliquos etiam effectus, qui à determinata cauſa, non tamen omnes ſunt eiuſdem conditionis.

Ratio concluſ. eſt primò ipſa cauſæ deffinitio, dicitur enim principium influens in aliud, ergo eo ipſo, quòd influit in aliud eſt alterius cauſa, ergo nec concipi poterit quin cum connexione, & ordine ad aliud, quoniam verò cauſa in actu primo effectum non exiſtentem, ſed poſſibilem reſpicit, ideo tranſcendentaliter, non prædicamentaliter; ſecundò ex eodem cauſæ conceptu, nam cauſa vt cauſa in actu primo formaliter non eſt ad ſe, ergo formaliter eſt ad aliud, tenet conſeq., ant. prob. cauſa vt cauſa in actu primo dicit virtutem productiuã, ſeu poſſe producere, nihil autem dicit virtutem productiuam ad ſe ipſum, ſaltem naturaliter, & primò, ergo ad aliud, & quia ad aliud poſſibile, ideo tranſcendentaliter.

Non tamen non reſpicit ſub ratione communi effectus poſſibilis vt ſic, ſed ſingulos in particulari, ſicut quæuis potentia ſuos terminos.

Enim verò eo modo reſpicit cauſa in actu primò ſuos effectus, & potentia ſua obiecta, quomodo cauſa producere, potentia terminare poteſt, ſed nec cauſa effectus producere, nec potentia terminare ad obiecta poteſt ſub ratione communi poſſibilis, vel cognoſcibilis; ergo, &c. Mai. eſt veriſſima, quia reſpectus cauſæ, & potentiæ fundatur in vtriuſquè virtute; min. prob. virtus cauſæ, & potentiæ eſt virtus realis, & ratio effectus poſſibilis, & obiecti cognoſcibilis vt ſic, nec eſt, nec eſſe poteſt quid reale, eſt enim ratio communis abſtracta à pluribus, ergo reſpicere debent rationem ſingularem. Sic potentia viſiua non fertur, nec ferri poteſt in colo-

rem

rem vt ſic, ſed in album, nigrum &c. ignis non producit, nec producere poteſt ignem vt ſic, ſed vel ignem A, vel ignem B.

Et hinc eſt, quod implicante vno, aut altero effectu, vno aut altero obiecto particulari, implicare quoquè deberet eadem virtus cauſæ, & potentiæ; poſſe namquè producere hunc effectum, & tendere in hoc obiectum eſt cauſæ, & potentiæ eſſentiale, ergo implicaret hoc eſſentiale in cauſa, & potentia, ergo non eſſet eadem cauſa, & potentia.

4 Quum verò reducitur cauſa ab actu primo ad ſecundum determinatur ad effectus indiuiduationem ab Authore Naturæ.

Colligitur ex maxima rerum contingentium dependentia, quibus cum contingat fieri ab hac cauſa in his circumſtantijs, cum illis diſpoſitionibus, immò, & contingat hæc omnia huic potius effectui indiuiduo inſeruire, quàm alteri (ſi modos excipias, qui tamen omnes ferè ſēper ſunt poſteriores natura re modificata) opus eſt non contingentem vim ſuæ indiuiduationis determinatiuam venerari in Authore Naturæ, & quod à ſecunda cauſa in ſe indifferente ad alterutrum ex ſuis partibus in lucem edendum, obtinere non poſſunt, ſuſpiciant neceſſe eſt in Cauſa prima, ſinè qua comite nulla prorſus inferior cauſa operatur. Singula, quæ ad effectus productionem concurrunt, perpende, & dubitandi locum non reperies, nequè *in cauſis Liberis* in ordine ad hunc potius actum, quàm alterum, ex illis quos ſyncathegorematicè infinitos poſſunt elicere in tali, vel tali ſpecie actus.

Quod clarefactio in vtraquè cauſa: certum eſt, quòd ignis A v. g. non eſt neceſſariò alligatus, vt ignem B producat, aut C, & ſi B per actionem E, aut F, ex illis ſyncathegorematicè infinitis, quibus poteſt tendere in

ignem

ignem B, ac propterea determinari ab aliquo superiori, vt actio de E producat B, pariterquè voluntas indifferens ad obiectum A, vel B, ſe ipſa intrinſecè ad B determinata, indifferens adhuc ad actu C, vel D, determinari debet vt C tendat in B.

Cum enim cognoſcat Prima Cauſa inferiorum cauſarum vel ex natura ſua, vel ex libera vi determinatam virtutem ad ſpeciem effectus, indifferentem tamen adhuc, vt per hunc magis, quàm per alium actum; vniuerſalem concurſum omnibus ad omnia non repugnantia exhibitum, ſuſpendit ad omnes alios actus, adhunc vnum eo relicto, vt ferè negatiuo modo, & concomitanter determinet.

47 *Hinc eſt, quòd effectus ab vna cauſa productus, potuiſſet idem numero ab alia produci, ni obſtaret, quòd ſemel productus fuiſſet.*

Patet, quia cauſa quæcumquè reſpicit omnes effectus in ſua ſpecie poſſibiles, nullusquè eſt effectus in A contentus, qui non contineatur in B, vt ex 44. ergo quicquid poteſt A, poteſt B; Effectus ſimiliter ex ſe eſt indifferens, vt ab A magis, quàm à B accipiat eſſe, ergo effectus ab A productus idem numero potuiſſet fieri à B, ſi non obſtaret dicta conditio. Præterea nulla aliundè cernitur officere repugnantia; ergo &c. Res tamen eſt de effectibus adæquatè realibus, & de cauſis totalibus non ſubordinatis.

48 *Immò nec facilè conuincitur quomodò non poſſit effectus ſemel corruptus naturaliter reproduci quantùm eſt ex parte cauſæ, licèt non ex parte effectus.*

Cum enim remaneat eadem virtus productiua in cauſa, non eſt cur ſi ſemel potuit, non poſſit iterum quantum eſt ex ſe; ergo &c. de ant. ne dubites, primò, quia poſſe producere effectum eſt prædicatum intrinſecum connectens eſſentialiter cauſam cum effectu, ſi ergo per

vnam effectus emiſſionem defficeret, defficeret quoquè cauſa, vt ex 44, & 45; Secundò, quia remanet virtus in cauſa ad conſeruandum eundem effectum, ergò ad nouam etiam productionem; ſi enim remanet virtus in cauſa ad conſeruandum effectum per horam, remanebit etiam vt eundem effectum producere poſſit in vltimo horæ quadrante, ſi in primo deſtruatur, & continuatio illa actionis conſeruatiuæ nihil auget, aut minuit intrinſecè in cauſa, ſicut etiam effectum corrumpi, vel non corrumpi.

Immò nec ſecùs ſe habet cauſa corrupto ſemel effectu, ac ſi idem perſeueret, ita vt ſi effectui fieret optio effectum exiſtentem produceret; & quidquid afferatur impedimenti vrget ex parte effectus, vndè dicere cauſam remanere effætam eiuſdem conditionis eſt, ac eam comparare crumenæ; non poteſt itaquè conuinci repugnantia in effectus corrupti reproductione ex parte cauſæ.

Sed quoniam experientia magiſtra conſtat ſemel corruptum effectum viribus naturæ non reproduci, cenſendum eſt aliquid obſtare in effectu; quod non ſatis appareat, vel quia conformius ſit naturæ ſuas diuitias aperire in nouis, ac diuerſis effectibus; vel qu a Vniuerſi huius decori proficiat magis nouus effectus, quàm veteris innouatio; aut ſit quia ſicut placuit Authori Naturæ A futurum, & non B; ita quòd ſemel A tantùm extiterit: aut quia ſicut rei futuræ debitum expletur per influxum adæquatum vnius tantùm cauſæ, ita adæquetur per vnum ſemel actum completum debitum exiſtendi, quod fundamentum habet in limitatione rei finitæ.

49 *Implicat naturæ viribus duas, vel plures cauſas adæquatas eiuſdem generis, & ordinis æquè applicari ad producendum ſimul eundem numero effectum totaliter, vel etiam ſupernaturaliter applicatas producere, ſi cauſæ realem petant exiſtentiam ad agendum.*

Ratio

Ratio primæ partis eſt, quia in manu naturalis agentis non eſt, res eò æquè diſponere, quod phyſicè dici poſſint æquè applicatæ, cum hoc dicat çqualitatem loci, ſubiecti, temporis, actiuitatis, & aliarum circumſtantiarum, & conditionum, quæ omnia dignoſcere, atquè dirigere nequit naturale agens, ergo nec æque diſponere; immò nec ſi diſtingueret, quia diſponere ſupponit poteſtatem ſupra entitatem, conditiones, & circumſtantias diſponibilium; ſupra quæ agens purè naturale non poteſt, & ſi applicarentur, non tamen vt cauſæ adæquatæ, & totales;

Quod probo ſitquè ratio ſecundæ partis; Vſus naturæ eſt, quòd ſicut non defficit in neceſſarijs, ita ſummè abhorreat à ſuperfluis, dum non immineat ſui, vel rei naturalis periculum, nullum porrò periculum appareret in natura cauſarum, aut in effectu, ſi duplicem illum adæquatum influxum, vſquequaquè ſuperfluum impediret, & euitaret; ergo &c. Et, ſi quid probat, non deeſt experientia, qua ſi applicentur ſaltem moraliter æquè primò duo trahentes idem pondus, influxum dimidiant, etiam ſi coneris effectum totaliter præbere, ergo quia naturaliter totalis multiplex influxus in eundem effectum repugnat.

Præterea; Vnaquæquè cauſa adæquatam vim operatiuam habens exigit naturaliter operari ſecundùm totam vim, quam habet, ergo ſi applicetur adæquatè, adequatè petit producere; ergo niſi accedat vis agentis ſuperioris diſpenſantis hanc naturalem exigentiam cauſarum, non poterunt duæ, minus plures cauſæ in eundem effectum totaliter influere.

Et hinc eſt, quòd ſi natura permitteret duplicem influxum totalem eidem effectui, & admitteret ſuperflua, & deficeret præterea in neceſſarijs, quoniam impediret ne duplex influxus totalis duplicem effectum totalem

præ-

præberet, ſicut neceſſariò exigerent cauſæ applicatæ; vndè non iuxta, ſed contra exigentiam cauſarum illarum faceret.

50 *Non repugnat tamen ſupernaturaliter, & applicari, & agere modo dicto.*

Propoſitio ſibi eſt ratio, præterquam quod patet ex præcedenti.

51 *Cauſa quæuis, ſi verè eſt cauſa, natura ſaltem antecedit effectum, quæ anteceſſio dicitur prioritas naturæ.*

Cauſa eſt ab eo, quod det eſſe; ergo priùs eſt, quàm quòd cauſet; non tempore, quia plerumquè accidit cauſas producere in inſtanti ſuæ exiſtentiæ, ergò natura; mai. eſt certior, quàm vt petat prob., min. patet in Sole ad lumen, igne ad calorem &c. conſeq. corroboro, quia quod dat eſſe ſimpliciter dicit prioritatem originis, ſeu à quo, ergo quod dat eſſe determinando aliquid magis, non temporis, vt iam; ergo naturæ, in hoc enim differt principium à cauſa, producere ſimpliciter à producere cum dependentia.

52 *Conſiſtit prioritas naturæ in tali connexione vnius ad alterum, quòd vnum eſſe non poſſit ſinè alio, eò quod contingens accipiat eſſe, non vice verſa; Vndè prius natura dici potiſt illudcumquè; quod aliud antecedit, vt productiuum illius eſſe contingentis.*

Complectitur omnes Cauſas; excludit principia ſimpliciter; congruit cum ratione cauſæ iam dictâ; explicatur per prædicata ſatis nota; notificat connexionem effectus, & dependentiam à cauſa, neceſſariamque diſtinctionem inter producens, & productum; diſtinguit cauſas à conditionibus, circumſtantijs, medijs, & actionibus, quæ licet antecedant effectum naturâ, antecedunt tamen vt quo datur eſſe, non vt quod dat; Saluat deniquè cauſalitatem veram cauſarum ſecundarum.

53 *Inter cauſas ſecundas, quæ realem petunt exiſten-*

tiam.

tiam ad agendum, nec de facto datur, nec dari poteſt abſolutè mutua cauſalitas.

Prob. primò, quia implicat mutua prioritas, ergo mutua cauſalitas; conſeq. eſt certa, prob. ant. in mutuâ prioritate duo eſſent ſibi inuicem priora æquè, & poſteriora natura ſecundùm illud idem eſſe reale, & indiuiſibile, atquè ad inuicem dependerent tanquàm à priori, quatenus enim A produceret B eſſet illo prius, & independens, quatenus produceretur eſſet B poſterius, & dependens, ergo in eodem inſtanti reali ſecundùm idem eſſe prius eſſet, & poſterius dependens, & independens ab eodem, determinatiuum ſimul, & determinatum realiter penes eandem entitatem.

Secundò idem eſſet cauſa ſui ſaltem mediatè in eodem reali inſtanti, quo eſſet, & cauſaret; hæc eſt ſequela, quia cauſaret realiter id, à quo cauſaretur in eodem inſtanti quo ſupponitur exiſtere, & cauſare, ergo ſe ipſum ſaltem mediatè determinaret, ſe ipſo eſſet poſterius, & prius, dependens, & independens ſaltem mediatè, quod non minus repugnat, quàm ſi immediatè, æquè enim determinaret in ſe illud eſſe contingens, quod iam haberet determinatum ab alio.

Tertiò ſunt contradictoria mutua cauſalitas, & ratio cauſæ, nam cauſa dicit habere cauſatum à ſe dependens, & non è contra, vt ex præcedenti, ergo &c.

Quartò eſſent vnum, & idem realiter effectus in actu, & actus primus ſui ipſius, quod repugnat, aliter idem ſupponeretur exiſtens antequàm haberet exiſtentiam; do ſequelam, quatenus ignis A v. g. eſſet cauſa ignis B exiſteret, & præcederet B in priori ſaltem naturæ, quatenus verò productus deberet præſupponere ante ſe omnes cauſas à quibus de facto productus eſſet, vel produceretur, ergo B, à quo produceretur in mutua cauſalitate, ergo B in actu conſtitueret actum primum ſuæ cauſæ, ergo ſui ipſius.

Tan-

Tandem periret ratio inueſtigandi vnam cauſam primam, ſed concedi poſſent duo prima; quis enim conuinceret, quod non eſſent plura ſe mutuo cauſantia, & conſeruantia? Præterea ſi ſemel eleuarentur duo, vel plura, cur non poſſent perpetuo cauſari, & durare? abſurdiſſima igitur eſt abſolutè hæc mutua cauſalitas.

54 *Cauſæ ſecundæ phyſicam, & realem vim agendi habent, ſuorumquè effectuum productionem immediatè attingunt immediatione virtutis, & immediatione ſuppoſiti.*

Colligitur ex pluribus Sacrarum Litterarum locis. Gen. 1, & 5; Iſai. 36; Luc. 21; traditur, & defenditur à Patribus, & clarè de cauſis liberis Trident. ſeſſ. 6, Can. 4; eſtquè communis Philoſophorum, & Thelogorum ſenſus.

Accedit experientia, qua ſentimus ignem calefacere, videmus Solem illuminare, cognoſco, & experior me aliquid operari dum hæc ſcribo, dum diſcurro, dum ambulo.

Tertiò, vrget quia nullum obſtat inconueniens, nihil impedit, quò minùs communicetur creaturæ virtus operatiua, nulla ratio conuincit oppoſitum, eſt decus omnipotentiæ Diuinæ, eſtque perfectio non indebita creaturæ; ergo &c.

Quartò; redditur certa ex abſurdis, quæ ex oppoſito ſequerentur; primum, quod æquè poſſet dici hominem generare animam rationalem, ac ignis ignem, homo hominem, æquè enim Deus ad hominis exigentiam, & præſentiam creat animam rationalem, & corpori deorganizato infundit; ſecundum eſt, quòd non differrent actus vitales à non vitalibus, æquè enim eſſent à principio extrinſeco, à Deo ſcilicet, nec immediatè attingerentur à principio formaliter vitali: tertium, quia Deus eſſet cauſa, immò & ſola cauſa peccati, tam enim poneret actum cui annexa eſt malitia peccaminoſa, quam

omnia

omnia ea, ad quorum præſentiam, & exigentiam tene-
retur ponere actum, nihil ageret voluntas; quòd, ſi ſe-
mel, & in aliquo, cur non ſemper, & in omnibus, in
quibus non elucet ſpecialis repugnantia à

Titulus VII.

Cauſa Prima.

AB hac, quæ eſt cæterarum origo, & à qua cuncta dependent, initium facio.

55 *Eſt efficiens in communi Principium primum determinatiuum, vndè mutatio, & quies.*

Principium determinatiuum habes ex 43. *Primum* vt explicetur dignitas efficientis ſuprà alias cauſas, inter quas nobiliſſima eſt, & à qua principaliter incipit, & eſt mutatio. *Vndè* rigorosè ſupponit, pro vt ſignificat *id à quo*, quod proprium eſt cauſæ efficientis, & per hoc differt primò efficiens ab alijs cauſis; Materia enim eſt id ex quo, Forma per quod, Finis propter quod; ſecundò à Natura, quæ eſt principium actiuum, & paſſiuum, ſemperquè intrinſecum, efficiens ſemper extrinſecum, cum dicat terminum diſtinctum in natura. *Mutatio* ſupponit pro quocumque tranſitu rei à non eſſe ad eſſe, ſeu pro quacumque extractione rei à virtute cauſæ; quapropter complectitur Deum creantem in tempore, vel etiam ab æterno, ſi non aliundè repugnat, & quodcumque agens phyſicè mouens, ſeu generans. *Quies* tandem ſignificat productionem, & conſeruationem eſſe acquiſiti, quod complectitur cauſas in fieri, & in facto eſſe, ſeu productiuas, & conſeruatiuas. Eſt genus ad cauſam efficientem tum liberam, tum neceſſariam, tum dependentem, tum abſolutam.

Quòd

Quòd ſi ly *Primum* intelligas ſimpliciter, Cauſam Primam efficientem habes; clariùs tamen efficiens increatum dicas *Principium primum determinatiuum, vnde mutatio, & quies independenter ab alio.* Independenter dico ad diſtinctionem cauſarum ſecundarum, quæ dependenter à Prima operantur.

56 *Datur de facto Cauſa Prima.*

Oſtenditur à poſteriori hoc argumento. Quidquid contingenter exiſtit ab alio determinari debet ad eſſe, nihil enim eſſe poteſt ſui determinatiuum, aliter eſſet antequam eſſet; ſed quodlibet ens productum, & dependens contingenter exiſtit, ergo debet ab alio determinari ad eſſe, ergo ab aliquo, quod non contingenter exiſtat, ergo quod ſit Cauſa omnium prima; & quidem neceſſaria; ita quod non egeat vlteriori determinatiuo, ſecus aliam ſupponit, à qua determinetur, ergo in infinitum; min. prob. quia omne dependens, & productum poteſt defficere, ergo contingenter exiſtit.

Confirm. quia omne productum ab alio eſt, ergo tandem ab alio improducto, aliàs in infinitum tendimus; tempore autem finito, quo eſt ens dependens, non poteſt commenſurari proceſſus infinitus: Hoc improductum, à quo cuncta producta dependent, Cauſam Primam dicimus Philoſophi, ergo datur actu Cauſa Prima.

Et quoniam neceſſaria eſt, & Prima, à nulla alia accipit eſſe, nec limitationem in eſſe, ſecus in hoc eſſe limitato contingenter ſe haberet, ergo vna erit, & infinita; infinita vt iam; vna, quia ſi duæ, neutra illarum Perfectiſſima, altera enim alteram, nec eminenter, nec formaliter contineret: non hoc, quia eſſent duo realiter diuerſa, vel ſi vnum, habeo intentum: non illud, nam quælibet eſſet perfectior, & imperfectior altera; perfectior quatenus contineret, imperfectior quatenus contineretur;

neretur; & ſi vna continet altera continetur, continet tem dicit Cauſam Primam Philoſophia Naturalis, hæc vel vna, vel multiplex, ſi hoc, repeto argum. ſi illud habeo Cauſam Primam vnam, & infinitam.

57 *A Cauſa Prima immediatè dependent eſſentialiter omnes creaturæ in eſſe, & in operari.*

In eſſe, quia nihil eſt, quod ſicut fit contingenter, ita contingenter non ſit, ergo quod non indigeat determinatiuo in eſſe ſicut indiget in fieri, ergo ab hoc determinatiuo cuncta dependent in fieri, & in eſſe; eſt autem Cauſa Prima, ergo &c.

Secundò; nulla Creatura eſt à ſe, ergo ab alio, ergo ab eo, à quo eſt immediatè dependebit, eſt immediatè à Cauſa Prima, ergo ab hac immediatè dependebit in eſſe; prob. ſubſump. Creatura non eſt minus ens participatum quando fit, ac quando eſt, ſed quando fit, immediatè fit à Cauſa Prima, vt in ſecunda parte concl. ergo etiam quando eſt.

Item: res in eſſe non eſt participatio creaturæ maximè ſi ſit effectus independens in conſeruari à creatura, ergo actualiter immediatè erit participatio Cauſæ Primæ, ergo immediatè ab illa dependebit in eſſe.

Confirm. in eo differunt effectus dependentes in fieri ſolùm ab effectibus, qui dependent in eſſe; quod illi non petunt fieri ſimpliciter à tali cauſa, ſed ſolùm vt fit per talem actionem, ſic Petrus pendet à Paulo patre, iſti verò petunt fieri ſimpliciter à tali cauſa, ſed quæuis creatura petit ſimpliciter fieri à Cauſa Prima immediatè, ergo immediatè ab illa dependent in eſſe.

Præterea; ad Cauſam Primam ſpectat dirigere omnia, ergo debet immediatum, & perfectiſſimum dominium habere in omnia, ergo omnia ab ipſa debent immediatè pendere in eſſe; ant. prob ſi non omnia, ergo ſunt aliqua, quæ diriguntur ab alia cauſa independente, ergo ipſa

na vna non eſt contra dicta, prob. prima conſeq. ſi non poſſit plenè, & immediatè diſponere, nec immediatè dirigere; ſecunda pariter; ſi non pendent omnia immediatè in eſſe, ergo non poſſunt aliquando impediri, vel deſtrui; dupliciter enim impeditur, vel deſtruitur res, aut per poſitionem alicuius contrarij impedimenti, vel per ſuſpenſionem influxus immediati, ergo ſi immediatè nõ pendeant, non poterunt, aut per dictum impedimentum, aut per negationem influxus impediri, & deſtrui; ergo non erunt perfectè ſubditæ Dominio, imperioquè Cauſæ Primæ.

In operari etiam, quia operari cauſæ ſecundæ eſt fieri alicuius creaturæ, ſed fieri immediatè eſſentialiter attingitur à Cauſa Prima, omnis namquè operatio eſt actio, & omnis actio eſſentialiter eſt via ad aliquem terminum, ergo fieri alicuius creaturæ, ergo in operari dependent creaturæ eſſentialiter à Cauſa Prima.

Vlterius; cõcurrit Cauſa Prima immediatè ad omnes effectus cauſarum ſecundarum, ergo immediatè dependent illæ in operari, ant. eſt Patrum, Concil. & Doctorum communiter, & confirmatur ex dominio Cauſæ Primæ ſupra ſecundas, & ex conceptu creaturæ, quæ eſt ens ab alio; immò creatura determinatur ad indiuiduationem effectus à Prima Cauſa, ergo quia immediatè attingit illius effectus, ergo &c.

Vniuerſaliter: Habere omnes cauſas ſecundas à ſe immediatè dependentes in fieri, eſſe, & operari eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, ergo debetur eſſentialiter Cauſæ Primæ.

58. *Ita quoque Cauſæ Primæ ſubordinantur ſecundæ, quòd in eis detur potentia obedientialis etiam laxa, ſeu cuiuſuis ad quoduis tum actiua, tum paſſiua.*

Hoc eſt vis quædam, ſecundùm quam, ita Diuinæ omnipotentiæ ſubordinentur, quòd illis vti poſſit extra

naturæ ordinem ad præſtandum, tàm actiuè, quàm pa-
ſiuè quidquid expreſsè non contradicit.

Eſt certa, quia nullum inconueniens infert; non e parte Cauſæ Primæ, quæ cum infinitæ ſit virtutis au quidquid non repugnat ſe valet extendere, adeoq. etiam eleuare creaturas à ſe dependentes per exhibitionem extraordinarij concurſus: non ex parte effectus, quicumq. ille ſit, quia quantùm eſt ex ſe contentus eſt, ſi apta reperiatur virtus in cauſa; non deniquè ex parte cauſæ creatæ, quia nihil illi intrinſecum immutatur, aut in eſſentia, aut in virtute.

Confirm. ex dominio Primæ Cauſæ, quod ſecum fert vt creaturis vti poſſit pro libito ad quodcumquè non abſurdum; ex ſubordinatione etiam cauſę ſecundæ, quæ Primæ eſt ſubdita non minus in genere cauſæ materialis, quàm efficientis, non modo ad effectus ſibi proportionatos, verùm etiam oppoſitos vſque ad contradictionem excluſiuè, & deniquè ex natura inſtrumenti, quæ talis eſt vt ſi in ſe inſufficiens coniungatur cum cauſa principali tantæ perfectionis tantum producat effectum, ſi cum perfectiori perfectiorem, ergo ſi cum infinita quemlibet effectum; ſic calor in ſe ineptus producere ſubſtantiam coniunctus cum igne ignis ſubſtantiam producit, cum Sole Metalla, arbuſta, & plantas, cum viuente viuens, ergo cum Cauſa Prima multò plures, & perfectiores poterit gignere, & admirabiliores effectus, & tandem omne non repugnans.

59 *Conſiſtit potentia obedientialis Creaturæ in ipſa illius entitate ſubordinata imperio Primæ Cauſæ, & coniungibili cum extraordinario auxilio, ad agendum, vel recipiendum quidquid non contradicit.*

Ita remanet ſatis explicata; ſuperflua non adduntur; nullo præmittur inconuenienti; ergo &c.

60 *Stante tamen hac potentia obedientiali repugnat*

idem

...em eleuari ad producendum ſe ipſum etiam ſecundò.

Primò, quia implicat idem eſſe prius, & poſterius realiter ſe ipſo, implicat enim idem reſpectu alterius, vt ex 53. ergo multò magis reſpectu ſui; eſſet verò prius, in quantùm eſſet principium reale ſuæ actionis, poſterius, in quantùm ad ipſum terminaret realiter eadem actio, ſeu per eam actionem produceretur: Nec quidquam officit, quòd ſit actio ſecunda, vel enim eſt actio phyſica, & productiua, vel eſt denominatio; hoc ſecundum non eſt ad rem; ſi primum, vel eſt actio terminata ad eſſe independens, & neceſſarium, vel dependens, & contingens, non illud, quia eſt creatura eleuata, ergo hoc, ergo erit actio principij determinatiui influentis in aliud, & quæ cum actio ſit importat principium diſtinctum à principiato, aut in natura, ſi creatum, aut in ſuppoſito ſaltem, ſi increatum, vnde

Secundò, inter producens, & productum debet dari realis diſtinctio, aut in natura, aut in ſuppoſito, aut in aliqua alia ratione, ſecundùm quàm conſtituitur producens, & productum, quod enim producit eſt quod dat, & quod producitur, quod accipit eſſe, in quo ſolo fundatur diſtinctio inter Patrem, & Filium Diuinum, & inter vtrumquè, & Spiritum Sanctum, ergo in quacumquè ratione idem produceret ſe ipſum deberet realiter diſtingui à ſe ipſo; quo nihil abſurdiùs, aut clariùs contradictorium.

Tertiò, repugnat ex parte actionis, quæ in quacumquè ſpecie actionis ſtatuatur diſtinguitur ſemper à termino, & principio, ergo multo magis petit terminum diſtinctum. Inſuper; ſi eſt vera, & phyſica actio non imaginata, & res eleuata ſit ſubſtantia, non poteſt quin ſit, aut generatio, aut creatio, ergo merum figmentum, & prob. generatio de ſuo conceptu dicit, quòd ſit mutatio totius in totum; ergo quòd ſit corruptio ſaltem

Concomitanter totius quod mutatur, at poteſt quidem eadem res bis ſimul produci vt iam, non verò bis corrumpi, ſi ſupponas actionem primam eſſe generationem: ſed demus diſpenſari concomitantiam corruptionis, & generationis, & primam actionem eſſe creationem, quid ſubiecti inueniat de cuius potentia ſe ipſum educat, cum per primam fiat independenter à quouis ſubiecto? Creatio etiam eſt eſſentialiter productio rei ex nihilo ſubiecti, & ſui, ergo ſecunda actio non poterit eſſe creatio, eſſet enim ex aliquo ſui, quia prodiret ex propria ſubſtantia rei ſe ipſam creantis, aſſignetur ergo quid ſit.

61 *Actio propria Cauſæ Primæ eſt Creatio.*

Dicitur *Creatio productio rei ex nihilo, productio* eſt genus, per quod conuenit cum quauis alia productione; *Rei* ſiuè ſubſiſtentis, ſiuè ad modum ſubſiſtentis, cum ſit independens à ſubiecto vt mox; *ex nihilo*, intellige ſubiecti, quod diſtinguit creationem ab alijs actionibus, præſertim à generatione: intellige etiam ex nihilo rei productæ; & hinc aptè explicantur ea, quæ de Creatione dicuntur, quomodo ſcilicet ſit actio rerum ſubſiſtentium, quomodo dicatur actio entis ſimpliciter &c.

Sequitur hæc Concl. ex 55. Cauſa Prima eſt eſſentialiter independens ab omni alio, ergo & eius operatio; tenet conſeq. quia modus operandi ſequitur modum eſſendi; ant. verò clarum eſt ex dictis.

Confirm. primò, quia ſi non eſt creatio actio modo dicto, ergo eſt operatio dependens, hoc verò à quo dependet, vel factum eſt per actionem dependentem, vel independentem; ſi independentem, cuius eſt hæc actio? non creaturæ, aliàs proceſsus in infinitum, ergo Cauſæ Primæ; ſi dependentem, vrgeo de eo ipſo à quo dependet. & iterum rogo, an factum, nec ne; vel

forte non eſt factum inquies; ſed contra, ergo dantur plures Cauſæ Primæ.

Secundò, de facto dantur res creatæ independentes à ſubiecto, vt ſubſtantiæ Angelicæ, & Animæ rationales, ergo per actionem independentem à ſubiecto; tenet conſeq. quia actio eſt formalis tendentia in effectum, ergo qualis terminus ipſa talis: & ſubſumo, non creatę ſunt huiuſmodi ſubſtantiæ ab alia creatura, quarum nullam creaſſe adhuc ignorat nemo, ergò à Cauſa Prima, ergo quia eius operatio propria eſt.

Tertiò; quodcumque ſubiectum excogitabile non eſt ens à ſe, ergo à Cauſa Prima, ergo cum nullum ante ipſum extiterit, fieri debuit independenter à ſubiecto, ergo per Creationem, quæ ſit propria Cauſæ Primæ actio.

Quartò deniquè; Cauſa Prima numquam potuiſſet operari primò; & prob. non potuiſſet primò operari per eductionem, quia ante primam illius operationem nullum dabatur ſubiectum de cuius potentia educeret.

62 *Poteſt tamen communicari Creaturæ vt inſtrumento, ſeu poteſt eleuari creatura ad creandum vt inſtrumentum Cauſæ Primæ.*

Arguitur à negatiuo, quia non implicat. Nequè enim ad creandum requiritur virtus infinita niſi ad ſummum in cauſa principali, ſed tanta ſufficit, quanta eſt diſtantia extremorum rei creandæ, quæ quoniam finita eſt, quodcumquè autem ens finitum finitè diſtat à non ente, non infert eſſe infinitum in cauſa; Quòd ſi conuinceretur requiri, non per hoc repugnaret creaturam creare, cum probabile ſit communicari poſſe eſſe infinitum vt inf. & quocumquè modo eleuetur virtus creaturæ ad creandum ſemper ſeruatur eius dependentia à Cauſa Prima.

63 *Actio Creatiua non eſt adæquatè identificata cum*

volitione Cauſæ Primæ, neque eſt complexum ex volitione, & termino, ſed eſt entitas realiter ab vtroque diſtincta.

Vltimum ſequitur ex duobus præcedentib. Prob. primum à poſteriori; nullus terminus creatus eſt ab æterno, ergo creatio non eſt adæquatè identificata cum volitione Cauſæ Primæ; de fide eſt ant. conſeq. prob. creatio eſt formalis tendentia in terminum creatum non ſecus, ac cognitio in cognitum, ergo non poteſt eſſe quin ſit eius terminus, non aliter quàm cognitio ſine cognito, ſed ſi identificaretur adæquatè cum volitione Cauſę Primæ ab æterno eſſet, atque adeo terminus creatus; ſicut quia cognitio eſt adæquatè identificata cum principio cognoſcente obiectum cognitum eſt ab æterno; ergo &cæt.

Dices; Volitio, quæ ab æterno vult hanc creationem, qua lapis creatur nunc eſt ab æterno, & tamen ab æterno non eſt hæc creatio ſi diſtinguatur, ergo etiam ſi ab æterno ſit hæc creatio non eſt neceſſe, quòd ſit lapis ab æterno.

Diſparitas eſt, quia volitio creationis nō eſt productio creationis ſicut creatio lapidis, volitio enim eſt de creatione pro tali inſtanti, at creatio eſt pro quocumquè ſigno ipſa ſit, cum ſit formalis, & actualis tendentia producentis in exiſtentiam termini producti.

Confirm. etiam paritate eductionis, quæ non identificatur adæquatè cum volitione Cauſæ Primæ, immò nec cum cauſa ſecunda vt inf. ergo cum militet vbiquè par ratio, nec actio creatiua.

Prob. etiam à priori, quia Cauſa Prima ab æterno non eſt actu creans, ſicut eſt actu volens, ſciens &c. ergo creatio non eſt identificata adæquatè cum volitione; ant. habes indè quòd creauit in Principio; conſequ. tenet, implicat enim eſſe id cum quo alterum identificatur, & non eſſe identificatum; ſicut repugnat eſſe id per

quòd

quòd res eſt formaliter in tali eſſe, vel eſſentialiter, vel contingenter, & rem non eſſe formaliter talem.

Neque inadæquatè, & eſt ſecundum probandum, quia ea ratio ſecundùm quam identificatur cum volitione eſt ab æterno, ergo ab æterno debet præbere, quod intrinſecè, & formaliter importat, ergo ſaltem inadæquatè recurrunt argumenta mox facta; Confirm. vltra, quia terminus creationis eſt indifferens vt ſit à ſola Cauſa Prima, vel ab ea, & à Cauſa ſecunda creante, & ſi à Cauſa Prima debeat eſſe, vt ſit per hanc, vel illam creationem, ergo petit formale determinatiuum adæquatè diſtinctū à Cauſa, & à ſe, aliter ſi per ſe ipſum determinatur, non eſt indifferens, vel ſi à Cauſa Prima immediatè, ergo ab æterno, hoc vero eſt creatio, ergo &c. an autem realiter, an modaliter diſtinguatur inf.

64 *Creatio non eſt in alio tanquam in ſubiecto ſuſtentationis, ſed eſt in ſolo termino tanquam in ſubiecto intimæ affectionis.*

Primum patet ex conceptu ipſo creationis, quæ eſt productio rei ex nihilo ſubiecti, ſeu eſt formalis ratio, per quam res creata fit independens à ſubiecto ſuſtentationis, ergo: ſecundum ex natura formalis determinatiui, quæ eſt quod informet aliquod ex extremis determinatis, inter quæ nullum aptius termino creato, Cauſa enim Prima immutabilis eſt, atquè ininformabilis in qualibet ratione. Confirm. Creatio eſt, actualis dependentia termini creati à Cauſa Prima, verùm quæuis dependentia adæquatè, & completè eſt, vel in ſubiecto termini, quod hic nullum eſt, vel in termino, ergo &c.

65 *Implicat abſolutè res natura ſua creabiles educi de potentia ſubiecti, aut ſeorſim, aut ſimul.*

Ratio eſt natura ipſa actionis eductiuæ, & rei creabilis, illius quidem, quòd ſit formalis dependentia rei à ſubiecto, huius verò quòd ea natura ſua ſit à ſubiecto inde-

independentis. Nec quidquam iuuat potentia obedientialis, quæ non extenditur ad repugnantiam in natura rei fundatam. Quòd ſi disiunctim educi deberet v. g. Angelus deberet etiam creationem ſupplere eductio, quod & ratione, & paritate oſtenditur impoſſibile; Ratione, quia non poteſt talis entitas eleuari ad ſupplendam vicem alterius, niſi vel eminenter, vel formaliter illud contineat, vel aliquam ſaltem conuenientiam negatiuam habeat in prædicatis, hoc eſt habeat prædicata non repugnantia, quæ nulla apparet in eductione ad Creationem, hæc enim eſt formalis independentia à ſubiecto, formalis dependentia illa. Paritate, cur enim non poteſt viſio terminare ad obiectum intelligibile, vel ad ſonum? niſi quia eſt in ordine inferiori actionis vitalis, quæ eſt formalis tendentia in obiectũ coloratũ, ergo &c.

66 *Poteſt tamen forma natura ſua educibilis tum disiunctim, tum coniunctim educi, & creari.*

Non implicat; ergo &c. ant. de ſucceſſione, vel coniunctione plurium actionum in productione eiuſdem effectus eſt expreſſum in 47, & 50, prob. verò de creatione, & eductione, quia res natura ſua educibilis poteſt eleuari ad perfectiorem ſtatum independentiæ à ſubiecto, conſequenter poteſt terminare actionem creatiuam, & actio creatiua, altioris ordinis cum ſit, poteſt terminum inferioris attingere, & eleuare, ſi applicetur, vt cernimus in intellectione ad ſonum, & colorem &c.

Dices; eadem res dependeret, & non dependeret à ſubiecto.

Excluſiuè nego, poſitiuè concedo, hoc eſt dependeret per actionem eductiuam non dependeret per creatiuam, & alterutra deficiente, adhuc fieret, ſicut idem obiectum per actum Fidei habetur, ſed obſcurè, per actum Scientiæ euidenter; nec quidquam contradicit in obiecto, aut in coniunctione horum actuum.

Titulus VIII.

Efficiens Creatum.

DE hoc genere Cauſæ plura duobus titulis præcedentibus, ideo breuiter, quæ ſuperſunt; præſertim quidquam de eius cauſalitate; ſuppono enim ex 54 cauſas ſecundas phyſicè cauſare, inter quas Efficiens primum tenet locum.

67 *Actus primus intrinſecus Agentis creati non conſtituitur per virtutem productiuam, & actionem poſſibilem, ſed per ſolam virtutem præcisè ab actione poſſibili, vel impoſſibili.*

Dixi *actum primum* intrinſecum, intellige phyſicum; quia extrinſecus, ſeu proximus completur extra dubium per actionem poſſibilem, per conditiones debitas, remotiones impedimentorum &c.

Ratio eſt, primo quia Cauſa in actu primo intrinſeco reſpicit eſſentialiter quidquid poteſt ipſa producere, ſeu vt quod, ſeu vt quo, & ſi vt quod, multò magis vt quo, cum ſit formalis tendentia in terminum, & effectum vt quod, ergo actus primus intrinſecus non conſtituitur per actionem poſſibilem, tenet conſeq. quia inter extrema realiter reſpectiua debet dari realis diſtinctio etiam in actu primo, patet ant. ex 44; Confirm. quià æquè à virtute cauſæ fit effectus, ac ipſa actio, immò actio eſt id ipſum, per quod fit effectus; ergo &c.

Secundò, nullus actus primus phyſicus poteſt intrinſecè conſtitui per actum obiectiuum alterius, hic enim dicit merum eſſe poſſibile, ille phyſicam exiſtentiam.

Tertiò, efficaciùs à poſteriori nihil poteſt complere actum primum phyſicum ad ſe ipſum, ergo non poteſt

actio

actio poſſibilis complere actum primum intrinſecum ſuæ cauſæ; conſeq. eſt certa, quia poſſe cauſam producere effectum eſt poſſe exiſtere actionem, ergo actus primus cauſæ ad effectum eſt etiam actus primus ad actionem; ant. verò prob. nihil poteſt habere vim phyſicam ad producendum ſe ipſum, ergo nec complere eum actum, à quo ipſum produci poſſit, qua propter nec effectus poſſibilis includitur in actu primo ſuæ cauſæ.

68 *Cauſalitas agentis creati eſt actio in actu.*

Eſt enim actio, id per quod cauſa ex actu primo conſtituitur in actuali exercitio cauſandi, nam eo ipſo, quòd intelligitur actio exire à virtute cauſæ intelligitur fieri effectus, & cauſa actu cauſans. Præterea; nihil aptius aſſignari poteſt in quo conſiſtat cauſalitas agentis, ergo &c. non enim eſt virtus, & entitas cauſæ per ſe ipſam, cum eſſet etiam in actu primo cauſæ remoto; non conditiones, cum poſita cauſa in vltimis diſpoſitionibus ad agendum præciſa actione adhuc poſſit ſaltem diuinitus impediri, ne agat, ſi cauſa neceſſaria eſt, ſe ipſam vero ex ſua intrinſeca virtute, ſi libera: non entitas effectus, quæ nondum eſt, & eſt quid in poſteriori ſaltem naturæ conſequens ad actuale exercitium cauſæ, ergo remanet quòd ſit actio.

Lis eſt autem, an modus ſit actio, qua propter, ſicut etiam propter alias huiuſmodi entitates, quæ non niſi modales eſſe poſſunt, aliquia de Modis.

69 *Dantur de facto aliquæ entitates Modales.*

Conuincimur primò, quia nulla ratio mouet ad negandos modos, non leue autem argumentum, nullis oppeti rationibus ab oppoſito.

Secundò; quoties fit tranſitus de contradictorio in contradictorium intercedere debet acquiſitio, vel deperditio alicuius poſitiui, hoc non ſaluatur ſine entitatibus modalibus; ergo &c. mai. quam tamen admittunt ple-

atque, prob. inter contradictoria non datur medium, ſed quidquid tollit vnum ponit aliud, ergo quoties res tranſit ab aliquo eſſe poſitiuo ad negatiuum debet neceſſario deperdi id, cui formaliter, & contradictoriè opponitur eſſe negatiuum, quod acquiritur, ſecus conueniunt ſimul duo contradictoria; è contrario, quoties res tranſit ab eſſe negatiuo ad poſitiuum acquiri debet poſitiuũ, quod formaliter opponitur, & tollit negationem dictam, cum non tollatur contradictorium negatiuum niſi per acceſſum poſitiui; & quidem ſi tranſitus ſit ab vno ſtatu ad alium intrinſecum, debet fieri per poſitiuum intrinſecum vt cum materia tranſit à non eſſe vnita ad eſſe vnitam; ſi à ſtatu extrinſeco per aliquod extrinſecum, vt cum tranſit paries à non eſſe viſo ad eſſe viſum, importat enim viſionem in vidente; nec ſufficit mera extrinſeca denominatio, cum tranſitus ſit per veram, & phyſicam mutationem in tranſeunte ſi intrinſecè, vel in alio ſi extrinſecè mutatur; Prob. etiam min. quouis modo explicetur hic tranſitus, ſeu per connotatum, complexum, virtualitatem, vel formalitatem, dum non aſſignatur forma aliqua poſitiua, & phyſica non aſſignatur ſufficiens fundamentum tollendi alterum contradictorium; connotatum enim, complexum &c. non opponuntur formaliter niſi negationi connotati, complexi &c. non negationi ſtatus formalis rei, & connotata, ſeu complexa non verificantur niſi ex eo quod res ita ſe habet, at non ſe habet ita per ſe ipſam, ergo per aliud, non per entitatem realem, quia eiuſdem eſt conditionis vbiquè, ergo per entitatem, quæ ſit formaliter tale eſſe, ergo Modus, huiuſmodi enim entitates dicimus Modos.

Conuincimur tertiò, quia res creatæ cum ſint imperfectæ, & limitatæ entitatis, non ſemper ſunt in tali ſtatu etiam naturaliter debito per ſe ipſas formaliter, ergo debent reddi tales per aliquod, quod ſit tale eſſe formaliter,

liter, ergo cum hoc non poſſit ſaluari per connotata, virtualitates &c. quæ non ſunt tale eſſe formaliter, niſi connotata &c. dicas eſſe entitates nouas, & phyſicas, quo poſito conuenimus in re, diſcrepamus in nomine, conſtringimur fateri eſſe modos; de antecedenti non eſt dubium, quia ſi res creatæ eſſent formaliter tale eſſe eſſent tales per ſe ipſas, ergo ſemper eſſent tales; Ex quo oritur contingentia, & indifferentia ad talem, vel alium ſtatum, v. g. in materia ad vniri, vel non vniri, ad vniri cum hac, vel illa forma; vndè

Conuincimur quartò, quoties res eſt indifferens ad talem ſtatum debet determinari ab aliquo, quod ſit formale tale eſſe, alioquin adhuc ipſum erit indifferens, ergo proceſſus in infinitum; ergo per Modos; ant. oſtendo, talis indifferentia non poteſt tolli niſi per aliquod, quod ſecum ferat illud eſſe, ergo quod ſit formaliter tale, ergo formale determinatiuum, ergo Modus.

Quintò à poſteriori, quia certum eſt duo eſſe in albedine ex. gr. naturaliter exiſtente in ſubiecto, quæ non ſunt cum albedo in Euchariſt. ſeparata á ſubiecto conſeruatur, videlicet entitas albedinis, & actualis illius inhærentia in ſubiecto, quàm ſanè non habet albedo per ſe ipſam, al às eandem ſeruaret ſeparata, vel implicaret ſeparari; & vt philoſophemur in naturalibus, duo habet agens quandò agit, quæ ante, vel poſt non habet nempe propriam entitatem, ſeu virtutem, & actuale operari, quod non habet agens per propriam entitatem, aliter ſemper actualiter operaretur donec propriam entitatem haberet, inhærentia autem albedinis, & operari agentis non eſt res, quia adhuc ipſa non eſt talis per ſe ipſam, vel ſi talis das Modum ſub nomine rei, neque eſt quid imaginarium, ſed phyſicum, & reale, ergo Modus.

Sextò deniquè apprimè ſaluantur omnia, quæ aliunde inexplicabilia redduntur, immò ſi clara ſint confundun-

tur;

; nullum ſequitur inconueniens, aut ex parte Dei, aut ex parte creaturæ, quin potius tot tolluntur abſurda, a quæ tenetur impingere natura, ſi Connotatiltas, Complexiltas, Deiformes, Formaliltas, Magneticos, aliaquè huius generis Ingeniorum acumina, quæ Naturam ſuperant, attendat. Quis enim dixerit cum Natura materiam cum forma copulauit, formalitatem, aut virtualitatem, aut connotatum meditatam fuiſſe, vt neceſſariæ adeo, mediocriquè, ſufficienti tamen parceret entitati? Fateamur ergo prouidam Naturam, quæ modos conceſſit, nec beneficium phyſicæ claritatis euidentia illuſtre, in complexorum, connotatorum ſimiliumquè inuolucris, ac nubibus obuertamus, & obſcuremus.

70. *Sunt Modi actuales informationes ſubiecti.*

Eſt deffinitio eſſentialis; & ſenſus eſt; Sunt Modi entitates quædam, quarum eſſentia eſt eſſe actuales informationes ſubiecti; *Entitates* eſt genus, cætera differentia. Dicuntur autem informationes, non determinationes, non quia modi non ſint actuales determinationes, ſed quia hic eſt conceptus ſecundarius, & veluti conſequens ad primum; in tantum enim determinant in quantum informant; per quod indicatur communis cõceptus de natura, quod nempe ſint etiam diuinitùs inſeparabiles à ſubiecto; explicatur etiam principaliter quod ſunt in ſe, & ſecundario, quod ſunt ad aliud, ſcilicet determinationes tollentes indifferentiam; oſtenditur etiam fundamentum diſtinctionis modalis, quæ eſt inter ea, quorum vnum poteſt eſſe ſinè alio, non è contrà; & maximè cum vnum ſit informatio alterius, quia Creaturæ non poſſunt eſſe ſinè Deo, licet Deus ſinè illis, & non ſunt modi Dei, quia Deum non informant.

Neque dicuntur actuale exercitium rei, quia ſi admittantur potentiæ ab anima diſtinctæ ſunt modi, & tamen non ſunt actuale exercitium aliquod animæ; & de facto

ſepè organo læſo anima nihil operatur actu, & tan. tali potentia,& tali modo non deſtituitur. Ex eo igitur quòd ſint actuales informationes, habent etiam determinare intrinſecè quidem id, quod actu informant & dicuntur Modi intrinſeci; Extrinſecè etiam id ad quod ordinantur, illud licet non informent, ſed aliud, & dicuntur Modi extrinſeci.

71 *Actio quæcumquè cuiuſuis agentis eſt entitas modaliter diſtincta, ab agente termino, & paſſo.*

Sequitur ex 72. argumenta enim, quæ modos conuincunt in genere, fortiùs extorquent in particulari, vt applicanti conſtat.

Vnum addo pro actione in communi, alterum prò actione creatiua, de qua ſup. Primum eſt, quia ignis B v.g. non eſt per ſe ipſum effectus ignis A, nequè hic per ſe ipſum cauſa illius,ergo per aliquod ab vtroque diſtinctum, quod reddat formaliter, ignem A cauſam B, & B effectum A, ſed hoc non poteſt eſſe effectus, aut cauſa, eſt enim eadem ratio de omnibus, ergo actio, ergo &c. ant. prob. quia quod eſt per ſe ipſum tale ſemper eſt tale, at ignis A non ſemper eſt cauſa B, neque B effectus A, immò alter ſine altero eſſe abſolutè poteſt; conſeq. eſt clara, remanet ergo quòd actio ſit modus diſtinctus.

Nequè ſufficit connotare exiſtentiã cauſæ,& effectus, quia habetur abſque eo, quòd effectus producatur; aut eſſe poteſt hoc complexum ex dependentia effectus à cauſa,quia non eſt hoc complexum ſola entitas cauſæ,& effectus, ſed actualis ipſa dependentia diſtincta ab vtraque entitate; nec etiam volitio Dei volentis effectum ab hac Cauſa, remanet enim ſemper aſſignandum aliquod præter entitatem cauſæ, & effectus, aliquod per quod differat decretum Dei volentis effectum ab hac cauſa, à decreto volente effectum ab alia, quod non eſt ſola en-

titas

citas cauſæ, & effectus, poteſt enim eſſe hoc decretum *Volo cauſam A, & effectum B, & volo effectum B à Cauſa C*: ecce exiſtentia vtriuſquè, & effectus dependens à C, ergo quia differt hoc vltimum decretum per aliquod à cauſa, & effectu diſtinctum, quod eſt fieri B à C, & dicitur Actio.

Alterũ pro creatione eſt, quia quoties aliqua ita ſe habent, quòd vnum poſſit eſſe ſine altero, & non è contra, diſtinguuntur modaliter, de facto eſt Deus ſinè actione creatiua, nunquam Creatio ſine Deo, ergo &c. mai. fundatur in diſtinctione modali, de qua in Methaph. min. patet in opere ſex dierum, ante quod erat Deus ſine creatione; & confirmatur ex Sacram. Euchariſt. antequàm proferantur verba conſecrationis eſt Deus, ſunt accidentia panis; & non eſt actio creatiua, his prolatis eſt, ergo &c. & ſi ſemel concedatur diſtincta, cur non ſemper? itaquè cum eadem vbiquè militet ratio, ne plura.

72 *Actio ſolo deffinitiuo conceptu, ſeu formaliter diſtinguitur à Paſſione, & Motu.*

Nulla eſt ratio eam diſtinguendi magis, ergo &c. eadem enim entitas quatenus eſt *Actus actiui in hoc* eſt actio, quatenus *Actus huius* hoc eſt paſſi *ab hoc* eſt paſſio, quatenus *Actus vtriuſquè* eſt motus, & ſicut eadem entitas non poteſt eſſe Actio, quin ſit in paſſo, neç eſt in paſſo, quin ſit ab agente, nec ab agente eſt in paſſo, quin vtrumquè moueat, ità non poteſt eſſe, quin realiter ſit Actio, Paſſio, & Motus; eadem enim eſt via Athenis Thebas, & Thebis Athenas.

Adde, quod paſſio realiter diſtincta ab actione non eſſet à ſe, ergo ab alio, ergo eſſet aliquis effectus, ergo vel fieret per ſe ipſam, & ſic eſſet ſibi ſua actio, ergo eſſet realiter Actio, & Paſſio; vel per actionem diſtinctam, & hæc actio eſt eductiua, ergo eſt in ſubiecto,

ergo erit actio ſimul, & paſſio, ergo aliqua non diſtinguetur, ergo cũ eadem ſit ratio de omnibus, vel omnis vel nulla diſtinguetur, quod conuincit pręſens diſcurſus

73 *Actio qualibet ſpecificatur à termino ad quem, & ſi eſt eductiua recipitur in ſubiecto termini.*

Prob. quia nullum aptius ſpecificatiuum eſt, quàm terminus (intellige de ſpecificatiuo notabili) productio enim caloris ex. ca. ſiuè ſit ab igne, ſiue ſit à Sole ſemper eſt caloris productio, ſi verò ſit ad ignem, non eſt vltra calefactio, ſed ignis generatio; ſicut etiam ſiue ſit in paſſo A, ſiue in B ſemper eſt calefactio, non ſic ſi ad alium terminum, ergo adæquatum, & notabile ſpecificatiuum eſt terminus.

Dixi verò adæquatum, & notabile ſpecificatiuum, quia aliqualiter etiam ſpecificatur ab agente, alia enim eſt calefactio Solis, alia ignis, alia Dei.

Ratio eadem probat recipi in ſubiecto termini, ſi eductiua eſt, quia nihil aptius, ergo &c. non enim eſt agens, quia hoc vt tale formaliter non dicit aliquod in ſe ipſo, ſed potiùs aliquod fluere à ſe ipſo, ſi verò in ſe reciperet actionem iam non à ſe, ſed in ſe diffunderet, ergo non eſſet formaliter agens, ſed patiens.

Adde; non differret operans vitale à non vitali, cuius actio dicitur tranſiens, Deus non poſſet eſſe agens in actu ſecundo, cum in ſe actionem nequeat recipere, immutabilis eſt enim: Neque eſt terminus productus, quia omnis cauſa ſubiectiua eſſentialiter eſt prior natura ſubiectato, ergo terminus productus deberet eſſe prior actione, quæ eſt formalis tendentia in illum, ergo aptiſſimum eſt ſubiectum termini.

Confirm. Actio eductiua in eo formaliter debet eſſe de cuius potentia educit, aliter eſſet formale pati ſinè paſſione, at non educit de potentia agentis tanquam de ſubiecto, nec terminum de potentia termini, ergo in paſſo termini.

Titu-

Titulus IX.

Finis.

EST Finis illud vltimum intentum, quod amat, & propter quod operatur agens, cuius conſequendi gratia mouetur, in quo adepto quieſcit, & eſt ſecunda ex cauſis extrinſecis, prima in intentione, vltima in actu, ſeu vt aiunt, in exequutione.

74 *Eſt igitur illud determinatiuum, in cuius gratiam agens operatur.*

Determinatiuum illud hoc eſt principium, in quo non diſconuenit à cæteris cauſis; differt verò, quia propter finem mouetur agens ad operandum; ſicquè effectus, quod planè exprimit modum cauſandi illius, videlicet Mouendo.

Eſt Finis id, quod intenditur ab operante, ea per quæ conſequitur ſunt *media*, circa quæ ſunt duo actus agentis, vel in ſe, ſi cognoſcitiuum eſt, vel in Cauſa Prima, alter circa media, & dicitur electio mediorum, alter finis ipſius, & dicitur *intentio finis*; Quòd ſi finis ſit illud, quod ipſum intendatur dicitur *Finis Qui*, eſt enim qui terminat intentionem agentis, ſi verò id cui intendit agens aliquod bonum, vt cum Amico precamur ſalutem, dicitur *Finis cui*. Ipſa etiam operatio verſans circa finem habet rationem finis, & dicitur *Finis formalis*, res verò intenta, & cognita *Finis obiectiuus*.

75 *Eſt vera, & realis Cauſa.*

Sequitur ex præcedenti, eſt enim verum, & reale principium determinatiuum effectus ad exiſtentiam, tanquam id in cuius gratiam effectus fit, hoc eſt veram, & realem cauſam, ergo &c. min. eſt clara, quia cauſare

finaliter, nihil aliud eſt, quàm mouere agens ad operandum in gratiam ſui conſequendi, mouet namquè vt bonum rei, quam mouet, ergo realiter cauſat, de mai. non eſt dubium, quia niſi finis moueret, & determinaret ad agendum effectus phyſicè non produceretur, ergo eſt reale, & verum determinatiuum finale.

Dicitur tamen metaphoricè cauſare, non quia realiter non moueat agens ad operandum, & determinet effectum ad exiſtendum, ſed quia non mouet per phyſicam actionem ab ipſo exeuntem, cum vt plurimum non exiſtat, & merè intentionaliter ſit, & mouet ſecundùm eſſe cognitum.

76 Finis cauſat ſecundùm eſſe reale, non ſecundùm eſſe obiectiuum.

Duplex eſſe habet Finis, quod eſt vltimum in executione, & eſt eſſe reale, quod cauſatur, & primum in intentione, quòd ſcilicet primò apprehendit agens, & dicitur intellectuale, ſeu obiectiuum.

Ratio eſt, quia ſecundùm illud eſſe cauſat finis, quo mouet agens ad operandum, & quo obtento quieſcit agens, cum ergo non operetur agens propter eſſe cognitum, eoquè obtento non quieſcit, immò tunc maximè operatur, ex oppoſito eo cognito operatur, conſequuto quieſcit, ergo &c. cernis mini in ægroto ſumente pharmacum propter ſanitatem; Præterea, eſſe quod conueniens eſt agenti non eſt eſſe obiectiuum, ſed reale ergo ſecundùm hoc cauſat, non ſecundùm illud.

77 Eſſe reale ſecundùm quod cauſat Finis eſt bonitas honeſta, vel delectabilis, nullatenus malum.

Prob. per hoc cauſat Finis, quod eſt proportionatum mouere agens, ſed per hoc proportionatum eſt, quod proportionatum eſt appetitui agentis, hoc vero eſt bonitas vel honeſta, vel delectabilis; ergo &c. Confirm. non eſt malitia, vt probabo, ergo eſt bonitas dicta,

Prob.

Prob. igitur hoc antecedens, & ſecundam partem concl. primò, quia voluntas non poteſt ferri in malum, quà malum, nihil enim intendens in malum operatur, neque magis fertur voluntas, atquè adeo omnis appetitus in obiectum ſibi proportionatum, ac intellectus, & potentia quæuis alia cognoſcitiua, ſed intellectus numquam ferri poteſt in falſum quà falſum, ergo nec voluntas in malum quà malum, ergo ſaltem ſub ratione boni, non vtilis, quia ſemper habet rationem Medij, ſi enim vtile eſt, alicui & ad aliquod eſt vtile, ergo &c.

Secundò in malo non ſolum non eſt vis aliqua tractiua, vel motiua voluntatis, immò potiùs vis repellendi, & excitandi ad fugam, ſemper enim habet rationem diſconuenientis. Tertiò non differret formaliter actus odij, & fugæ ab actu formaliter amoris, & proſequutionis (dic proportionaliter de alijs agentibus non liberis, & non cognoſciuitis) prob. ſequel. quia actus fugæ, & odij habet pro obiecto formaliter malum.

178 *Cognitio Finis non eſt formalis ratio cauſandi, ſed mera conditio ſinè qua non.*

Fundatur in hoc, quòd ea eſt formalis ratio finalizandi, quæ vim habet mouendi agens ad operandum propter illius conſequutionem, quis autem non videat non moueri agens ad conſequendam cognitionem Finis, quam & iam habet, nec hactenus ceſſat ab operari, & ſi non haberet, nec propter ipſam moueretur ad operationem? Si dicetur rulticus, vel idiota, quis dixerit ipſum deglutire pharmacum, vt ſanitatis cognitionem aſſequatur, qui nec ſcit quid ſit cognitio, nec cogitat de cognitione ſanitatis? Si vir prudens, cur non potiùs dixeris ipſum in ſtudijs caneſcere, quam inter Medicorum manus dolere, vt ſanitatis cognitionē adipiſcatur? Quam delectationem, quam honeſtatem affert bonæ valetudinis ſanitatem admirari intellectum, ſi non realiter poſſideatur à corpore?

Digitized by Google

Inſuper, deberet fieri intentio finis per cognitionem reflexam, nempe per cognitionem cognitionis de finis bonitate: & tandem, cauſat finis ſecundùm eſſe reale, quod poteſt aſſequi, non ſecundùm eſſe cognitum, vt ex 79, ergo cognitio non eſt ratio formalis finalizandi, cognitum enim dicit concretum ex obiecto, & cognitione, atqui cognitio, quæ ſit formalis repræſentatio obiecti.

Erit ergo conditio, quæ enim neceſſario requiruntur ad cauſandum, & non ſunt ratio formalis cauſandi, vel ipſa cauſalitas actualis, ſunt conditiones. Conditio præterea ea eſt, quæ virtutem applicat ad operandum, ſic approximatio, quia applicat virtutem ignis ad comburendum, & ſubiecti ad recipiendum eſt conditio.

79 *Cauſalitas Finis eſt eadem ipſa actio agentis pro vt exit in illius gratiam.*

Ea enim habenda eſt pro cauſæ cauſalitate, qua habita habetur ſufficienter effectus dependere à tali cauſa, ſed ſi intelligam actionem agentis fieri in gratiam finis, habetur ſufficienter effectus dependere à fine, intelligitur enim fieri in gratiam finis, quod eſt dependere à fine; Præterquamquod non eſt aliud aſſignabile, per quod cauſet actu finis; conſidera quæcumquè ſunt in fine.

80 *Omne agens agit propter finem.*

Et quidem ſi *agens intellectuale* eſt cognoſcendo bonitatem finis, eius proportionem, & conuenientiam, media proportionata, & congruentia ad illius conſequutionem, diciturquè agere propter finem formaliter; ſi *ſenſitiuum*, cognoſcendo quidem bonitatem finis intenti ſibi conuenientem, ex mera tamen naturæ ſympathia, non cognoſcendo conuenientiam finis, nec opportunitatem mediorum ad eius obtentum conducentium; ſi deniquè *purè naturale* hoc eſt non cognoſcitiuum, non cognoſcendo bonitatem finis, aut media, ſed ex puro naturæ

naturæ impetu, & inſtinctu fertur in finem ſibi à natura debitum.

Quòd ſi *agens intellectuale* eſt, intenditur finis, & eliguntur media proportionata ab ipſo, & à Cauſa Prima ſimul, adeoquè ordinatur, & emittitur actio ab vtroquè in gratiam finis, cætera verò agentia, incapacia cum ſint electionis, licèt ſimul cum Prima Cauſa actionem emittant; media exequantur propter talem finem, intenditur tamen finis, & eliguntur media à Prima Cauſa ſupplente deffectum cognitionis in ſecunda, & intendente eum finem, quem cauſæ ſecundæ bonum, & congruum cognoſcit per ea ſpecialiter media, quæ eligeret, & exequeretur ipſa ſi cognitione ſufficienti eſſet prædita; vndè eſt, quòd dicatur agere propter finem; cum hoc diſcrimine, quòd finis dicatur intrinſecus agenti intellectuali, extrinſecus non intellectuali.

Titulus X.

Cauſæ Intrinſecè, ſeu Partes.

E Quattuor vulgatis cauſis Corpori naturali duæ ſunt intrinſecè, & ſunt Materia, & Forma, duæ extrinſecè Efficiens putà, & Finis. Hæ extrinſecè, quia intrinſecam Corporis naturalis conſtitutionem non ingrediuntur, illæ intrinſecè, quòd intrinſecè totum componant cauſando, & cauſent componendo, vnde & Partes dictæ.

81 *Aptè deffinitur cauſa intrinſeca Principium determinatiuum, vndè ſequitur totum per intrinſecam ſui exhibitionem.*

Vndè ſequitur totum, quia cauſant vt partes, *per intrinſecam ſui exhibitionem*, hoc eſt præbendo propriam

 entita-

entitatem in ſe incompletam ſi fiat totum per ſe, & eſſentiale, vel tanquam illud principium ex quo ſequitur totum, & eſt cauſa intrinſeca ſubiectiua, vel tanquam id per quod conſtituitur in tali eſſe ſpecifico, & cauſa formalis intrinſeca.

82 *Materia, & Forma ſunt veræ cauſæ intrinſecæ Totius non collectiuè, ſed diſtributiuè.*

Sunt enim id ex quo, & id per quod conſtituitur intrinſecè totum, ita vt ab illis dependeat in fieri, in eſſe, & in operari: Sunt etiam diſtributiuè, non collectiuè, quia collectiuè, hoc eſt vnitæ ſunt totum, nihil autem eſt cauſa ſui, ergo erunt diſtributiuè, de quibus verum eſt, quod totum determinetur à materia tanquam à principio determinante vt id ex quo, & à forma tanquam à principio determinante vt id per quod: hanc clarius habebis ex 94.

83 *Materia non eſt mera conditio, ſed eſt vera cauſa ſubiectiua formæ materialis, forma verò finalis materiæ.*

Explico. Finis primarius naturæ in creatione materiæ fuit Totum ex illa conſtituendum, ſecundarius forma, cum ſit veluti medium ad conſequendum Totum, quia vero non poteſt haberi forma materialis naturaliter niſi educatur de potentia ſubiecti; educi verò dicit influxum determinatiuum ſubiecti in rem eductam, ideo eſt materia realis cauſa formæ materialis, forma finis ſecundarius materiæ.

Quod dico de materia in ordine ad formam, oſtendo: æquè indiget forma aliquo principio à quo efficienter determinetur, cum non ſit à ſe, ac aliquo ex quo determinetur, cum fiat per eductionem, ſed hoc dicit veram cauſalitatem in primo, ac in ſecundo, per hoc enim diſtinguitur eductio à Creatione, & conſtituitur cauſalitas ſubiectiua materiæ, ergo &c.

Oſtendo

Oſtendo etiam, quod dixi de Forma in ordine ad Materiam, quia non aliam exercet forma cauſalitatem in materiam, quàm quòd ſit id in cuius gratiam ſaltem ſecundariò fit materia, quando enim creatur materia nullum influxum, vel effectiuum, vel formalem recipit à forma, non primum, quia à ſolo Deo creatur, non ſecundum, quia influxus formalis eſt conſtituere, materia verò non conſtituitur per Formam, ſed totum, ergo ſolum finalem dictum.

Confirm. quia ſi forma eſt materialis educitur de illius potentia, ſi ſpiritualis, materia eſt id ad cuius exigentiam creatur, ergo ſemper præſupponitur materia ſaltem in priori naturæ, ergo non poteſt cauſari à forma, niſi ad ſummum finaliter, vt dixi.

Nequè dicas cauſari quoad exiſtentiam; Quia hoc cauſari quoad exiſtentiam, vel eſt cauſari efficienter, aut formaliter, & non, vt oſtendi, vel dicit exiſtere materiam per exiſtentiam formæ, & nequè, vt ex 17, quid eſt ergo?

84 *Cauſalitas actualis materiæ, & formæ in totum eſt illarum vnio.*

Conſtat, quia per vnionem conſtituuntur in actuali exercitio cauſandi totum, cauſat enim materia per receptionem formę, & forma per informationem materiæ, in hoc ſiquidem conſiſtit conſtituere Totum, ſed hoc nihil eſt aliud, quàm vniri formam cum materia, & materiam cum forma, ergo &c.

Firmatur, quia materia, & forma ſunt cauſæ Totius in actu primò, quia poſſunt Totum componere, ergo erunt cauſæ in actu ſecundò per actualem compoſitionem, ſed actualis compoſitio eſt vniri materiam cum forma, & vice verſa, ergo &c. probo hanc min. ſi in dubio ſit, compoſitio totius eſt formam informare materiam, & materiam recipere formam, ita vt reſultet

ex

ex his duabus incompletis vnum tertium completum; hoc autem eſt vniri has partes, ergo &c.

85. *Vnio inter materiam, & formam eſt modus phyſicus vtriuſque; ſubſtantialis ſi talis eſt forma, accidentalis qualis eſt illa.*

Eſt euidens ex 72, magis tamen dilucidatur, quia reperiuntur de facto materia, & forma ſinè tali vnione, vt in homine vita functo, vel ſaltem materia ſinè vnione, & forma, vt in ligno combuſto, & iure diuino poteſt reperiri forma materialis ex 23, ergo diſtinguuntur realiter, non abſolutè, quia non poteſt vel etiam diuino iubente conſilio reperiri vnio ſinè materia, & forma, ergo modaliter. Denuò; Formam, & materiam eſſe duas partes vnitas, quum antea non eſſent vnitæ eſt aliquis effectus formalis de nouo, ergo requirit cauſam formalem diſtinctam à materia, & forma; non enim eſt entitas formæ, & materiæ, quia hæ ſunt, vel ſaltem poſſunt eſſe ſinè hoc effectu formali; non res, quia eſt eſſentialiter nexus actualis, aliter alium nexum exigeret, ergo in infinitum; ergo Modus. Iterum; Hæc duo extrema diuerſimodè comparantur ad inuicem intrinſecè quando ſunt vnita, ac antea, ergo requirunt neceſſariò aliquod intrinſecum, per quod facta ſit intrinſeca mutatio vel in alterutro, vel in vtroque; diuerſimodè, quia ſunt vnita, & conſtituunt Totum; intrinſecè, quia materia intrinſecè recipit formam, forma informat materiam per intrinſecam vnionem alterius ad alteram, non per ſolam ſuam entitatem; hæc enim erat ante intrinſecam diuerſam cōparationem factam, ergo per aliquod, quod ſit formalis ratio huius comparationis, ergo quod ſit entitas modalis. Tandem; torqueris concedere hunc modum vnionis in hominis generatione, vbi non habes quid aſſignes pro termino generationis humanæ, eadem porrò eſt in omnibus neceſſitas, licèt non adeò palpabilis, ergo vbique vnio erit modus.

Dixi

Dixi autem eſſe modum ſubſtantialem ſi forma ſit ſubſtantialis, accidentalis, ſi illa talis, quia vnio eſt de eſſentia compoſiti, ſi ergo ſit ſubſtantiale non poteſt hæc eſſe accidentalis, ant. patet, quia compoſitum dicit eſſentialiter partes vnitas, hæ verò vnionem, conſeq. eſt clara, quia nullum accidens eſt de eſſentia compoſiti ſubſtantialis, immò non poſſunt partes vniri, niſi per nexum, & modum ſibi proportionatum, ſi ergo ſubſtantiales, & modus, quia verò vnio eſt actualis informatio materiæ, & receptio formæ, quod maximè reſpicit formam, ideo à forma ſpecificari debet vnio.

86 *Vna eſt vnio eſſentialis, quæ materiam, & formam vnit in conſtitutione Compoſiti.*

Moueor primò à conceptu eſſentiali Vnionis, qui eſt nexus plurium, hæc ergo vnio cum ſit nexus eſſentialis dicit eſſentialiter eſſe nexum partium eſſentialium, hoc eſt materiæ, & formæ, vna ergo ſufficit: ſecundò ab effectu formali vnionis, qui eſt conſtituere totum vniendo vnam partem cum alia, ergo conſtituit vniendo materiam cum forma, ergo formam cum materia, ergo vna ſufficit, probo ſecundam conſeq. non ſunt duo diuerſa ex parte obiecti materia componens cum forma, forma componens cum materia, ergo non ſunt duo effectus formales diuerſi materia vnita formæ, forma vnita materiæ, ergo vnio conſtituens totum vniendo materiam cum forma, conſtituit etiam vniendo formam cum materia: hoc ant. patet materia componens cum forma, nihil aliud eſt, quàm totum compoſitum ex materia, & forma, & vice verſa.

Quod ſi videatur materia cum forma importare diuerſam entitatem in recto ab ea, quæ vnit formam cum materia, diſtinguit ſolum diuerſos conceptus formales. Tertiò, paritate vnionum Integralis, & Hyppoſtaticæ, quarum ſingula ſufficienter vnit ſua extrema, quale autem diſ[illegible]men in ratione vnionis?

Di-

Dices, ad referendum duo extrema non ſufficit vnica relatio; ergo nec ad vnienda duo extrema vnica vnio.

Si negauero relationem diſtinctam nihil efficies; do tamen relationem, & nego conſeq. diſparitas eſt, vel quia relatio non conſtituit fundamentum intrinſecum termino ad quem refert, ſicut vnio conſtituit materiam intrinſecam formæ, & formam materiæ, eget igitur fundamentum forma intrinſeca, per quam intrinſecè dicatur, & ſit v. g. Pater, & ex oppoſito Filius, vnio verò intrinſeca eſt vtriquè; vel quia correlatiua ſe reſpiciunt ſub ratione termini, & fundamenti; ſecundùm vnam rationem ideo vnam relationem terminant, ſecundùm aliam alteram fundant, per quod poſitiuè diſtinguuntur, & opponuntur, materia verò, & forma vniuntur ſemper, & ſe reſpiciunt tanquam ſubiectum, & forma, ſemper ergo vniuntur ſecundùm eandem rationem.

Nec obſtat relatio indiſtantiæ, quia licèt referat duo extrema quatenus penetrata, terminum ſcilicet cum fundamento, tamen non imminuit duplicem rationem ſub qua ſe reſpiciunt extrema indiſtantia, in extremis autem vnitis eſt ſemper eadem ratio potentiæ, & actus.

87 *Subiectatur hæc vnio in ſola materiâ.*

Suadetur primò, quia ſufficienter præſtat vnio ſuum effectum formalem, etſi non ſubiectetur in forma; dum enim recipitur in materia illi vnit formam; ſecundò, quia in eo debet recipi ex extremis de cuius potentia educitur, ſi fiat ab agente naturali (ſi enim creetur, in nullo, vtrumquè tamen vniet, de ratione ſiquidem vnionis non eſt educi) at educitur de potentia ſolius materiæ, ergo &c. mai. patet paritate aliarum formarum eductarum; min. cernitur primò in homine, cuius forma ſpiritualis eſt, & tamen eſt adæquatus, & complectus nexus; ſecundò, in ligno v. g. quia ſi vnio educeretur

de forma ligni, ergo præſupponeret per priùs naturæ formam vt ſubiectum, ergo etiam vnitam materiæ, hæc conſequentia eſt certa, quia non poteſt educi eadem indiuiſibilis forma de potentia duplicis ſubiecti, licet partialis, quale eſſent materia, & forma vnitæ.

88 *Vnio Totius diſtinguitur realiter ab actione productiua formæ.*

Si totum ſit humanum eſt euidens, quia actio terminata ad formam eſt creatio, vnio modus ſubſtantialis genitus; ſi alterius ſit formæ prob. quia habetur eadem vnio, non habetur eadem actio terminata ad formam, ergo &c. ant. præſto eſt in generatione ignis v. g., in ſigno conſeruationis non eſt actio terminata ad formam ignis, hæc enim eſt actualis primus influxus, qui non eſt, cum non conſeruetur, & non dependeat in fieri; eſt tamen vnio producta in inſtanti generationis; dicendo autem, quòd varietur vnio, & noua producatur, primò concedis auctualem vnionem non identificatam cum productione formæ; ſecundò variari concedis hoc eſſentiale totius, ergo & totum, variato enim agente, variatur actio, ergo quidquid cum hac identificatur, in conſeruatione ignis variatur agens vt vides, ergo &c.

Confirm. conceptus vnionis eſſentialis eſt nectere actum cum potentia in ordine ad conſtituendum totum, quam autem connexionem habet cũ actuali productione formæ, quod debeat cum illa identificari? immo non poſſet creari aliquod Totum, cum dicat vnionem identificatam cum eductione formæ; & ſi dicas tunc dari vnionem diſtinctam, cur non etiam in toto per eductionem producto? Quare cauſalitas materiæ in formam, non eſt vnio materiæ cum forma, ſed eadem actio, per quam fit ab agente ſubſtentata in materia, de cuius potentia educitur forma; Vnio verò eſt cauſalitas ambarum in ordine ad cauſandum Totum.

Titu-

Titulus XI.

Totum.

PHyſicum, quod cauſatur eſt Effectus, quod componitur Compoſitum, quod integratur eſt Totum, quod emergit ex vnione partium eſt Vnum, quæ pro eodem ferè ſumuntur.

89 Totum, vel *Logicum*, hoc eſt vniuerſale in ordine ad ſpecies, vt *animal*; vel *Metaphyſicum* conſtans ex genere, & differentia, vt *homo*; *Subſtantiale*, quod conſtat ex natura, & ſubſiſtentia vt *Petrus*; *Integrale*, quod partibus quantitatiuis vt *Vlna*; *Accidentale* ex ſubiecto, & accidenti vt *Album*; *Per accidens* ex pluribus nulla certa, vel naturali ratione connexis, vt *cumulus lapidum*; *Eſſentiale*, quod partibus eſſentialibus naturali, & eſſentiali nexu ligatis, vt *Lignum*, dicitur etiam Totum phyſicum, quòd conſtet partibus phyſicis, hoc eſt materia tanquam potentia, forma tanquam actu ſubſtantiali; ſiuè ſpirituali vt in homine, ſiuè materiali vt in lapide; de hoc potiſſimùm.

90 *Totum ergo phyſicum eſt conſtitutum ex potentia, & actu eiuſdem prædicamenti, inter ſe eſſentiali copula connexis.*

Conſtitutum eſt genericum ad cætera Tota enumerata; *ex potentia, & actu* excludit totum Metaphyſicum, Integrale, & Per accidens; *eiuſdem prædicamenti* reijcit totum accidentale, reliquum explicat vnionem, quam debent habere hæ partes, aliàs non conſtituerent vnum, illis enim non ſufficit intima præſentia, vt in 85.

Et hinc eſt, quòd dicatur vnum per ſe, partes enim ſcilicet Materia, & Forma ſunt eiuſdem prædicamenti

ſubſtan-

Digitized by Google

ubſtantiæ in ſe incompletæ, & imperfectæ, per ſe tamen ordinatæ ad inuicem vt potentia, & actus, quod requiritur eſſentialiter in componentibus per ſe.

91 *Quidditas Totius Phyſici conſiſtit eſſentialiter in vtraquè comparte materia ſcilicet, & forma.*

Quidditas eſt eſſentia rei, ab eaquè ſolum conceptibiliter diſtinguitur; eſſentia dicit partes eam cōponentes, ergo & quidditas, ſed eſſentia Totius phyſici eſt vtraque pars, eſſentialiter enim, & per ſe æquè componitur Totum phyſicum ex materia, & forma, ita vt alterutra illarum non concepta vt parte eſſentiali, ceſſet conceptus Totius Phyſici, ergo &c.

Præterea; vna ſola eſt quidditas Totius Phyſici, ergo eſſentialiter comprehendens vtramquè partem, ant. patet, quia eſt vnum, prob. conſeq. ſecus haberet quidditatem formæ, quæ eſſet propria Totius, & materiæ, quæ eſſet quidditas ſubiectiua communis omnibus. Vltimò, à parte ſubiectiua deſumuntur proprietates corporeæ Totius Phyſici, ergo & hæc ingreditur quidditatem, ab eſſentia enim, ergo etiam à quidditate diffluunt; ant. lucet in homine, immò etiam in alijs compoſitis, quæ à materia habent, quòd ſint entia mobilia, & naturalia ſaltem paſſiuè, quæ ratio non minus debita eſt naturæ, quàm ratio principij actiui, vt ex 40.

92 *Totum non eſt quid realiter, vel formaliter ex natura rei diſtinctum à materia, forma, & vnione ſimul ſumptis.*

Sequitur inde, quòd ſufficientiſſimè habeo Totum per materiam, formam, & vnionem ſimul ſumptas, habeo enim quidquid requiritur ad conſtitutum ex potentia, & actu inter ſe eſſentialiter connexis. Impugno tamen præterea hanc, quam dicunt, Totitatem realiter quomodolibet diſtinctam; materia enim, & forma remanent extra conceptum quidditatiuum Totius, & prob.

Toti-

Totitas eſt quid realiter diuerſum à materia, & forma ergo rationem Totius non ingrediuntur hæ partes, ergo ſunt extra illius quidditatem cōtra 91. Quòd ſi velis importare etiam partes, contra, vel ita vt in ſe ſimplex dicat quidditatem totius, & torqueris argumento dicto, immò Totum, quod eſt compoſitum conſiſtit in ſimplici entitate, vel ita vt componat cum illis Totum, ergo non eſt Totitas aliud præter materiam, & formam ſimul ſumptas, quin Totum dicet tres partes materiam, formam, & Totitatem; ſi verò nihil eſt reale hæc Totitas, cur dicitur realiter, vel formaliter ex natura rei diſtincta à partibus, & vnione ſimul ſumptis? Etiam; hæc Totitas eſt inſeparabilis, ergo non diſtinguitur realiter, conſeq. habes ex diſtinctione reali, quæ dicit ſaltem alterum ex extremis diſtinctis poſſe remanere, ant. ſequitur, quia eſſet totum ſine partibus, vel partes ſimul ſumptæ ſinè Toto: ratio verò, quæ oſtendit inſeparabilitatem, oſtendit indiſtinguibilitatem, non minus enim repugnat eſſentialia ſeparabilia eſſe, quàm realiter diſtinguibilia ab eo cui ſunt eſſentialia. Deniquè, Totum formaliter dicit partes, & Compoſitum quà tale partes componentes, ergo non poteſt formaliter quà tale dicere entitatem, vel formalitatem ex natura rei diſtinctam; quæ argumenta probant etiam non eſſe modum phyſicum.

93. *Ratio Totius ſolùm formaliter per intellectum diſtinguitur à partibus, & vnione ſimul ſumptis.*

Ratio eſt, quia Totum nihil eſt reale præter materiam, formam, & vnionem ſimul ſumptas, vt ex præcedenti, ergo ſi quid concipiatur in Toto præter dicta, erit ratio Totius merè intelligibiliter diſtincta; Nullum præterea eſt fundamentum admittendi maiorem diſtinctionem, quàm purè rationis inter Totitatem, & partes modo dicto; ergo &c. ant. difficultatem non habet, quia quidquid dici poteſt de Toto, dici poteſt de partibus, &

vnione

vnione ſimul ſumptis; & vice verſa; & ſi quidquam aſ-
feratur, quod diſtinctionem aliquam ſupra diſtinctio-
nem rationis videatur afferre, arguet diſtinctionem
inter Totum, & partes diſtributiuè, vel inadæquatè ac-
ceptas, quod vltrò damus.

94 *Totum Phyſicum non eſt ſubiectum inhæſionis, ac-
cidentium materialium; licèt ſit denominationis.*

Primum fundamentum eſt, quia ſola materia eſt ſuffi-
cientiſſimum ſubiectum horum accidentium, ergo fru-
ſtra extenduntur ad Totum; tollitur difficultas antece-
dentis in homine primò, vbi forma eſt ſpiritualis, ſecun-
dò etiam in alijs compoſitis, quia ſufficit pro receptione
formarum ſubſtantialium, ergo multò magis acciden-
tium, prob. conſeq., de ant. enim non eſt dubium, mi-
nora requiruntur ad ſuſtentationem accidentis, quam
formæ ſubſtantialis, minoris enim eſt entitatis, & per-
fectionis hoc quàm illa; ergo &c.

Secundum, quia pleraque accidentia prærequiruntur
vt diſpoſitiones ad formam, ergo non poſſunt ſubiectari
in toto, nihil enim aliud includit Totum præter formam,
ſed vt diſpoſitiones debent præcedere in priori naturæ,
vt ſubiectata in forma debent eam ſubſequi in poſteriori
naturæ. Neque eſt ad rem dicere alia eſſe accidentia,
quæ diſponunt, alia quæ ſequuntur ad formam, gratis
enim fingitur ea corrumpi, hæc de nouo gigni, immò ſi
corrumperentur in inſtanti generationis materia rema-
neret indifferens ad formam, quæ gigneretur, & nihil
iuuat, quod fuerint prius; primò, quia quando erant,
materia non erat diſpoſita, ſed diſponebatur, ſi enim
fuiſſet antea diſpoſita, ergo antea poſita fuiſſet forma,
quam eſſet; ſecundò, ſi eidem ſubiecto applicarentur duo
agentia diſparata, quæ diuerſa accidentia producerent,
quantum poſſent, licèt alterutrum prædaleret, cùm tamen
in inſtanti generationis vtraquè corrumpantur, & vtra-

 què

què præcelſerint erit materia diſpoſita ad vtramquè formam.

Tertium; accidentia ſubiectata in Toto agerent poſitiuè in deſtructionem ſui ſaltem mediatè, quod naturæ repugnat; prob. ſequ. ageret poſitiuè calor v. g. in deſtructionem diſpoſitionum ligni, ergo in deſtructionem ligni, ergo ſuæ cauſæ conſeruatiuæ, ergo ſui ſaltem mediatè, in his igitur cum prouida ſit Natura exhibendo ſufficiens ſubiectum ſubſtentatiuum in Materia, nè Naturæ iniuriam inferamus.

Titulus XII.

Quantitas.

QVÆ ſequuntur in hac prima parte Phyloſophiæ Naturalis ſunt paſſiones primariæ corporis naturalis in communi, inter quas primatum tenet quantitas, cum ad ipſam cætera conſequantur.

195 *Quantitas eſt accidens realiter diſtinctum à re quanta.*

Moueor ad hanc concluſionem primò, quia gratis negatur diſtingui quantitatem à re quanta; argumentum enim probans non eſſe multiplicanda entia ſinè neceſſitate nullum eſt in hac re, vbi tot vrgent neceſſitates, & experientiæ ſatis palpabiles, & rationes non omninò inefficaces, quæ ſi rem euidentem non faciunt, efficaciter ſaltem ſuadent; Secundò, quia de facto in Euchariſtia remanet eadem figura hoſtiæ conſecratæ, ergo eadem quantitas; figura enim eſt modus quantitatis, non remanet autem ſubſtantia, ergo diſtinguitur à ſubſtantia quanta. Tertiò, quia data eſt quantitas rebus quantitatiuis, vt difficiliùs corrumpantur à

con-

contrario, dum eis denegatur mutua intima præſentia, ergo cum nulla ſubſtantia immediatè in ſe corruptibilis ſit, ſubſtantiæ enim non eſt contrarium, non erat cur identificaretur radix impenetrationis cum ſubſtantia. Quartò, quantitas eſt radix tangibilitatis, ergo non identificatur cum ſubſtantia quanta, ſubſtantia enim non eſt per ſe, nec immediatè ſenſibilis, ſicut ergo ſenſibilis eſt ſubſtantia in alia ratione per accidentia diſtincta, ita in tactu. Quintò, in ſententia admittente formas elementorum in mixto, & formas partiales in viuente, penetrantur ſimul plures formæ ſubſtantiales; ſimiliter de facto in omnium ſententia penetrantur ſimul accidentia, etiam ſpecie diuerſa in eodem compoſito, ergo ſi cuiuis rei quantæ ineſſet propria quantitas identificata impenetrabilia forent, immò nec accidentia, nec formæ corporeæ cum materia. Denique congruentiùs coordinantur, & ſaluantur omnia, quæ de rebus quantis occurrunt per quantitatem diſtinctam, dicendum eſt ergo quantitatem eſſe formam accidentalem diſtinctam ab omni re quanta non ſuſcipientem magis, & minùs.

96 *Eſſentia huius quantitatis in eo ſita eſt, quòd ſit forma accidentalis dans impenetrationem in actu primo.*

Nomine *impenetrationis* intelligo eam reſiſtentiam, quam faciunt ſibi inuicem corpora, nè vbi eſt vnum ſit aliud, immò & partes corporum, nè vbi eſt vna ſit altera, ex qua reſiſtentia oritur actualis extenſio localis in ſingulis corporibus, & ordo, & communicatio in Vniuerſo; ſecùs enim quæcumque confunderentur, & facilimè per penetrationem deuincerentur à contrario.

Dicitur itaque Quantitas *forma accidentalis*, vt oſtendatur eius diſtinctio realis à ſubſtantia ſubiectiua, & formali, *dans impenetrationem* vt diſtinguatur ab alijs

quibuſcumquè accidentibus, quæ nec ſunt radix impenetrationis, nec petunt talem impenetrationem, immò petunt potius penetrari, vt debitum ſubſtantijs exhibeant famulatum; *in actu primò*, quia habemus plures res quantas penetratas ſimul diuina virtute, vt ſæpè accidit de Chriſto Domino.

Ratio eſt primò, quia in quauis re quanta de facto cernitur impenetratio, ergo prouenit ab aliquo exiſtente in re quanta, non à materia, aut à forma, aut ab alijs accidentibus, quæ diſtinguuntur realiter à quantitate vt iam, ergo à quantitate; Porrò ab impenetratione oriuntur cæteræ paſſiones rei quantæ; vt extendi, menſurari, diuidi, vbicari, moueri &c. ergo primarius effectus quantitatis erit impenetratio, ergo eſſentia erit eſſe radicem impenetrationis; Secundò, quia per eſſe radicem impenetrationis diſtinguitur quantitas ab omni alio, ergo & conſtituitur; conſequentia eſt clara, prob. ant. diſtinguitur ab accidentibus, quæ, tantùm abeſt ſint radix impenetrationis, quin potiùs exigant penetrari in ſubſtantijs corporeis, quæ ratione partium entitatiuarum, quas de facto habent aptæ dicuntur, & ſunt recipere formam dantem actum primum impenetrationis; de ſpiritualibus non eſt dubium. Tertiò, explicatur aptè eſſentia cuiuslibet quantitatis, vt patet ſingula ſpeculanti.

97 *Quantitas debetur materiæ independenter, & antecedenter ad quamcumquè formam.*

Materia ſiquidem antecedenter ad quamcumquè formam ſaltem in priori naturæ eſt ſubiectum per ſe, ergo & eſt ſubiectum per ſe eorum, quæ prærequiruntur ad formam, ergo quantitatis. Præterea quantitas non ſequitur ad formam, nec debetur Toti, ergo materiæ antecedenter ad formam; prob. ant., ſi deberetur Toti quo poſito tota eius quantitas periret, verùm remanet

ſæpè

ſæpè eadem quantitas in Toto genito, vt experimur, ergò &c.

Titulus XIII.

Continuum.

QVantitatis variæ ſpecies *perfectionis*, *&* *molis*, illa ſecundùm quam res perfectior, vel imperfectior eſt, ocius non eſt hic locus; *Molis* per quam res magna, vel parua, maior, vel minor dicitur tanta, quanta &c. de qua hic; rurſus *continua*, *&* *diſcreta*, hæc eſt numerus, & multitudo vnitatum, ſiuè connexarum, ſiuè non; illa, cuius partes colligatæ, ac vnitæ ſunt; quæ iterum vel *permanens eſt*, *vel ſucceſſiua*; prima, cuius partes ſimul coexiſtunt, vel coexiſtere queunt; Poſterior, cuius partes, & ſimul non ſunt, & ſimul eſſe repugnat. Continua explicata cæteræ luceſcunt.

98 *Continuum ergò non componitur ex ſolis indiuiſibilibus mathematicis; ſiuè finitis, ſiuè infinitis*.

Primò, quia recta linea conſtans ex indiuiſibilibus diſparibus non poſſet diuidi in partes æquales; Secundò, quia duo circuli concentrici haberent æqualia indiuiſibilia in numero, vel duæ rectæ haberent commune ſegmentum, vel à centro eorum ad ſingula puncta peripheriæ maioris non poſſent duci rectæ lineæ. Tertiò, quia ſi ſupra datam rectam quinque indiuiſibilium v. g. conſtituatur Iſoſceles, cuius latera ſint v. g. decem, & à ſingulis punctis vnius lateris ad ſingula alterius ducantur rectæ, maiores erunt lineæ inter mediæ, quam baſis. Quartò, ſi ſupra dictam rectam quinque punctorum ſtatuatur triangulum æquilaterum, & à ſingulis punctis laterum ducatur perpendicularis ad punctum baſis,

æqualis erit baſis ambobus lateribus. Quintò, in Dato Quadrato diameter eſſet æqualis lateribus, quæ principijs, & demonſtrationibus Geometricis aduerſantur.

Præterea, indiuiſibile additum indiuiſibili non facit maius, dum enim ſe tangunt, non ſecundùm partes, quia his carent, non ſecundùm ſe tota, aliàs nihil vnius remanet extra aliud; vel non ſe tangunt, & aliquid, quod non eſt indiuiſibile intermediat, cum ſit eadem ratio de omnibus, ergo non ſunt pura indiuiſibilia mathematica: Fingere autem in illis latera orientalia, & occidentalia eſt ludere contra eſſentiam indiuiſibilis mathematici; Inſuper, plura indiuiſibilia ex ſe non habent facere lineam curuam, aut rectam, alioquin ſemper alterutram facerent, quid enim magis vrget de vna, ac de altera? ergo quantumuis addatur indiuiſibile indiuiſibili, nunquam magis faciet lineam curuam, vel rectam, ergo alterutra illarum repugnaret indiuiſibilibus confici. Demum, nullum daretur mobile velocius altero, eo enim inſtanti, quo Aquila acquirit vnum indiuiſibile ſpatij, Teſtudo nihil minus poteſt acquirere, cum nihil minus ſit indiuiſibili, nec Aquila pluſquam vnum indiuiſibile poteſt acquirere, ne idem indiuiſibile temporis correſpondeat cuipiam maiori ſe; immò de facto daretur motus velociſſimus poſſibilis, quia minus ſpatium, quod poſſit acquirere mobile eſſet vnum indiuiſibile, cum ergo facilior connaturalior, & verior ſit via explicandi continui integrationem, dicendum eſt non componi ſolis indiuiſibilibus mathematicis ſiuè finitis, ſiuè infinitis.

Ijſdem ferè argumentis expunguntur minima phyſica, ſiuè realiter, ſiuè virtualiter diuiſibilia.

99 *Hinc ſequitur continuum conſtare ex diuiſibilibus in infinitum.*

Ex

Ex diuiſibilibus, quia non conſtat ex indiuiſibilibus; *in infinitum* verò, quia ſi quando veniamus ad aliquam partem, quæ vltra diuidi, vel ſubdiuidi nequeat, illa erit indiuiſibilis; integratur ergo continuum ex diuiſibilibus proportionalibus in infinitum, quia æqualia tandem finita diuiſione abſumuntur.

100 ***Partes continui, in quas eſt Syncathegorematicè diuiſibile ſunt actu diſtinctæ.***

Patet hæc concluſio in ligno, cuius medietas ignefiat; & fortius, creet Deus in medietate ligni ignem, hic verò in alia medietate alium ignem generet, dabitur pars producens, & pars producta, dependens à materia, & non dependens, pars materiæ, quæ ſit ſubiectum ſuſtentationis, & quæ ſolius informationis, ergo erunt duæ partes actu diſtinctæ independenter à quacumque intellectuali deſignatione; nullo enim cogitante intellectu ignis generans non eſt ignis genitus. Vrgeo, nihil eſt diuiſibile niſi in ea, quæ inſunt, ſed diuiſibile eſt diuiſibile in ea, quæ non ſunt vnum, & idem actu, ergo quæ ſunt plura actu, ergo hæ partes, quæ inſunt continuo ante illius diuiſionem ſunt plures actu, ergo actu diſtinctæ; Seu diuiſibile eſt continuum in ea, quæ poſſunt ſeparari, diuiſio enim ſupponit ſeparabilitatem, ergo in ea, quæ ſunt actu vnita, ergo quæ ſunt actu diſtincta, oſtendo hanc conſeq. non vnitur idem ſibi ipſi, ergo id vnitur alteri, quod non eſt illud, ergo quod eſt ab illo diſtinctum, ergo cum partes continui ſint actu vnitæ ante ſeparationem ſunt actu diſtinctæ (dixi actu vnitæ, non actu vnum, ne dum dico diuidi continuum, dicam idem diuidi à ſe ipſo, in quem ſcopulum impingis negans actu diſtingui) Nec iuuat deſignatio, quæ cum extrinſecè penitus ſe habeat ad continuum, actualem diſtinctionem, vel vnionem partium nequit cauſare.

Arguo præterea; ſi duæ partes eiuſdem formæ ſint altera in ſubiecto, altera extra ſubiectum, independenter à quauis deſignatione ſunt actu diſtinctæ; infundatur vino conſecrato vinum non conſecratum, accidentia illius vini ex parte erunt in ſubiecto ex parte non; immò prædicatum idemtitatis, vel diſtinctionis eſt omnino contrarium rei, ita ut repugnet abſolutè idem eſſe plura, & plura eſſe idem; ergo ſi ſemel partes continui poſſunt eſſe plures actu diſtinctæ, nec diuinitùs poſſunt eſſe idem, & ſi idem, non poſſunt eſſe plures; ſi enim partes, quomodò non actu diſtinctæ? & ſi vnum ſimplex, quomodò partes diſtinctæ? Arg. denique; in continuò ſucceſſiuo partes ſunt actu diſtinctæ, ergo in permanenti, eſt enim vbique par ratio, prob. ant. partes ſucceſſiui ſunt præteritum, præſens, & futurum, ergo cum implicet hæc tria eſſe vnum, ſunt actu diſtinctæ.

101 *In continuo dantur actu aliqua indiuiſibilia mathematica, tum terminatiua, tum continuatiua.*

Prob. primò; quia partes continui ſunt actu realiter diuiſibiles, & diſtinctæ, ergo realiter ſunt vnitæ, & continuatæ; item licet infinitæ, quia tamen proportionales, & indeterminatæ in magnitudine, non faciunt vnum infinitum in extenſione, ergo terminatum; non continuant, nec continuantur per partes, quia eiuſdem ſunt conditionis in omnibus, ergo per indiuiſibile.

Secundò; de indiuiſibilibus terminatiuis, in eo diſcrepant contigua à continuis, quod ea ſint, quorum extrema ſunt ſimul, hæc verò quorum extrema terminantur termino communi, ergo corpora, quæ ſe tangunt habent extrema ſecundùm, quæ ſunt ſimul, ſed huiuſmodi extrema non ſunt partes diuiſibiles, aliter plura diuiſibilia; atque ita plura quanta penetrarentur; ergo ſunt indiuiſibilia, quæ indiuiſibilia terminatiua dicuntur. Addo, quòd quantitatem eſſe terminatam non

eſt quid negatiuum, ſed effectus formalis poſitiuus intrinſecus, ergo habetur per formam poſitiuam intrinſecam, non diuiſibilem, quia ipſa adhuc eſſet quanta, & terminata, ergo per aliquod indiuiſibile terminatiuum.

Tertiò; de indiuiſibilibus continuatiuis ex contactu Spherici perfecti ſupra planum, quod planum tangit in indiuiſibili, ergo dantur indiuiſibilia continuatiua. Præterea ſi recta ſupra rectam, vel etiam ſupra planum cadat non tangit in parte, quia linea ſecundùm latitudinem, & profunditatem indiuiſibilis eſt, ergo tangit in indiuiſibili; neque iuuat dicere contactum fieri negatiuè, hoc eſt per negationem corporis interiecti, quia ſic non differrent, quæ ſe tangunt ab ijs, quæ ſunt ſibi proxima, & contigua.

102 *Hæc indiuiſibilia ſunt modi terminatiui, & continuatiui quantitatis.*

Patet, quia ſunt formales rationes determinantes partium quantitatis indifferentiam ad eſſe terminatas, & continuatas, vel non.

Non ſunt autem actu in continuo omnia indiuiſibilia vtriuſque generis, ſed aliqua ſunt actu, & tot ſunt quot partes continuatæ, & terminatæ, cætera in potentia; terminatiua, quot ſunt partes proprio termino terminabiles per diuiſionem; continuatiua, quot ſunt partes de nouo vnibiles.

103 *Inferas hinc non poſſe dari, vel conſeruari indiuiſibile ſeparatum.*

Quæ de continuo entitatiuo, & in ordine ad extenſionem decidi ea, quæ ad continua, & ſucceſſiua, in extenſione, & intenſione, quin etiam in ſubſtantialibus proportionaliter ſpectant, enucleata oſtendunt; non eſt ergo cur ea repetamus.

Titu-

Titulus XIV.

Motus.

MOtus de ſpecie continuorum eſt, de ipſo igitur aptè, definita continui compoſitione.

104 *Benè dicitur motus actus entis in potentia, pro vt in potentia.*

Compræhendit hæc deffinitio omnes ſpecies motus videlicet Generationis, Alterationis, Accretionis, Lationis, & ſi quæ ſunt aliæ. Dicitur verò primo *actus* veluti forma, imperfecta tamen; Secundò *entis in potentia*, phyſica non obiectiua actiua, & paſſiua motus; Tertiò, *pro vt in potentia* hoc eſt motus eſt talis actus entis in potentia ad formam aliquam perfectam ſaltem ſecundùm quid; quod ex vi ſui formaliter relinquat ens in potentia ad actum perfectum. Motum hic deffinio non mutationem de qua concluſione 10.

105 *Specificatur motus à ſolo termino ad quem.*

Tacta è ſuperius concluſione 75, & 76. prob. hæc, & confirmatur illa ſi ſint plures motus, qui diuerſos habeant ſpecie terminos à quo, eundem tamen terminum ad quem, è contra verò eundem terminum à quo, diuerſos ſpecie terminos ad quem, ſpecie differunt hi, non differunt illi, quia ſpecificatio motus oritur à termino ad quem; oſtendo antecedens; ſi moueatur duplex ſubiectum ex. ca. ad album, alterum à nigro, alterum à rubeo, duplex ille motus non differt ſpecie, licet à termino à quo ſpecie diuerſo ducatur, ſed ſemper eſt albificatio; ex oppoſito ſi ſit ab eodem albo ad nigrum, & viride v.g. ſpecie differunt; ergo &c.

Confirmatur, quia à ſolo termino ad quem diſtingui-

tur motus, ergo & ſpecificatur; ad calorem enim eſt calefactio, ad frigus frigefactio &c. Denique ſpecificari ab eo neceſſe eſt motũ, quod ſe per ſe habet in motu, cuius modi eſt ſolus terminus ad quem, à quo enim per accidens ſe habet; quid namq. confert ad calorem, quòd ſubiectum à lucido, vel tenebroſo, denſo, vel raro, aut frigido fiat? ad terminum verò ad quem per ſe ordinatur tanquam tendentia formalis agentis in eum, ergo ab hoc ſolo adæquatè ſpecificari dicitur.

106 *Nullus motus eſt eſſentialiter ſucceſſiuus, ſi phyſicam Lationem excipias.*

Quia ſucceſſio in omni motu oritur à terminis vel contrariè, vel priuatiuè oppoſitis, hoc eſt, vel quia eſt inter terminos contrariè oppoſitos, vt eſt calefactio à frigore ad calorem, vel priuatiuè vt illuminatio à tenebris ad lucem, Latione excepta de qua poſtea; oppoſitio verò contraria, vel etiam priuatiua non infert eſſentialem ſucceſſionem in motu, & prob. quia contrarietas obſtat ratione reſiſtentiæ contrarij, ſed poteſt reſiſtentia impediri, vel quia à Deo ſuſpendatur concurſus neceſſarius, vel quia ſpolietur ſubiectum omni contrario, vel quia poſitiuè impediatur, vel etiam, quia frigus v. g. exiguæ adeo ſit virtutis, & calor tantæ actiuitatis, quòd non ſit proportio alterius ad alterum, ergo in inſtanti producatur calor; obſtat verò oppoſitio priuatiua, quia non poſſunt coniungi priuatio, & forma in eodem inſtanti, hoc verò non ſequitur, quia idem inſtans intrinſecum eſt alteri, alteri extrinſecum.

Dixi autem, *Latione phyſica excepta*, quia duo obſtant nè phyſica Latio fiat in inſtanti, reſiſtentia medij, & diſtantia extremorum, quare etiam primò deficiente remanet ſecundum intollibile, cùm ergo in eodem inſtanti non poſſit idem mobile fieri præſens ſpatio maiori ſe, neque adeo duobus extremis inter ſe oppoſitis.

Veræ

Veræ ſpecies motus ſunt, quæ terminum poſitiuum habent, & ſunt Generatio, Augmentatio, Accretio, Alteratio, & Latio. Corruptio enim, Dimminutio, & Duratio abuſiuè dicuntur motus: de quattuor prioribus, quum de corpore corruptibili.

Titulus XV.

Locus, & Vacuum.

TErminus Lationis eſt locus, inter paſſiones corporis naturalis non ignobilis, cui opponitur Vacuum; oppoſitorum autem eædem ſunt diſciplinæ.

107. *Eſt locus extrinſecus naturalis vltima ſuperficies corporis continentis immobilis.*

Dixi *locum extrinſecum*, vt diſtinguerem ab intrinſeco, de quo poſtea; Addidi *naturalem*, vt excluderem ſpatium imaginarium, quia locus naturalis dicit corpus aliquod, cuius vltima ſuperficies contineat locatum; Vndè eſt *vltima ſuperficies*, ſeu vt volunt alij, *prima*, hoc eſt proximior locato, & eſt ſuperficies concaua ambientis; Additur *corporis*, quia ſuperficies nunquam haberi poteſt ſeparata à corpore, & quidem corporis ambientis, quia debet corpus, cuius ſuperficies eſt locus cingere locatum, nec minor eſſe debet, aut maior locato. *Immobilis* refertur ad ſuperficiem, quod diſtinguit locum ab omni continente, non quia non poſſit moueri ea ſuperficies, immò ſæpè mouetur in aere flante vento, vel in aqua currente, ſed quia ſaltem æquiualenter eadem perſeueret; vt autem oſtendam quomodo dicatur immobilis ſuperficies vltima corporis conſtituentis locum, & ambientis locatum, licet continuè variaretur per ordinem, & correſpondentiam, quam

ſeruat ad ſpatium imaginarium, quod vt verius amplectendum puto, conſtituam ſpatium imaginarium.

108 *Spatium imaginarium ſunt negationes non tollibiles vbicationum realium.*

Suppono vbicationem modaliter diſtinctam ab vbicato, & loco, quod probabo concluſ. 110. Explico deinde, & probo concluſ. exiſtunt de facto negationes realiter ſuo modo, vt concluſ. 34. vbicumquè non eſt res, vel forma negata, ibique ſolum tolluntur, vbi ponuntur illæ, quòd ſi vbiquè, vel ſucceſſiuè, vel ſimul, ſiuè naturaliter, ſiuè diuinitus poſſibilis ſit res negata, vbique, ſeu in quouis ſigno conceptibili tollibilis eſt negatio, ergo ſi res, vel forma negata ſit ſigno alicui conceptibili affixa, erit ibi tantum ponibilis; ergo ibi ſolum tollibilis eſt negatio: in quouis igitur aliò ſigno erit intollibilis talis negatio, & vbiquè erit diffuſa immobiliter, & ſemper; quia verò vbicatio, modus cum ſit, tali ſigno conceptibili, & aſſignabili affixa eſt eſſentialiter, eius negatio eſt vbiquè intollibilis præter quam in tali ſigno; in quo quia non ſunt ponibiles vbicationes aliæ poſſibiles quæcumque præteritæ, vel exiſtentes, ſunt immobiliter illarum negationes, hæ negationes conſtituunt ſpatium imaginarium.

Spatium dicuntur, quia ſunt capacitates cuiuslibet corporis, vel locabilis receptiuæ ſi non per hanc, per aliam ſaltem vbicationem, *imaginarium*, non quia reale non ſit, ſed quia explicatur ad modum capacitatis poſitiuæ; & hinc patet quomodo ſoleat dici ſpatium imaginarium ens rationis, fieri ſi poſſit, de quo alias; Secundò, quòd ſit aliquod infinitum vbique diffuſum. Tertiò, quòd ſit quid *permanens*, *fixum*, *immobile*, *& æternum*; Quartò, quòd vbicationem figere locatum ſpatio imaginario ſit illud figere illi ſigno, vbi ſunt negationes nō tollibiles omnium aliarum vbicationum.

Quintò denique clariſſimè infertur qua ratione ſuperficies vltima corporis ambientis locatum ſit immobilis, quamuis in continuo fluxu, puta quia locatum cingit per vbicationem talem, quæ eſt forma eſſentialiter affixa tali ſigno, ſeu talibus negationibus non tollibilibus aliarum vbicationum realium.

Quia igitur omnia, quæ de ſpatio imaginario dicuntur verificantur, & aptius explicantur de negationibus dictis, quas conuincimur etiam concedere, non confundimus conceptus philoſophicos de tali ſpatio, ſicut cæteræ opiniones, ergo &c.

109 *Sequitur hinc primum, ſeu ſupremum Cælum non eſſe in loco propriè.*

Non enim cingitur vltima ſuperficie corporis ambientis; quamuis dici poſſit in loco ſimpliciter, ſi ſpatium imaginarium placeat dicere locum ſimpliciter.

110 *Locus intrinſecus, ſeu id per quod locatum formaliter eſt in loco, eſt forma quædam poſitiua modaliter à loco, & locato diſtincta.*

Conuincitur argumentis concluſionis 69. Addo præterea, quòd non ſufficit primò locatum, locus, & negatio corporis interiecti; Secundò, locatum habere talem diſtantiam ab hoc, vel ab alio corpore; Tertiò, non ſufficit actio productiua locati in tali ſpatio; Quartò, nec motus localis locati ad ſpatium; Quintò, neque locatum tangere ſuperficiem ambientis cum tali diſtantia; Non ſextò Dei decretum volentis Petrum in hoc ſpatio, ergo erit forma modaliter ab vtroque diſtincta.

Primum oſtendo, quia poſſunt haberi ea tria, & non eſſe corpus in loco: nō aliter ſe haberet corpus in loco, quàm duo corpora penetrata: non omnia locata poſſunt poni in loco per negationem corporis interiecti, vt ſi locetur Angelus: præterea, quòd ego ſim in loco eſt

Digitized by Google

mea entitas, locus, & negatio corporis interiecti; & cum recedo à loco, & locatur ibi v. g. Petrus destruitur negatio, per quam ego eram in loco; & destruitur per hoc, per quod ponitur Petrus in loco meo; ſed hoc eſt negatio mei interiacentis, ergo negatio per quam ego eram in loco destruitur per negationem oppoſitam Petri, ergò negatio pugnat cum negatione: Fortius; Petrus adueniens in loco meo acquirit negationem mei interiacentis; ſed mea interiacentia erat negatio, ergo acquirit negationem negationis, neque ceſſat aliquod poſitiuum ad quod ſequi debeat hæc negatio, quod tamen implicat.

Secundum, quia poſſum diſtare ab hoc eodem corpore, & tamen non eſſe in eodem loco; vel enim eſt me diſtare, quia mouear localiter, vel quia aliquod interiaceat corpus, vel vtrumque; non illud, quia poſſum primò creari in loco; non hoc, quia poſſum diſtare dum mouear; non vtrumque, quia ſi annihilentur omnia corpora interiacentia eo excepto, cuius vltima ſuperficies ambit me, adhuc ſum in loco; ſi verò Deus creaſſet, vt potuit, hunc Mundum in alio ſpatio ſimpliciter ab hoc cum eadem partium diſtantia, non ne fuiſſet in alio loco cum eadem diſtantia corporum? diſtantia igitur non ſufficit.

Tertium, quia potuiſſet Deus eadem actione creare lapidem Romæ, qua Placentiæ; nec niſi gratis fingis hanc actionem alligatam ſpatio Placentino; immò nec poteſt eſſe eadem actio, quæ primo producat, conſeruet, & locet; quæ enim primo producit eſt actio creaturæ, & Dei, conſeruatiua ſæpè ſolius Dei; & ſæpè res in vno loco fit, conſeruatur in alio; vnde quoties res variat locum variari, deberet actio conſeruatiua; minori igitur cum abſurdo conſtituas rem in loco per formam vbicationis;

Quar-

Quartum, quia hic motus vel eſt adductiuus, vel productiuus; Si primum, ergo debet habere aliquem terminum, ad quem poſitiuè adducat locatum; poteſt autem eſſe motus localis Petri ad hoc ſpatium, & annihilari Petrus in vltimo inſtanti terminatiuo motus, vel aliò transferri à Deo, ergo non ſufficit; immò ſi Deus crearet Petrum in loco hoc, hic eſſet Petrus, & nullus eſſet motus localis; vndè nec iuuat dicere eſſe motum cum negatione vlterioris progreſſionis; Petrum enim non conſtitui in loco per negationem oſtendi ad primum; nec per negationem, & motum ſimul ob dicta, & quia cognoſco, & video Petrum in loco, non percipiendo motum præcedentem, & negationem vlterioris motus, maximè ſi crearetur hic Petrus; vel etiam ſi Petrus ſit hic replicetur, vel moueatur aliò. Si dicas ſecundum, aſſigna terminum productum, qui non eſt locatum, aut ſpatium, aut negatio aliqua; priora duo, quia extabant; hæc, quia non eſt terminus actionis poſitiuæ; tandem, certè, quia eſt in loco ab inſtanti creationis, à quo non eſt mota, hinc verè non eſſet in loco.

Quintum, quia locatum tangere hanc ſuperficiem eſt quid poſitiuum, aſſigna igitur quid ſit; & ſi negas, redeo ad præcedentia; deinde tangere ſuperficiem cum tali diſtantia ſupponit ſuperficiem ex ſe indifferentem determinatam per aliud ad hanc diſtantiam, quæ quo modo determinetur, vide concluſ. 106.

Sextum tandem, quia decretum Dei volentis Petrum in hoc loco debet habere pro obiecto aliquod poſitiuum ſupra exiſtentiam Petri, & loci, quodlibet enim aliud eſſe poteſt etiam non ſtante tali decreto; da igitur formam aliquam poſitiuam formaliter determinantem, quæ ſit modus loci, & locati; dixi vel, quia ſit modus locati, & loci, quia ſi abſoluta eſt, remanet indifferens.

111 *Singula in compoſito, quæ non ſunt eſſentialiter*

loco

loco affixa, habent propriam præſentiam ſibi proportionatam.

Mihi eſt certa concluſio hæc; primò, quia aliter ſequeretur corrumpi totam cōpoſiti vbicationem eodem ibidem remanente compoſito, quoties etiam minimum variatur illius accidens; ſequ. eſt extra dubium, qui cum præſentia ſit modus locati, ergo vbicato variato modum variari neceſſe eſt; ſic autem modos vbicationum teneris variare ad ſingulas etiam minimas totius mutationes, cur non ſingulis proprium vbi concedis, quod ſolùm cæteris inuariatis corrumpatur? Secundò quia in plerìſque generationum, vt patet experientia eadem materia independenter ab vbicatione formæ, & aliorum, quæ ſunt in compoſito remanet immota localiter, ergo per propriam vbicationem ab vbicatione aliorum diſtinctam; Tertiò, ſi replicaretur, vel quantitas, vel materia hic, & Romæ, illique hic vniatur forma, vel aliud accidens, eſt hic ſolùm, quia ſupponitur ſolùm produci, non replicari, & tamen ſi vbicatur per vbicationem materiæ, vel quantitatis, debet eſſe vbicumque eſt quantitas, vel materia vbicata; ideò enim vbicatur per illius vbi, quia illi eſt vnita talis forma, vel accidens, vnio ſiquidem exigit vt vbi eſt vnum extremum ſit, & aliud vnitum; immò ſi ex vi vnionis vnius cum altero, replicata materia, vel quantitate Romæ deberet replicari etiam hoc vbi, non ſufficit ergo vnio inter plura, vt vnum vbicetur per vbicationem alterius, quod clariùs cerneretur ſi penetrarentur Petrus, & Paulus; & ſi non replicetur hoc vbi, eſt, quia non ſufficit talis vnio; Quartò, aliud eſt formaliter, & realiter rem eſſe vnitam, aliud eſſe vbicatam, ergo exigit id poſitiuum per quod vbicetur, ſicuti id poſitiuum per quod vniatur; & tandem omnia, quæ non ſunt loco affixa ſunt abſoluta in ordine ad locum, ergo ſi ſunt

diuerſi prædicamenti, immò etiam ſi ſunt diuerſæ rationis, vel numericæ exigunt proprium modum vbicationis non minus, quàm durationis &c.

112 *Eadem res corporea loco non affixa poteſt ſupernaturaliter ſimul in pluribus locis, aut deffinitiuè, aut circumſcriptiuè, aut etiam vtroque modo conſtitui.*

Lego hoc in Hiſtorijs Eccleſiaſticis de pluribus Sanctis, vt de D. Ambroſio, Antonio Luſitano, alijſque quam pluribus, quibus non poſtponendum, quod infertur ex Gregorio lib. 2. Dialog. cap. 22. de Sanctiſſimo Patre, & Patriarcha meo Benedicto, qui Monachis iuxtà Tarracinenſem Vrbem noctu apparens per ſomnium loca ſingula ædificanda deſſignauit.

Adoro hoc idem in Chriſti Sanctiſſimo Corpore tot in Hoſtijs replicato deffinitiuè, circumſcriptiuè exiſtentis in Cælo. Nec diſtrahor, quia ibi dicatur eſſe Sacramentaliter, quia rogo doceri hoc Sacramentaliter, quid ſit præter hoc eſſe deffinitiuè, niſi ſola verba.

Deduco etiam hoc ex ratione negatiua, quia nulla apparet implicantia; Rerum verò circumſtantijs diſcuſſis, nullaque detentus, vel apparenti repugnantia, prudenter in aſſenſu obiecto propoſito effunditur mens; quin, ſi vigeat mihi ingenio tenuiſſimo non datum omnia dignoſcere, petam, quis tibi acutiſſimo dederit non falli in ijs, quæ & credis, & iuras manifeſtè patere?

Dixi verò ſupernaturaliter, quia naturam vnicuique ſingularem ſtatuiſſe locum experimur omnes.

113 *Quin ex oppoſito plura locata non loco affixa contra naturæ exigentiam penetrari ſupernaturaliter poſſe certum eſt.*

Primò, quia oppoſitum nulla ratio conuincit; Secundò, quia quantitas rebus corporeis data, vt neceſſaria impenetratione, quæ ab illa tanquam à radice fluit, non deſtituantur, naturaliter quidem indiſpenſabiliter

petit

petit reddere ſingula, quæ afficit, impenetrabilia, vt debitus ſeruetur ordo in eſſe, & in operari, poteſt diuinitus impediri, non ſecus ac ignis nè comburat, vel calefaciat; aqua humectet &c. Accedit, quòd toties in Sacra Pagina facta penetratio, diuinò muneri adſcribitur, cui communis ſubſcribit conſenſus.

Loco opponitur Vacuum, quod eſt *Locus omni carens corpore aptus tamen repleri.*

Locus quidem, quia eſt ſuperficies vltima alicuius corporis, *nullum ambiens corpus*, per quod diſtinguitur à ſpatio imaginario, vt ſi annihilaret Deus omnia corpora intra ambitum Cæli contenta.

114 *Vacuum in creatis nullum datur de facto, aut dari poteſt vi creati agentis.*

Pugnat contra vacuum experientia plurimis, varijſque in caſibus, quibus nititur natura impedire vacuum gratia impellendo ſurſum, lænia trudendo deorſum, denſa rarefaciendo, rarefacta condenſando, & ſimilia, quæ quàm maximè abhorreat à vacuo natura non oſtendunt cæcò; Quin, experimentum illud, quo per artem à natura extorquere conantur, his temporibus Vacuum per fiſtulas vitreas Hydrargirio ad menſuram plenas, quid plenius conuincit, quàm omni niſu conari naturam in Vacuum corpus illud attenuando, ſegregando, mouendo ſurſum, imittendo deorſum, iuxta diuerſas fiſtulæ motæ exigentias? Quid per fiſtulam in partibus, quas dicunt vacuas, quòd tranſeat lumen, permeet ſpecies intentionalis, niſi ſubiectum conuincunt, vbi Vacuum contenditur? ſed contentionem apertiùs tollit experientia ipſa.

Inutile præterea, & maximam perniciem naturæ vrgeret Vacuum; inutile quidem, cum ordinata confundat, exigentias naturales violentiam doceat pati, indebitos cauſet, & innaturales effectus; obeſt naturæ, quia

naturalium corporum c̃ontiguitatem impediret, vnionemquè Vniuerſi perturbaret, tolleret inde communicationem ſi periorum Lationum, ex quo non leuiter periclitarentur corpora inferiora. Si tandem ſufficit ad negandum duplicem influxum totalem in eũdem effectum ſuperfluitas, à qua natura auuerſatur, multò magis viget ad negandum poſſibile Vacuum, ſtante valentiſſima naturæ repugnantia.

115 *Si tamen daretur aliquod Vacuum, in eo moueri poſſent corpora.*

Clara eſt, quia eadem virtus motiua remaneret in mobili, eadem commenſurabilitas cum ſpatio, nullum adeſſet impedimentum, quin potius careret ſpatium medio retardante motum, quia ſiquidẽ quò craſſius eſt medium, magis reſiſtit, difficiliùs ſcinditur, ac proindè magis retardat mobile, quo tenuior minus detinebit; ſi tandem nullum, minimum detinebit mobile, ergo facilitabitur, non retardabitur motus localis in Vacuo.

Et quamuis videatur tolli aliqualiter finis motus grauium & leuium, qui eſt vt grauia conſtituantur infra leuia, hæc verò ſupra, non tollitur tamen ſimpliciter; Vacuum enim, de quo hic, eſſet in determinato ſpatio, ac tãdem remaneret ſemper finis ſimpliciter ad motum, vt ſi non pro eo ſpatio Vacuo ſaltem pro ſpatio exteriori tenderent ad ſua loca naturalia. Præterea hæc ratio non viget in motu progreſſiuo, & maximè in homine, ſi aliundè conſeruaretur in Vacuo, qui liberè in hoc Muſeo, ſi vacuum eſſet, poſſet ſpatiari.

116 *Nec inde ſequitur, quod debeat moueri in inſtanti, ſed motu ſucceſſiuo, licèt velociſſimè.*

Primò, quia motus quicumque localis corporum eſt eſſentialiter ſucceſſiuus, vt ex 106.

Secundò, licèt quò remiſſius eſt medium, in quo fit motus

motus corporum, minus impediatur, tamen ſucceſſionem motus localis cauſat etiam diſtantia extremorum, & commenſurabilitas corporis cum ſpatio, quæ non proindè tolleretur etiam ſi ſpatium eſſet Vacuum; vnde fit, quòd lapis v. g. palmaris demiſſus ab ſurſum, non poſſet in inſtanti moueri deorſum, alioquin ille, entitatis palmaris, eſſet in eodem inſtanti reali præſens ſimul termino ſurſum, & termino deorſum, ergo ſinè replicatione eſſet ſimul præſens ſpatio maiori ſe: clariùs; ſi ſtatueretur in medio ſpatij vacui columna, & proximus columnæ datæ moueretur lapis palmaris, eſſet in eodem inſtanti adæquatè præſens toti columnæ præcisè à quacumque replicatione, quod implicat, moueretur ergo ſucceſſiuè.

Titulus XVI.

Tempus.

Sicut alicubi eſt corpus naturale, ita aliquando eſt, & ſicut repugnat eſſe, & nullibi eſſe, æquè implicat eſſe, & in nullo tempore eſſe; eſt igitur inter paſſiones corporis Tempus.

117 *Deffinitur Tempus Numerus Motus ſecundùm prius, & poſterius.*

Expenditur natura temporis in hac deffinitione, prout in vſu eſt animæ, & humanæ naturæ, nam ſecundùm ſe, eſt duratio ſucceſſiua motus localis; Hac ergo ratione dicitur *numerus*, intellige *numeratus*, hoc eſt partes priores, & poſteriores motus, numeratæ ab anima, quę ſint in ſigna ad alios motus numerandos; *Motus* non cuiuſcumque, ſed motus determinati, inuariati, notioris, communis &c. itaut poſſit eſſe in menſuram durationum

tionum aliorum motuum, & rerum, ex quo hæ dicuntur durare tanto, vel tantò tempore, qui motus aptiſſimus eſt motus cæleſtium, inter hos verò motus Primi Mobilis; diſtinctus quidem in partes priores, & poſteriores, continuatas tamen; & hinc dicitur *ſecundùm prius, & poſterius*, hinc diſtinguitur à quantitatibus diſcretis, & à motu ſimpliciter.

Differt etiam ab Aeternitate ſimpliciter, quæ eſt *interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio*, ſeu inſtans quoddam indiuiſibile formaliter, virtualiter tamen diuiſibile excedens eſſentialiter omne tempus, cui durationi quidquid correſpondet ab æterno dicitur eſſe, & quæ in eo ſunt dicuntur eſſe in æternitate, abſolutè verò dicitur eſſe in tempore, infinitum ſit, ſiuè non.

Dixi inſe tempus eſſe durationem ſucceſſiuam motus localis, non cuiuſuis mobilis, ſed Primi ob rationem dictam, cui durationi commenſuratur propria cuiuslibet rei duratio, ſiuè ſucceſſiua res ſit, ſiuè permanens, vnde diuiditur tempus, ſeu duratio in extrinſecam, & intrinſecam; extrinſeca eſt tempus dictum, intrinſeca eſt propria rei permanentia in eſſe, & dicitur tempus intrinſecum.

118 *Eſt duratio intrinſeca rei forma modalis ſucceſſiua à tempore, & re durante diſtincta, vtrumque formaliter determinans, vt ſibi coexiſtant.*

Nulla mihi ſuppetit ratio dubitandi de hac re, ſtante 69. & 110. concluſ. æquè enim abſoluta eſt res à loco, ac à tempore, ergo æquè indifferens eſt ad hoc, vel illud tempus, ac ſit ad hoc, vel illud ſpatium, ergo æquè indiget determinatiuo formali ad hoc, vel illud tempus, atqui ad hoc, vel illud ſpatium, ergo forma determinans rem ad hoc tempus non ad externum, vel futurum erit duratio prædicta.

Vrgeo.

Vrgeo quia, æquè durans ab vno contradictorio ad aliud res durans dum correſpondet huic tempori, cui prius non correſpondebat, ac dum coexiſtit huic loco, & non alteri.

Neque ſufficit coexiſtentia huius temporis v.g. & lapidis; primò, quia ſi non ſit hoc tempus adhuc poteſt lapis durare, vel quia coexiſtat alteri tempori, vel etiam ſoli ſpatio imaginario; ſecundò, etiam ſi ſit hoc tempus, & lapis anno venturo durat lapis. Efficacius verò de facto eſt tranſeunter, ſeu ſucceſſiuè præteritum, præſens, & futurum, & indifferens eſt lapis, vt ſit hodie, vel cras, ergo eadem indifferentia, quæ tollenda eſt à lapide in ordine ad Locum, tollenda remanet in ordine ad tempus, ergo per formam &c.

Adde, quòd eſſe lapidem hoc tempore eſt duratio realis intrinſeca, ergo à forma intrinſeca, quæ nulla aſſignabilis eſt præter formam durationis dictam; immò volens Deus ab æterno lapidem, & hanc diem futuram ſimul, vult aliquid plus, quàm ſi vellet abſolutè lapidem, & hanc diem futuram, ergo hanc formam durationis. Vel etiam nihil obſtaret, quò minus nulla entitas poſitiua diceretur permanens, quia ſi determinata eſſet ad coexiſtendum tempori per propriam entitatem, entitas per quam res coexiſtit hodiernò, erit eſſentialiter diuerſa ab entitate, qua coexiſtit craſtino, quia variato tempore debet variari entitas rei durantis, ergo nulla res dici poſſet permanens; vel ſi per entitatem eandem de facto qualibet entitas permanens peteret eſſentialiter durare tanto tempore, eſſet enim per ſe ipſam determinata ad talem, & tantam durationem, ergo daretur de facto duratio illa indiuiſibilis, de qua non leuis eſt contentio etiam de poſſibili. Præterea, ſi petat Petrus à Deo vt conſeruetur cras, iam non petit ſuam exiſtentiam quam de facto habet, pro qua tenetur gra-

Quintò denique clariſſimè infertur qua ratione ſuperficies vltima corporis ambientis locatum ſit immobilis, quamuis in continuo fluxu, puta quia locatum cingit per vbicationem talem, quæ eſt forma eſſentialiter affixa tali ſigno, ſeu talibus negationibus non tollibilibus aliarum vbicationum realium.

Quia igitur omnia, quæ de ſpatio imaginario dicuntur verificantur, & aptiùs explicantur de negationibus dictis, quas conuincimur etiam concedere, non confundimus conceptus philoſophicos de tali ſpatio, ſicut cæteræ opiniones, ergo &c.

109 *Sequitur hinc primum, ſeu ſupremum Cælum non eſſe in loco propriè.*

Non enim cingitur vltima ſuperficie corporis ambientis, quamuis dici poſſit in loco ſimpliciter, ſi ſpatium imaginarium placeat dicere locum ſimpliciter.

110 *Locus intrinſecus, ſeu id per quod locatum formaliter eſt in loco, eſt forma quædam poſitiua modaliter à loco, & locato diſtincta.*

Conuincitur argumentis concluſionis 69. Addo præterea, quòd non ſufficit primò locatum, locus, & negatio corporis interiecti; Secundò, locatum habere talem diſtantiam ab hoc, vel ab alio corpore; Tertiò, non ſufficit actio productiua locati in tali ſpatio; Quartò, nec motus localis locati ad ſpatium; Quintò, neque locatum tangere ſuperficiem ambientis cum tali diſtantia; Non ſextò Dei decretum volentis Petrum in hoc ſpatio, ergo erit forma modaliter ab vtroque diſtincta.

Primum oſtendo, quia poſſunt haberi ea tria, & non eſſe corpus in loco: nõ aliter ſe haberet corpus in loco, quàm duo corpora penetrata: non omnia locata poſſunt poni in loco per negationem corporis interiecti, vt ſi locetur Angelus: præterea, quod ego ſim in loco eſt

mea

mea entitas, locus, & negatio corporis interiecti; & cum recedo à loco, & locatur ibi v. g. Petrus deſtruitur negatio, per quam ego eram in loco; & deſtruitur per hoc, per quod ponitur Petrus in loco meo; ſed hoc eſt negatio mei interiacentis; ergo negatio per quam ego eram in loco deſtruitur per negationem oppoſitam Petri, ergò negatio pugnat cum negatione. Fortiùs; Petrus aduenīens in loco meo acquirit negationem mei interiacentis, ſed mea interiacentia erat negatio, ergo acquirit negationem negationis, neque ceſſat aliquod poſitiuum ad quod ſequi debeat hæc negatio, quod tamen implicat.

Secundum, quia poſſum diſtare ab hoc eodem corpore, & tamen non eſſe in eodem loco; vel enim eſt me diſtare, quia mouear localiter, vel quia aliquod interiaceat corpus, vel vtrumque; non illud, quia poſſum primò creari in loco; non hoc, quia poſſum diſtare dum mouear; non vtrumque, quia ſi annihilentur omnia corpora interiacentia eo excepto, cuius vltima ſuperficies ambit me, adhuc ſum in loco; ſi verò Deus creaſſet, vt potuit, hunc Mundum in alio ſpatio ſimpliciter ab hoc cum eadem partium diſtantia, non ne fuiſſet in alio loco cum eadem diſtantia corporum? diſtantia igitur non ſufficit.

Tertium, quia potuiſſet Deus eadem actione creare lapidem Romæ, qua Placentiæ; nec niſi gratis fingis hanc actionem alligatam ſpatio Placentino; immò nec poteſt eſſe eadem actio, quæ primo producat, conſeruet, & locet; quæ enim primo producit eſt actio creaturæ, & Dei, conſeruatiua ſæpè ſolius Dei, & ſæpè res in vno loco fit, conſeruatur in alio; vnde quoties res variat locum variari, deberet actio conſeruatiua; minori igitur cum abſurdo conſtituas rem in loco per formam vbicationis.

Quar-

loco affixa, habent propriam præſentiam ſibi proportionatam.

Mihi eſt certa concluſio hæc; primò, quia aliter ſequeretur corrumpi totam cõpoſiti vbicationem eodem ibidem remanente compoſito, quoties etiam minimum variatur illius acciden ; ſequ. eſt extra dubium, quia cum præſentia ſit modus locati, ergo vbicato variato modum variari neceſſe eſt; ſic autem modos vbicationum teneris variare ad ſingulas etiam minimas totius mutationes; cur non ſingulis proprium vbi concedis, quod ſolùm cæteris inuariatis corrumpatur? Secundò quia in pleriſque generationum, vt patet experientia eadem materia independenter ab vbicatione formæ, & aliorum, quæ ſunt in compoſito remanet immota localiter, ergo per propriam vbicationem ab vbicatione aliorum diſtinctam; Tertiò, ſi replicaretur, vel quantitas, vel materia hic, & Romæ, illique hic vniatur forma, vel aliud accidens, eſt hic ſolùm, quia ſupponitur ſolùm produci, non replicari, & tamen ſi vbicatu per vbicationem materiæ, vel quantitatis, debet eſſe vbicumque eſt quantitas, vel materia vbicata; ideo enim vbicatur per illius vbi, quia illi eſt vnita talis forma, vel accidens, vnio ſiquidem exigit vt vbi eſt vnum extremum ſit, & aliud vnitum; immò ſi ex vi vnionis vnitus cum altero, replicata materia, vel quantitate Romæ deberet replicari etiam hoc vbi, non ſufficit ergo vnio inter plura, vt vnum vbicetur per vbicationem alterius, quod clariùs cerneretur ſi penetrarentur Petrus, & Paulus; & ſi non replicetur hoc vbi eſt, quia non ſufficit talis vnio; Quartò, aliud eſt formaliter, & realiter rem eſſe vnitam, aliud eſſe vbicatam, ergo exigit id poſitiuum per quod vbicetur, ſicuti id poſitiuum per quod vniatur; & tandem omnia, quæ non ſunt loco affixa ſunt abſoluta in ordine ad locum, ergo ſi ſunt

K diuerſi

diuerſi prædicamenti, immò etiam ſi ſunt diuerſæ rationis, vel numericæ exigunt proprium modum vbicationis non minus, quàm durationis &c.

112 *Eadem res corporea loco non affixa poteſt ſupernaturaliter ſimul in pluribus locis, aut deffinitiuè, aut circumſcriptiuè, aut etiam vtroquè modo conſtitui.*

Lego hoc in Hiſtorijs Eccleſiaſticis de pluribus Sanctis, vt de D. Ambroſio, Antonio Luſitano, alijſque quam pluribus, quibus non poſtponendum, quod infertur ex Gregorio lib.2. Dialog. cap.22. de Sanctiſſimo Patre, & Patriarcha meo Benedicto, qui Monachis iuxtà Tarracinenſem Vrbem noctu apparens per ſomnium loca ſingula ædificanda deſſignauit.

Adoro hoc idem in Chriſti Sanctiſſimo Corpore tot in Hoſtijs replicato deffinitiuè, circumſcriptiuè exiſtentis in Cælo. Nec diſtrahor, quia ibi dicatur eſſe Sacramentaliter, quia rogo doceri hoc Sacramentaliter, quid ſit præter hoc eſſe deffinitiuè, niſi ſola verba.

Deduco etiam hoc ex ratione negatiua, quia nulla apparet implicantia; Rerum verò circumſtantijs diſcuſſis, nullaque detentus, vel apparenti repugnantia, prudenter in aſſenſu obiecto propoſito effunditur mens; quin, ſi vigeat mihi ingenio tenuiſſimo non datum omnia dignoſcere, petam, quis tibi acutiſſimo dederit non falli in ijs, quæ & credis, & iuras manifeſtè patere?

Dixi verò ſupernaturaliter, quia naturam vnicuique ſingularem ſtatuiſſe locum experimur omnes.

113 *Quin ex oppoſito plura locata non loco affixa contra naturæ exigentiam penetrari ſupernaturaliter poſſe certum eſt.*

Primò, quia oppoſitum nulla ratio conuincit; Secundò, quia quantitas rebus corporeis data, vt neceſſaria impenetratione, quæ ab illa tanquam à radice fluit, non deſtituantur, naturaliter quidem indiſpenſabiliter

petit reddere ſingula, quæ afficit, impenetrabilia, vt debitus ſeruetur ordo in eſſe, & in operari, poteſt diuinitus impediri, non ſecus ac ignis nè comburat, vel calefaciat, aqua humectet &c. Accedit, quòd toties in Sacra Pagina facta penetratio, diuino muneri adſcribitur, cui communis ſubſcribit conſenſus.

Loco opponitur Vacuum, quod eſt *Locus omni carens corpore aptus tamen repleri.*

Locus quidem, quia eſt ſuperficies vltima alicuius corporis, *nullum ambiens corpus*, per quod diſtinguitur à ſpatio imaginario, vt ſi annihilaret Deus omnia corpora intra ambitum Cæli contenta.

114 *Vacuum in creatis nullum datur de facto, aut dari poteſt vi creati agentis.*

Pugnat contra vacuum experientia plurimis, varijſque in caſibus, quibus nititur natura impedire vacuum grauia impellendo ſurſum, læuia trudendo deorſum, denſa rarefaciendo, rarefacta condenſando, & ſimilia, quæ quàm maximè abhorreat à vacuo natura non oſtendunt cæco; Quin, experimentum illud, quo per artem à natura extorquere conantur, his temporibus Vacuum per fiſtulas vitreas Hydrargirio admenſuram plenas, quid plenius conuincit, quàm omni niſu conari naturam in Vacuum corpus illud attenuando, ſegregando, mouendo ſurſum, imittendo deorſum, iuxta diuerſas fiſtulæ motæ exigentias? Quid per fiſtulam in partibus, quas dicunt vacuas, quòd tranſeat lumen, permeet ſpecies intentionalis, niſi ſubiectum conuincunt, vbi Vacuum contenditur? ſed contentionem apertius tollit experientia ipſa.

Inutile præterea, & maximam perniciem naturæ vrgeret Vacuum; inutile quidem, cum ordinata confundat, exigentias naturales violentiam doceat pati, indebitos cauſet, & innaturales effectus; obeſt naturæ, quia

naturalium corporum contiguitatem impediret, vnionemquè Vniuerſi perturbaret, tolleret inde communicationem ſuperiorum Lationum, ex quo non leuiter periclitarentur corpora inferiora. Si tandem ſufficit ad negandum duplicem influxum totalem in eūdem effectum ſuperfluitas, à qua natura auuerſatur, multò magis viget ad negandum poſſibile Vacuum, ſtante validiſſima naturæ repugnantia.

115 *Si tamen daretur aliquod Vacuum, in eo moueri poſſent corpora.*

Clara eſt, quia eadem virtus motiua remaneret in mobili, eadem commenſurabilitas cum ſpatio, nullum adeſſet impedimentum, quin potius careret ſpatium medio retardante motum, quia ſiquidē quò craſſius eſt medium, magis reſiſtit, difficiliùs ſcinditur, ac proindè magis retardat mobile, quo tenuior minus detinebit; ſi tandem nullum, minimum detinebit mobile, ergo facilitabitur, non retardabitur motus localis in Vacuo.

Et quamuis videatur tolli aliqualiter finis motus grauium & leuium, qui eſt vt grauia conſtituantur infra leuia, hæc verò ſupra, non tollitur tamen ſimpliciter; Vacuum enim, de quo hìc, eſſet in determinato ſpatio, ac tādem remaneret ſemper finis ſimpliciter ad motum, vt ſi non pro eo ſpatio Vacuo ſaltem pro ſpatio exteriori tenderent ad ſua loca naturalia. Præterea hæc ratio non viget in motu progreſſiuo, & maximè in homine, ſi aliundè conſeruaretur in Vacuo, qui liberè in hoc Muſeo, ſi vacuum eſſet, poſſet ſpatiari.

116 *Nec inde ſequitur, quòd debeat moueri in inſtanti, ſed motu ſucceſſiuo, licèt velociſſimè.*

Primò, quia motus quicumque localis corporum eſt eſſentialiter ſucceſſiuus, vt ex 106.

Secundò, licèt quò remiſſius eſt medium, in quo fit motus

motus corporum, minus impediatur, tamen ſucceſſionem motus localis cauſat etiam diſtantia extremorum, & commenſurabilitas corporis cum ſpatio, quæ non proindè tolleretur etiam ſi ſpatium eſſet Vacuum; vnde fit, quòd lapis v. g. palmaris demiſſus ab ſurſum, non poſſet in inſtanti moueri deorſum, alioquin ille, entitatis palmaris, eſſet in eodem inſtanti reali præſens ſimul termino ſurſum, & termino deorſum, ergo ſinè replicatione eſſet ſimul præſens ſpatio maiori ſe: clariùs; ſi ſtatueretur in medio ſpatij vacui columna, & proximus columnæ datæ moueretur lapis palmaris, eſſet in eodem inſtanti adæquatè præſens toti columnæ præcisè à quacumque replicatione, quod implicat, moueretur ergo ſucceſſiuè.

Titulus XVI.

Tempus.

Sicut alicubi eſt corpus naturale, ita aliquando eſt, & ſicut repugnat eſſe, & nullibi eſſe, æquè implicat eſſe, & in nullo tempore eſſe; eſt igitur inter paſſiones corporis Tempus.

117 *Deffinitur Tempus Numerus Motus ſecundùm priùs, & poſteriùs.*

Expenditur natura temporis in hac deffinitione, prout in vſu eſt animæ, & humanæ naturæ, nam ſecundùm ſe, eſt duratio ſucceſſiua motus localis; Hac ergo ratione dicitur *numerus*, intellige *numeratus*, hoc eſt partes priores, & poſteriores motus, numeratæ ab anima, quę ſint in ſigna ad alios motus numerandos; *Motus* non cuiuſcumque, ſed motus determinati, inuariati, notioris, communis &c. itaut poſſit eſſe in menſuram dura-

tionum aliorum motuum, & eum, ex quo hæ dicuntur durare tanto, vel tantò tempore, qui motus aptiſſimus eſt motus cæleſtium, inter hos verò motus Primi Mobilis; diſtinctus quidem in partes priores, & poſteriores, continuatas tamen; & hinc dicitur *ſecundùm prius, & poſterius*, hinc diſtinguitur à quantitatibus diſcretis, & à motu ſimpliciter.

Differt etiam ab Aeternitate ſimpliciter, quæ eſt *interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio*, ſeu inſtans quoddam indiuiſibile formaliter, virtualiter tamen diuiſibile excedens eſſentialiter omne tempus, cui durationi quidquid correſpondet ab æterno dicitur eſſe, & quæ in eo ſunt dicuntur eſſe in æternitate, abſolutè verò dicitur eſſe in tempore, infinitum ſit, ſiuè non.

Dixi in ſe tempus eſſe durationem ſucceſſiuam motus localis, non cuiuſuis mobilis, ſed Primi ob rationem dictam, cui durationi commenſuratur propria cuiuslibet rei duratio, ſiuè ſucceſſiua res ſit, ſiuè permanens, vnde diuiditur tempus, ſeu duratio in extrinſecam, & intrinſecam; extrinſeca eſt tempus dictum, intrinſeca eſt propria rei permanentia in eſſe, & dicitur tempus intrinſecum.

118 *Eſt duratio intrinſeca rei forma modalis ſucceſſiua à tempore, & re durante diſtincta, vtrumque formaliter determinans, vt ſibi coexiſtant.*

Nulla mihi ſuppetit ratio dubitandi de hac re, ſtante 69. & 110. concluſ. æquè enim abſoluta eſt res à loco, ac à tempore, ergo æquè indifferens eſt ad hoc, vel illud tempus, ac ſit ad hoc, vel illud ſpatium, ergo æquè indiget determinatiuo formali ad hoc, vel illud tempus, atqui ad hoc, vel illud ſpatium, ergo forma determinans rem ad hoc tempus non ad externum, vel futurum erit duratio prædicta.

Vrgeo.

Vrgeo quia, æquè tranſit ab vno contradictorio ad aliud res durans dum correſpondet huic tempori, cui prius non correſpondebat, ac dum coexiſtit huic loco, & non alteri.

Neque ſufficit coexiſtentia huius temporis v.g. & lapidis; primò, quia ſi non ſit hoc tempus adhuc poteſt lapis durare, vel quia coexiſtat alteri tempori, vel etiam ſoli ſpatio imaginario; ſecundò, etiam ſi ſit hoc tempus, & lapis anno venturo durat lapis. Efficacius verò de facto eſt tranſeunter, ſeu ſucceſſiuè præteritum, præſens, & futurum, & indifferens eſt lapis, vt ſit hodie, vel cras, ergo eadem indifferentia, quæ tollenda eſt à lapide in ordine ad Locum, tollenda remanet in ordine ad tempus, ergo per formam &c.

Adde, quòd eſſe lapidem hoc tempore eſt duratio realis intrinſeca, ergo à forma intrinſeca, quæ nulla aſſignabilis eſt præter formam durationis dictam; immò volens Deus ab æterno lapidem, & hanc diem futuram ſimul, vult aliquid plus, quàm ſi vellet abſolutè lapidem, & hanc diem futuram, ergo hanc formam durationis. Vel etiam nihil obſtaret, quò minus nulla entitas poſitiua diceretur permanens, quia ſi determinata eſſet ad coexiſtendum tempori per propriam entitatem, entitas per quam res coexiſtit hodiernò, erit eſſentialiter diuerſa ab entitate, qua coexiſtit craſtino, quia variato tempore debet variari entitas rei durantis, ergo nulla res dici poſſet permanens; vel ſi per entitatem eandem de facto quælibet entitas permanens peteret eſſentialiter durare tanto tempore, eſſet enim per ſe ipſam determinata ad talem, & tantam durationem, ergo daretur de facto duratio illa indiuiſibilis, de qua non leuis eſt contentio etiam de poſſibili. Præterea, ſi petat Petrus à Deo vt conſeruetur cras, iam non petit ſuam exiſtentiam quam de facto habet, pro qua tenetur gra-

Quintò denique clariſſimè infertur qua ratione ſuperficies vltima corporis ambientis locatum ſit immobilis, quamuis in continuo fluxu, puta quia locatum exigit per vbicationem talem, quæ eſt forma eſſentialiter affixa tali ſigno, ſeu talibus negationibus non tollibilibus aliarum vbicationum realium.

Quia igitur omnia, quæ de ſpatio imaginario dicuntur verificantur, & aptiùs explicantur de negationibus dictis, quas conuincimur etiam concedere, non confundimus conceptus philoſophicos de tali ſpatio, ſicut cæteræ opiniones, ergo &c.

106. *Sequitur hinc primum, ſeu ſupremum Cælum non eſſe in loco propriè.*

Non enim cingitur vltima ſuperficie corporis ambientis, quamuis dici poſſit in loco ſimpliciter, ſi ſpatium imaginarium placeat dicere locum ſimpliciter.

113. *Locus intrinſecus, ſeu id per quod locatum formaliter eſt in loco, eſt forma quædam poſitiua modaliter à loco, & locato diſtincta.*

Conuincitur argumentis concluſionis 69. Addo prætereà, quòd non ſufficit primò locatum, locus, & negatio corporis interiecti; Secundò, locatum habere talem diſtantiam ab hoc, vel ab alio corpore; Tertiò, non ſufficit actio productiua locati in tali ſpatio; Quartò, nec motus localis locati ad ſpatium; Quintò, neque locatum tangere ſuperficiem ambientis cum tali diſtantia; Non ſextò Dei decretum volentis Petrum in hoc ſpatio, ergo erit forma modaliter ab vtroque diſtincta.

Primum oſtendo, quia poſſunt haberi ea tria, & non eſſe corpus in loco: nō aliter ſe haberet corpus in loco, quàm duo corpora penetrata: non omnia locata poſſunt poni in loco per negationem corporis interiecti, vt ſi locetur Angelus: prætereà, quòd ego ſim in loco eſt

mea

mea entitas, locus, & negatio corporis interiecti; & cum recedo à loco, & locatur ibi v. g. Petrus deſtruitur negatio, per quam ego eram in loco; & deſtruitur per hoc, per quod ponitur Petrus in loco meo; ſed hoc eſt negatio mei interiacentis; ergo negatio per quam ego eram in loco deſtruitur per negationem oppoſitam Petri, ergò negatio pugnat cum negatione. Fortius; Petrus adueniens in loco meo acquirit negationem mei interiacentis, ſed mea interiacentia erat negatio, ergo acquirit negationem negationis, neque ceſſat aliquod poſitiuum ad quod ſequi debeat hæc negatio, quod tamen implicat.

Secundum, quia poſſum diſtare ab hoc eodem corpore, & tamen non eſſe in eodem loco; vel enim eſt me diſtare, quia mouear localiter, vel quia aliquod interiaceat corpus, vel vtrumque; non illud, quia poſſum primò creari in loco; non hoc, quia poſſum diſtare dum mouear; non vtrumque, quia ſi annihilentur omnia corpora interiacentia eo excepto, cuius vltima ſuperficies ambit me, adhuc ſum in loco; ſi verò Deus creaſſet, vt potuit, hunc Mundum in alio ſpatio ſimpliciter ab hoc cum eadem partium diſtantia, non ne fuiſſet in alio loco cum eadem diſtantia corporum? diſtantia igitur non ſufficit.

Tertium, quia potuiſſet Deus eadem actione creare lapidem Romæ, qua Placentiæ; nec niſi gratis fingis hanc actionem alligatam ſpatio Placentino; immò nec poteſt eſſe eadem actio, quæ primo producat, conſeruet, & locet; quia enim primo producit eſt actio creaturæ, & Dei, conſeruatiua ſæpè ſolius Dei; & ſæpè res in vno loco fit, conſeruatur in alio; vnde quoties res variat locum variari, deberet actio conſeruatiua; minori igitur cum abſurdo conſtituas rem in loco per formam vbicationis;

Quar-

loco affixa, habent propriam præſentiam ſibi proportionatam.

Mihi eſt certa concluſio hæc; primò, quia aliter ſequeretur corrumpi totam cõpoſiti vbicationem eodem ibidem remanente compoſito, quoties etiam minimum variatur illius accidens; ſequ. eſt extra dubium, quia cum præſentia ſit modus locati, ergo vbicato variato modum variari neceſſe eſt; ſic autem modos vbicationum teneris variare ad ſingulas etiam minimas totius mutationes, cur non ſingulis proprium vbi concedis, quod ſolum cæteris inuariatis corrumpatur? Secundò quia in pleriſque generationum, vt patet experientia eadem materia independenter ab vbicatione formæ, & aliorum, quæ ſunt in compoſito remanet immota localiter, ergo per propriam vbicationem ab vbicatione aliorum diſtinctam; Tertiò, ſi replicaretur, vel quantitas, vel materia hic, & Romæ, illique hic vniatur forma, vel aliud accidens, eſt hic ſolùm, quia ſupponitur ſolùm produci, non replicari, & tamen ſi vbicatur per vbicationem materiæ, vel quantitatis, debet eſſe vbicumque eſt quantitas, vel materia vbicata; ideò enim vbicatur per illius vbi, quia illi eſt vnita talis forma, vel accidens, vnio ſiquidem exigit vt vbi eſt vnum extremum ſit, & aliud vnitum; immò ſi ex vi vnionis vnius cum altero, replicata materia, vel quantitate Romæ deberet replicari etiam hoc vbi, non ſufficit ergo vnio inter plura, vt vnum vbicetur per vbicationem alterius, quod clariùs cerneretur ſi penetrarentur Petrus, & Paulus; & ſi non replicetur hoc vbi eſt, quia non ſufficit talis vnio; Quartò, aliud eſt formaliter, & realiter rem eſſe vnitam, aliud eſſe vbicatam, ergo exigit id poſitiuum per quod vbicetur, ſicut id poſitiuum per quod vniatur; & tandem omnia, quæ non ſunt loco affixa ſunt abſoluta in ordine ad locum, ergo ſi ſunt

diuerſi prædicamenti, immò etiam ſi ſunt diuerſæ rationis, vel numericæ exigunt proprium modum vbicationis non minus, quàm durationis &c.

112 *Eadem res corporea loco non affixa poteſt ſupernaturaliter ſimul in pluribus locis, aut deffinitiuè, aut circumſcriptiuè, aut etiam vtroquè modo conſtitui.*

Lego hoc in Hiſtorijs Eccleſiaſticis de pluribus Sanctis, vt de D. Ambroſio, Antonio Luſitano, alijſquè quam pluribus, quibus non poſtponendum, quod infertur ex Gregorio lib.2. Dialog. cap.22. de Sanctiſſimo Patre, & Patriarcha meo Benedicto, qui Monachis iuxtà Tarracinenſem Vrbem noctu apparens per ſomnium loca ſingula ædificanda deſſignauit.

Adoro hoc idem in Chriſti Sanctiſſimo Corpore tot in Hoſtijs replicato deffinitiuè, circumſcriptiuè exiſtentis in Cælo. Nec diſtrahor, quia ibi dicatur eſſe Sacramentaliter, quia rogo doceri hoc Sacramentaliter, quid ſit præter hoc eſſe deffinitiuè, niſi ſola verba.

Deduco etiam hoc ex ratione negatiua, quia nulla apparet implicantia; Rerum verò circumſtantijs diſcuſſis, nullaque detentus, vel apparenti repugnantia, prudenter in aſſenſu obiecto propoſito effunditur mens; quin, ſi vigeat mihi ingenio tenuiſſimo non datum omnia dignoſcere, petam, quis tibi acutiſſimo dederit non falli in ijs, quæ & credis, & iuras manifeſtè patere?

Dixi verò ſupernaturaliter, quia naturam vnicuique ſingularem ſtatuiſſe locum experimur omnes.

113 *Quin ex oppoſito plura locata non loco affixa contra naturæ exigentiam penetrari ſupernaturaliter poſſe certum eſt.*

Primò, quia oppoſitum nulla ratio conuincit; Secundò, quia quantitas rebus corporeis data, vt neceſſaria impenetratione, quæ ab illa tanquam à radice fluit, non deſtituantur, naturaliter quidem indiſpenſabiliter

petit

petit reddere ſingula, quæ afficit, impenetrabilia, vt debitus ſeruetur ordo in eſſe, & in operari, poteſt diuinitus impediri, non ſecus ac ignis nè comburat, vel calefaciat, aqua humectet &c. Accedit, quòd toties in Sacra Pagina facta penetratio, diuino muneri adſcribitur, cui communis ſubſcribit conſenſus.

Loco opponitur Vacuum, quod eſt *Locus omni carens corpore aptus tamen repleri.*

Locus quidem, quia eſt ſuperficies vltima alicuius corporis, *nullum ambiens corpus*, per quod diſtinguitur à ſpatio imaginario, vt ſi annihilaret Deus omnia corpora intra ambitum Cæli contenta.

114 *Vacuum in creatis nullum datur de facto, aut dari poteſt vi creati agentis.*

Pugnat contra vacuum experientia plurimis, varijſquè in caſibus, quibus nititur natura impedire vacuum gratia impellendo ſurſum, læuia trudendo deorſum, denſa rarefaciendo, rarefacta condenſando, & ſimilia, quæ quàm maximè abhorreat à vacuo natura non oſtendunt cæcò; Quin, experimentum illud, quo per artem à natura extorquere conantur, his temporibus Vacuum per fiſtulas vitreas Hydrargirio adimenturam plenas, quid pleniùs conuincit, quàm omni niſu conari naturam in Vacuum corpus illud attenuando, ſegregando, mouendo ſurſum, imittendo deorſum, iuxta diuerſas fiſtulæ motæ exigentias? Quid per fiſtulam in partibus, quas dicunt vacuas, quòd tranſeat lumen, permeet ſpecies intentionalis, niſi ſubiectum conuincunt, vbi Vacuum contenditur? ſed contentionem apertiùs tollit experientia ipſa.

Inutile præterea, & maximam perniciem naturæ vrgeret Vacuum; inutile quidem, cum ordinata confundat, exigentias naturales violentiam doceat pati, indebitos cauſet, & innaturales effectus; obeſt naturæ, quia

naturalium corporum continguitatem impediret, vnionemquè Vniuerſi perturbaret, tolleret inde communicationem ſuperiorum Lationum, ex quo non leuiter periclitarentur corpora inferiora. Si tandem ſufficit ad negandum duplicem influxum totalem in eũdem effectum ſuperfluitas, à qua natura auuerſatur, multò magis viget ad negandum poſſibile Vacuum, ſtante valentiſſima naturæ repugnantia.

115 *Si tamen daretur aliquod Vacuum, in eo moueri poſſent corpora.*

Clara eſt, quia eadem virtus motiua remaneret in mobili, eadem commenſurabilitas cum ſpatio, nullum adeſſet impedimentum, quin potius careret ſpatium medio retardante motum, quia ſiquidè quò craſſius eſt medium, magis reſiſtit, difficiliùs ſcinditur, ac proindè magis retardat mobile, quo tenuior minus detinebit; ſi tandem nullum, minimum detinebit mobile, ergo facilitabitur, non retardabitur motus localis in Vacuo.

Et quamuis videatur tolli aliqualiter finis motus grauium & leuium, qui eſt vt grauia conſtituantur infra leuia, hæc verò ſupra, non tollitur tamen ſimpliciter; Vacuum enim, de quo hìc, eſſet in determinato ſpatio, ac tãdem remaneret ſemper finis ſimpliciter ad motum, vt ſi non pro eo ſpatio Vacuo ſaltem pro ſpatio exteriori tenderent ad ſua loca naturalia. Præterea hæc ratio non viget in motu progreſſiuo, & maximè in homine, ſi aliundè conſeruaretur in Vacuo, qui liberè in hoc Muſeo, ſi vacuum eſſet, poſſet ſpatiari.

116 *Nec inde ſequitur, quòd debeat moueri in inſtanti, ſed motu ſucceſſiuo, licèt velociſſimè.*

Primò, quia motus quicumque localis corporum eſt eſſentialiter ſucceſſiuus, vt ex 106.

Secundò, licèt quò remiſſius eſt medium, in quo fit

motus corporum, minus impediatur, tamen ſucceſſionem motus localis cauſat etiam diſtantia extremorum, & commenſurabilitas corporis cum ſpatio, quæ non proinde tolleretur etiam ſi ſpatium eſſet Vacuum; vnde fit, quod lapis *v. g.* palmaris demiſſus ab ſurſum, non poſſet in inſtanti moueri deorſum, alioquin ille, entitatis palmaris, eſſet in eodem inſtanti reali præſens ſimul termino ſurſum, & termino deorſum, ergo ſinè replicatione eſſet ſimul præſens ſpatio maiori ſe: clariùs; ſi ſtatueretur in medio ſpatij vacui columna, & proximus columnæ datæ moueretur lapis palmaris, eſſet in eodem inſtanti adæquatè præſens toti columnæ præcisè à quacumque replicatione, quod implicat, moueretur ergo ſucceſſiuè.

Titulus XVI.

Tempus.

Sicut alicubi eſt corpus naturale, ita aliquando eſt, & ſicut repugnat eſſe, & nullibi eſſe, æquè implicat eſſe, & in nullo tempore eſſe; eſt igitur inter paſſiones corporis Tempus.

117 *Deffinitur Tempus Numerus Motus ſecundùm priùs, & poſteriùs*.

Expenditur natura temporis in hac deffinitione, prout in vſu eſt animæ, & humanæ naturæ, nam ſecundùm ſe, eſt duratio ſucceſſiua motus localis; Hac ergo ratione dicitur *numerus*, intellige *numeratus*, hoc eſt partes priores, & poſteriores motus, numeratæ ab anima, quę ſint in ſigna ad alios motus numerandos; *Motus* non cuiuſcumque, ſed motus determinati, inuariati, notioris, communis &c. itaut poſſit eſſe in menſuram dura-

Vrgeo quia, æquè durans ab vno contradictorio ad aliud res durans dum correſpondet huic tempori, cui prius non correſpondebat, ac dum coexiſtit huic loco, & non alteri.

Neque ſufficit coexiſtentia huius temporis v. g. & lapidis; primò, quia ſi non ſit hoc tempus adhuc poteſt lapis durare, vel quia coexiſtat alteri tempori, vel etiam ſoli ſpatio imaginariò; ſecundò, etiam ſi ſit hoc tempus, & lapis anno venturo durat lapis. Efficacius verò de facto eſt tranſeunter, ſeu ſucceſſiuè præteritum, præſens, & futurum, & indifferens eſt lapis, vt ſit hodie, vel cras, ergo eadem indifferentia, quæ tollenda eſt à lapide in ordine ad Locum, tollenda remanet in ordine ad tempus, ergo per formam &c.

Adde, quòd eſſe lapidem hoc tempore eſt duratio realis intrinſeca, ergò à forma intrinſeca, quæ nulla aſſignabilis eſt præter formam durationis dictam; immò volens Deus ab æterno lapidem, & hanc diem futuram ſimul, vult aliquid plus, quàm ſi vellet abſolutè lapidem, & hanc diem futuram, ergo hanc formam durationis. Vel etiam nihil obſtaret, quò minus nulla entitas poſitiua diceretur permanens, quia ſi determinata eſſet ad coexiſtendum tempori per propriam entitatem, entitas per quam res coexiſtit hodierno, erit eſſentialiter diuerſa ab entitate, qua coexiſtit craſtino, quia variato tempore debet variari entitas rei durantis, ergo nulla res dici poſſet permanens; vel ſi per entitatem eandem de facto quælibet entitas permanens peteret eſſentialiter durare tanto tempore, eſſet enim per ſe ipſam determinata ad talem, & tantam durationem, ergo daretur de facto duratio illa indiuiſibilis, de qua non leuis eſt contentio etiam de poſſibili. Præterea, ſi petat Petrus à Deo vt conſeruetur cras, iam non petit ſuam exiſtentiam quam de facto habet, pro qua tenetur gra-

tias agere, non tempus externum, vel quia fortè independenter à precibus Petri eſt futurum, aut quia etiam & craſtinam non exiſtat poteſt adhuc Petrus durare; ergo coexiſtentiam ſuam, ergo talem formam &c. Deniquè ſi annihilet Deus lapidem hodie, non eſt ſola negatio lapidis hodie; quia eadem eſſet ſi lapis nunquam extitiſſet, non tempus, quia hoc non deſtruitur, ergo negatio coexiſtentiæ lapidis cum hodierno, ergo negatio durationis.

Dixi *eſſe formam ſucceſſiuam*, quia magis conformatur ſucceſſioni motus, cui correſpondere debet, & reddere rem permanentem ei melius correſpondentem, & vtrûquè determinat ad coexiſtendum tempori imaginario, non ſecus, ac Vbi corpora vbicata ſpatio imaginario.

119. *Vnde inferas tempus imaginarium eſſe negationes intollibiles durationum realium.*

Facile patet ex 108. ſicut enim ſpatium imaginarium negationes ſupponit permanentes rerum abſolutarum, formaliter tamen conſiſtit in negationibus permanentibus intollibilibus vbicationum realium, quæ imobilitatem loci decernunt, ita tempus imaginarium negationes ſupponit fluxiles rerum abſolutarum à tempore, formaliter verò dici negationes intollibiles durationũ realium, à quibus oriatur inuariabilitas in menſura temporis, itaut ſicuti locus Placentinus eſt hìc, & non alibi, quia in hoc ſigno ſolo ſunt intollibiles quæcũquè negationes aliarum vbicationum præterquam vbicationis Placentinæ, ita hodiernum ſit hoc tempus, & non aliud, quia in hoc ſigno ſolo ſunt intollibiles quæcumquè negationes aliarum durationum, vna excepta negatione hodiernæ durationis.

Et hinc patet, quid ſit rem durare hodie, & non heri, licèt eadem res extiterit etiam heri, videlicet quia hodie tollitur, & eius negatio abſoluta, & tollitur etiam nega-

negatio ſuæ durationis, quæ non tollebatur, immo intollibilis erat heri, quod non facile dabis per connotatum, complexum, formalitatem &c.

Patet etiam quomodo tempus præter tales vbicationes ſucceſſiuas corporis mobilis, quæ ex ſe adeo indifferentes erant ad coexiſtendum huic, vel alteri ſigno, vt poni etiam potuerint ante, vel poſt, dicat etiam talem ſucceſſionem harum vbicationum, quæ ſucceſſio eſt modus ille durationis, qui ſecũdũ prius,& poſterius determinat formaliter partes motus ad coexiſtendum huic tempori imaginario magis, quam alteri, tollendo ſcilicet hanc negationem, quæ non erat aliàs aliter tollibilis.

120 *Poteſt tamen dari creatura ſe ipſa indiuiſibiliter durans, vel etiam duratio indiuiſibilis, v.g. horaria.*

Suadetur primò argumento negatiuo à nõ repugnantia, quod in poſſibilitate rei efficaciſſimum eſt, donec poſitiua eneruetur ratione, contrarium ſuadente: Secundo à paritate, quia non implicat creatura, quæ poſita petat ne alia deſtruatur v. g. per horam, vt patet in modo durationis huius horæ 10. quo ſtante non poteſt annihilari res durans, dato quod ſit volitus hic modus, ergo nec implicabit creatura, vel etiam modus petens indiuiſibiliter non annihilari per horam v.g.; neque enim eſt maior ratio de vna, quam de alia; à ſimili autem exiſtenti arguo poſſibilitatem alterius, quia non tot requiruntur ad poſſibilitatem rei, quot ad exiſtentiam. Tertiò, quia ſi quid obſtare videtur eſt dominium Dei, cui eſſentialiter eſt ſubdita quælibet creatura, ita quod in ſingulis inſtantibus aſſignabilibus ſit deſtruibilis, hoc vero penitus verificaretur de hac creatura, vel modo, etiam eſſentialiter indiuiſibiliter durante per horam, quia in poteſtate diuini iuris eſſet eam ponere,

vel

vel non ponere, ponere in hac, vel in alia hora; immo nullum excogitabile eſt inſtans in quo non poſſit eam annihilare, quia ſicut eam poteſt creare in inſtanti E. horæ vigeſimæ, eamque annihilare in inſtanti F. vigeſimæ primæ, ita poterat eam creare in inſtanti E. vigeſimæ & annihilare in E. vigeſimæ primæ vel in D. vigeſimæ, & in D. vigeſimæ primæ, ſicque de alijs; quòd verò eam non poſſet deſtruere Deus in inſtantibus intermedijs ſuppoſito, quòd creauerit v. g. in A. non violat diuinam ius magis quàm, quòd non poſſit annihilari Angelus, vel in inſtanti quo creatur; quia in hac creatura fieri, conſeruari, & durare eſſet indiuiſibiliter idem, vel in æternitate à parte poſt ſuppoſito decreto de eius conſeruatione; vel etiam modus durationis hodiernæ, ſi ſemel ſit volitus. Æquè ergo liberè penderet à Deo creatura, vel modus indiuiſibilis in primo, ac in reliquis inſtantibus horæ; ergo &c.

Titulus XVII.

Infinitum.

SPecies continui eſt infinitum ſiue in extenſione ſit, ſiue in intenſione, in qualitate; aut in quantitate, ita quòd infinitum careat fine poſitiuè per partes infinitas, quas contineat.

121 *Infinitum dicunt id, cuius ſecundum quantitatem accipientibus ſemper aliquid accipere eſt extra.* *Secundum quantitatem*; ſiue molis, aut diſcreta ſit, aut continua, aut permanens, aut ſucceſſiua; ſiue perfectionis: extenſiua ſit, aut intenſiua, accidentalis, aut eſſentialis. *Accipientibus* per realem deſignationem, vel intentionalem. *Semper aliquid eſt extra accipere.* Quia exhau-

exhauriri nequit, quod infinitum eſt finita partium acceptione, iuxta quod verum, quod quantumuis partium finitarum dematur ab infinito ſemper aliquid extra remanet accipiendum.

Partes autem ab infinito acceptibiles ſicut etiam infiniti conſtitutiuæ, non ſunt quæcumquè partium ſpecies, ſed debent eſſe primò æquales, vel maiores vna certa v. g. palmari (de quantitatiuo exemplifico, & diſcurro, ſu ſenſibiliori ab hoc proportionaliter tranſi ad alia) Secundò adæquatè inter ſe contradiſtinctæ, ſeu non communicantes, vt palmus à palmo. Tertiò aliquotæ, non aliquantæ, hoc eſt talis ſunt entitatis, quod ſæpius, & etiam infinities replicatæ, aptæ ſint adæquare totum cuius ſunt partes, ſic palmus ligni ſi infinities replicetur, infinitum lignum adęquabit; & hinc eſt quod dicatur infinitum incommenſurabile, inconſumptibile, innumerabile, tempore finito non cognoſcibile ſucceſſiuè, inæquabile, ſeu quod non poſſit ęquari, æqualitate quidem propria, ſecundum quam ità aliquod infinitum adæquat, vt nec excedat, nec excedatur; quod proprium eſt rerum finitarum, & determinatis terminis incluſarum, & tandem interminabile.

122 *Hinc oritur prima diuiſio infiniti in cathegorematicum, & ſyncathegorematicum.*

Cathegorematicum cuius ſint actu infinitæ partes determinatæ aliquotæ iam dictæ, nullo clauſæ termino; ſyncathegorematicum, cuius aliquæ partes ſint actu, aliæ vero in potentia, ita tamen vt eius partes ſint actu ſemper terminatæ, ſiue poſſint, quæ ſunt in potentia, eſſe omnes ſimul actu, vt infinitus numerus Lapidum vel ſolum ſucceſſiuè, vt infiniti dies à parte poſt; æquè enim vtrumquè dici poſſe ſyncathegorematicum exiſtimo aut velis ſyncathegorematicum dicere vtramquè collectionem partium eam ſcilicet, quæ exiſtit, &

eam etiam, quæ eſt in potentia, aut velis intelligi ſolam collectionem exiſtentium, ſemper enim ſuo non carent diſcrimine hæc infinita.

123 *Dantur de facto aliqua infinita tum cathegorematica, tum ſyncathegorematicè, quæ tamen niſi latè infinita dicuntur.*

Probatur aſſignando infinita, quæ aſſeruntur; Primò, in partibus proportionalibus in quas poteſt diuidi quodlibet continuum, quæ in ordine ad diſtinctionem ſunt actu infinitæ; in ordine ad diuiſionem partim ſunt actu, partim in potentia, immò repugnat omnes eſſe actu, vt ex 99, & 100. quo ad numerum patet in cogitationibus animarum noſtrarum, & Angelorum à parte poſt, in creaturis poſſibilibus, quarum non tot, quin plures dari poſſint. Secundò, in partibus iiſdem proportionalibus, quo ad numerum, in indiuiſibilibus tum continuatiuis, tum terminatiuis, vt ex 99, & 101. Tertiò, in negationibus, quæ de facto ſunt in rerum natura, in quibus de facto negantur infinita entia ſyncathegorematicè ſaltem poſſibilia, quæ eſſe infinita habes ex 35.

Rigorosè tamen non dicuntur infinita; primum, quia potius eſt diſſolutio, quam continuatio infiniti. Secundum, quia non ſunt infinita indiuiſibilia apta facere aliquod maius, vt ex 98. non etiam cogitationes, & volitiones futuræ, quæ non omnes poni poſſunt ſimul, non denique creaturæ poſſibiles, quæ non omnes ſimul poni queunt, licet an infinitæ, de quo poſteà: Non deniquè tertiũ, quia infinitæ negationes non ſunt non ſolum Infinitum ens, ſed potius non exiſtentia, ſeu etiam abſentia entis infiniti.

124 *Creaturæ poſſibiles ſunt cathegorematicè infinitæ.*

Dixi creaturas poſſibiles eſſe cathegorematicè infi-

nitas, non verò eſſe poſſibiles cathegorematicè Infinitas, quia in ſtatu puræ poſſibilitatis, ſunt infinitæ cathegorematicè ſaltem quo ad numerum, non ſunt autem poſſibiles omnes ſaltem pro ſtatu actuali, licet enim nunc creaturæ poſſibiles ſint cathegorematicæ infinitæ tamen non poſſunt poni ſimul omnes nunc, quæ ſunt nunc poſſibiles, an verò infinita collectio ex his, quæ de facto ſunt poſſibiles concluſ. ſeq.

Non implicant creaturæ poſſibiles etiam cathegorematicè infinitæ, nullum apparet motiuum, aut vel leuis ratio ſuadens tantum eſſe numerum creaturarum poſſibilium, & non maiorē, quod ſi alterum aſſignes, peto cur hunc, & non maiorem; & ſic in infinitum. Præterea ſunt creaturæ poſſibiles obiectum adequatum Diuinæ Omnipotentiæ, ergo ſicut hæc eſt virtus productiua infinita, ergo terminus producibilis erit infinitus ſaltem ſyncathegorematicè, ergo creaturæ poſſibiles infinitæ, connexa enim adeo eſt virtus cauſæ ad effectus poſſibiles, quod vno, vel altero repugnante deſſiceret aliquod intrinſecum in cauſa, ergò non eſſet vltra ea cauſa, vt ex 44. Vltimò Angeli, & Animæ noſtræ à parte poſt infinitas elicituræ ſunt cognitiones, ergo hæ infinitæ creaturæ ſunt poſſibiles, ergo aliquis numerus infinitus creaturarum eſt poſſibilis, maiorem itaquè da rationem de vno, quæ non vrgeat de altero.

An verò integra aliqua collectio infinita ex his ſit poſſibilis cathegorematicè; an non, efficaciter ſatis conuinci non poteſt; Claritatis ergo diſtinguo duas ſeries creaturarum poſſibilium, alteram eas creaturas complectentem, quæ vel ſunt inter ſe vnibiles continuatiuè, ſaltem diuinitùs, vel connexionem dicunt cum pluribus continuabilibus, itaut in ſe, aut in annexo inferre poſſint creaturam vnam actu infinitam, vt ſunt exca. infiniti lapides, vel infinitæ animæ rationales; alte-

ram

ram eas creaturas continentem, quæ vnibiles non ſunt in ſe, aut in annexo, cuiuſmodi ſunt v. g. infiniti Angeli.

125 *Probabile eſt repugnare collectionem infinitam earum creaturarum, quæ ordinatæ ſint, vel ordinabiles, vel exigitiuæ ſint aliarum ordinabilium ad conſtituendum creaturam aliquam vnam actu infinitam ſiue in mole intenſiua, ſiue extenſiua, ſucceſſiua, vel permanente, vel aliqua alia ratione; & à fortiori creaturam quamcumque vnam actu infinitam modo dicto.*

Excipe hinc collectionem infinitam indiuiſibilium, quæ dixi ſupra dari actu. Partes item proportionales cuiuslibet continui vel ſucceſſiui, vel permanentis. Tertiò numerus infinitus Angelorum.

Probabilitas huius aſſerti ſuadetur primò, quia vnica cum infinitate ſoli enti independenti; atque adeò diuino eſt propria, ergo alteri cuicumque rationi entis incommunicabilis, ergo repugnabit, vel creatura, quæ ſit actu vna infinita, vel collectio quæcumque dicens creaturas modo dicto ordinabiles, vel in ſe, vel in annexo ad aliquod vnum actu conſtituendum; Antecedens ſuadetur, quia infinitas vna, vel vnitas infinita creaturæ communicata non eſſet vera propria diuini eſſe; Adde, quod videtur non niſi à principio ſibi proportionato poſſe oriri, hoc eſt ab eſſe independenti, ergo videtur, quod incommunicabilis remaneat creaturæ, quæ eſſentialiter eſt ens dependens.

Secundò, quia videretur ſequi creatura, quæ nullam certa haberet eſſentiam, ablatis enim plurimis partibus ab infinito, in quibus ſtat eius eſſentia, adhuc remaneret, ergo eſſet eſſentia, quæ conſtitueretur per tales partes, & non conſtitueretur, cum remaneret ipſis exemptis.

Tertiò,

Tertiò, in particulari duæ lineæ coeuntes in Angulum in A, ex aduerſo verò tendentibus in infinitum debe-rent claudere ſpatium infinitum, quia quo magis pro-trahuntur lineæ, maius claudunt ſpatium, ergo pro-tractæ in Infinitum, ſpatium Infinitum; non clauderent verò, quia primò Infinitum terminatum repugnat; ſecundò, quia in dictis lineis nullum eſt aſſignabile, quod ſit infinitum, non quod proximum eſt angulo, quia fi-nitè ſolum ſuperat angulum, non quod magis diſtat, quia finitè ſolum excedit primum, & ſic in infinitum, quod autem finitè diſtat à finito non eſt infinitum; immò ſi eædem protrahantur etiam ad angulos ſe ſecan-tes in infinitum, magis vrgere videtur hoc argumen-tum.

Quartò, corpus aliquod infinitum, vel etiam infinita corpora vnibilia non penetrata, deberent occupare ſpatium infinitum, ergo vel tale, vt nihil addi poſſit, vel tale, quod addi poſſit ſaltem v. g. palmus, non illud, quia terminos haberet quod infinito repugnat, tot enim partes haberet, tantum occuparet ſpatium, non maius &c. non hoc, quia ſi addi poſſet, poſſet etiam demi aliquod, & ſi hoc, & dematur palmus remaneret Infi-nitum, quia non deſtruitur hoc, ex eo, quod tollatur pars finita, nec remaneret, quia nō occuparet omne ſpa-tium, quod poſſet ablato palmo. Ratione autem exi-gentiæ ſpatij infiniti, repugnat etiam corpus infinitum penetratum, ſicut etiam corpora infinita penetrata.

Quintò, infinitum in ſucceſſione eſſe non poſſet, quia eſſet tempus v. g. ab æterno, tùm verò eſſet infinitum, & non eſſet, & videtur ſuaderi, eſſet enim, quia conti-neret infinitas horas; non eſſet, quia non contineret, ſiquidem ſi diuidatur, vel deſignet Deus in tempore in-finito duas medietates, vtraquè infinita debet eſſe, quia duæ medietates finitæ non faciunt totum infinitum;

Secun-

Secu:da verò non poſſet eſſe infinita, quia non fuit ab æterno, & terminum haberet, primum vbi deſignaretur à Deo, ſecundum vbi deſineret in tempore, quæ eſſet v.g. hora 20. hodierna.

Præterea videns Deus totam hanc collectionem horarum, aut videret omnes horas huius collectionis distributiuè, habere ante ſe aliam, quæ ſit ex his, aut videret vnam omnibus priorem, ſi dicas primum, ergo nulla ex his eſt, quæ aliam priorem ex his non habeat, ergo mutua prioritate ſe reſpiciunt, quod repugnat abſolutè, vt ex 53. & repugnat ſucceſſioni tempori, quæ eſſentialiter vnam altera petit priorē ex partibus tempori, vt in 117, ſi dicas ſecundum, ergo das horam omnibus priorem, ergo à qua incipit tempus, ergo infinitum terminatum.

Sextò, in intenſione, quæ ſi ſit infinita, infinitam ſupponit qualitatem, hæc infinitum, ſubiectum, hoc verò non videtur poſſibile, vt mox, ergo &c.

Septimò, in qualitatibus, & virtutibus motiuis, & operatiuis, quia repugnat naturaliter infinitum, ergo ſupernaturaliter in illis, anti. non habet dubium, conſequentiam ſuadeo, quia virtus infinita motiua exigeret naturaliter motum infinitum, virtus operatiua infinita infinitum effectum, v.g. infinitus ignis, infinitum terminum producibilem naturaliter; quod extendi poteſt etiam ad alia quæcumquè genera enti creati infiniti.

126 *Poſſibile eſt etiam poſſe creari huiuſmodi creaturam vnam actu infinitam, vel dictam collectionem ordinabilem, vel exigentem infinita ordinabilia ad integrandum vnum actu infinitum.*

Suadetur primò argumento negatiuo, non implicat, quod non facilè eneruatur allatis argumentis, vel etiam alijs, ſi quæ ſunt, licet illæſum omnino non pugnet pro hac concluſione. Secundò, quia non omnis infinitas

debetur

dicetur diuino eſſe, aut ſupponit principium independens, ſed ea ſola, quæ vnumquodque complectitur infinitatis genus; hæc verò eſſet infinitas participata, & dependens, in quò non facilè oſtendes latere contradictionem. Tertiò, eſſentia Infiniti non eſt habere has partes abſolutè determinatas; itaut eius eſſentia conſiſtat in his partibus infinitis, ſed dicit partes, vt ſic infinitas, ſiue hæ, ſiue illæ, per quod contradiſtinguitur à finito, quod has partes determinatas neceſſariò exigit. Quartò, quod Infinitum non poſſit creari figuratum, cum hac, vel illa diſpoſitione, vel deſignatione, quam cogitas, & deſcribis varijs in caſibus non tollit poſſibilitatem infiniti creati, ſed huius, vel illius Infiniti; Quare licèt diceretur implicare homo volans, non per hoc diceretur abſolutè repugnare homo. Singula perpende.

127 Poteſt tamen abſolutè creari multitudo infinita rerum non ordinabilium, vel non exigentium alia ordinabilia ad aliquod vnum actu infinitum, putà infinita multitudo Angelorum.

Patet, quià nulla hic apparet implicantia, neque aliqua obſtat ex aſſignatis: illæſa remanet diuina perfectio, quià infinitas non videtur repugnare abſolutè cum eſſe creato, & dependenti, ſed ratione vnitatis; nihil datur creaturæ, quod eius limitatam perfectionem ſuperet, ſinguli enim huius collectionis infinitæ eſſent entitatiuè finiti, ergò.

128 Implicat abſolutè Infinitum in quacumque mole terminatum.

Contradicit enim cum natura, & eſſentia, quam concipimus communiter in Infinito, de quo contendimus, quod eſſentialiter dicit carere termino, non ſolum negatiuè, ſed etiam poſitiuè, quia habet partes actu infinitas, quarum vltima non ſit aſſignabilis, vt ex 121. hoc

autem imperceptibile penitus eſt cum eſſe terminato. Detur prætereà linea aliqua infinita terminata, ſi poſſibilis eſt, & diuidatur in duas medietates; quod æquè fieri poterit, cum dari poſſit determinatum, vbi ſunt termini; aut ergò ambæ erunt finitæ, & hoc non, quià finitum additum finito non facit infinitum; aut infinitæ, & peto iterum diuidi ambas, has rurſus in alias medietates, & tandem in infinitas medietates, ergò ſingulæ erunt infinitæ, & finitæ; finitæ, quià aliàs medietates omnes infinitæ non eſſent diuiſæ in medietates; infinitæ, quià finitum cum finito non facit Infinitum, ſecus verò ſi non ſit Infinitum limitatum, cuius medietates repugnat aſſignari. Vel etiam detur ſuperficies v. g. palmaris infinita terminata, & ab angulo ad angulum oppoſitum ducatur recta, quæ binos angulos acutos efformet, ſequitur quòd ſit ſuperficies palmaris finita, & infinita; finita, quià non niſi palmaris eſt, Infinita, quià duæ rectæ facientes angulum in aliquo ſigno, quò magis protrahuntur, eò magis diſtant, ergò ſi protrahantur in infinitum, vt in dicta ſuperficie, infinitè debent diſtare, ergò duo extrema lateralia ſuperficiei palmaris infinitè deberent diſtare; quod clariùs cernitur, ſi in datis lineis datæ ſuperficiei ad ſingulos palmos ducantur lineæ mediæ, quià ſecunda deberet diſtare, & excedere primam per palmum, ſecundam per duos palmos, ſicque in Infinitum.

Tandem conſequentia doctrinæ petit, quòd ſi poſſit continuum permanens eſſe Infinitum, poſſit etiam ſucceſſiuum, ergò in tempore infinito, quod eſſet ab æterno poſſet aſſignari primus terminus, v. g. prima hora.

129 *Implicaret etiam Infinitum in perfectione creatum, ſeu creatum Infinitum in eſſentia.*

Patet, quià infinitas eſſentiæ dicit abſolutè independentiam, quod enim ab alio habet eſſe, caret hac perfectio-

ſectione, quod eſt habere eſſe à ſe ergo repugnat eſſentialiter Infinitum in eſſentia creatum; & hic puto non deſtitui ſua vi, immò ſummè vrgere argumentum primum concl. 125. dicit etiam eſſentia infinita prædicatum exiſtentiæ; ergò non poſſet eſſe creatura, quia contingens eſt; dicit præterea quælibet eſſentia creata poſſe communicari pluribus indiuiduis ſaltem, vel ſpeciebus, quod potentialitatem aliquam arguit, quod eſſentiæ infinitè perfectæ repugnat.

130 *Repugnat creatura perfecta adeò, vel imperfecta, qua perfectiorem, vel imperfectiorem in eſſentia creare non poſſit Deus.*

Sequitur ex præcedenti, & ex 124. nulla conuincens ratio, ſupremum, & infinitum terminum aſſignat diuinæ omnipotentiæ: Poſitiuè, quæuis creatura infinitè diſtat à Deo, ergò quæuis aſſignetur, creatura cum ſit, infinitè diſtabit, ergo poſſibilis erit perfectior inter ipſā, & Deum, & ſic in infinitum, ergò cum à qualibet creatura ad Deum dari poſſit acceſſus in Infinitum per perfectiores, & perfectiores eſſentias, perfectiſſima omniū repugnabit; idem è contrario conuincitur, nulla creatura imperfecta adeò eſt, inter quam non poſſit dari receſſus à Deo in Infinitum per gradus imperfectiores, & imperfectiores in Infinitum, ergo nunquam dabilis eſt creatura imperfectiſſima. Inſuper potentia diuina perfectiſſima eſt, ergò petit, vt eius obiectum perfectum ità ſit, quòd perfectius, & perfectius aſſignari poſſit in infinitum, & è contrà, alioquin obiecto conformaretur, ergò limitata eſſet, vt ex 44. citata. Tandem efficaciſſimè (quod etiam conuincit creaturas poſſibiles cathegorematicè infinitas) quælibet creatura eſt eſſentialiter participatio diuini eſſe, & diuinarum perfectionum, ſed perfectiones diuinæ participabiles ſunt infinitæ, ergo abſolutè creaturæ producibiles ſunt infinitæ,

ſunt verò communicabiles tum ſingulæ, tum plures ſimul; ergò infinitæ ſunt combinationes, quibus communicari poſſunt in creaturis, ergò nulla eſt excogitabilis combinatio communicabilis diuinæ perfectionis, quæ perfectior, vel imperfectior fieri non poſſit; quod vides præſertim in cauſis etiam creatis, quæ quo imperfectiores, imperfectiorem producunt effectum; quo perfectiores perfectiorem, ergo perfectiſſima perfectiorem, & perfectiorem, ergo nunquam perfectiſſimum, vel imperfectiſſimum.

SECVNDA PARS PHYSICÆ.

A Corpore naturali in communi tranſeo ad particularia corporum genera, & incorruptibile cæteris præpono, quod eſt Cælum; ago verò de Mundo, quià congruens eſt, cum ſit Cælum veluti vltimum complectens vniuerſum.

Titulus Primus.

Mundus.

131 *MVndi, ſeu Vniuerſi nomine intelligimus compaginem è cælo terraque coagmentatam, atque ex ijs, quæ intra ea continentur.*

Compræhendit hoc Vniuerſum entia omnia corporea à Cælo infrà incluſiuè, corruptibilia, & incorruptibilia, ſi quæ ſunt, ſucceſſiua, permanentia, ſubſtantialia, accidentalia, &c. eorumque originem, & finem in præſenti, quatenus veniunt ſub hoc nomine Mundi, & Vniuerſi.

132 *Mun-*

132 *Mundus hic non fuit ab æterno, ſicut nunc eſt, ſed creatus à Deo fuit in tempore.*

Authoritati ſacræ Paginę, P.P., Conciliorum, Theologorum, & Philoſophorum, accedit naturalis ratio, quia Mundus in his entium circumſtantijs, & varietatibus ſubſiſtere non poteſt cum æternitate, tanta enim rerum ſucceſſio, & mutabilitas, immutabilitati, & permanentiæ in rebus æternis neceſſariò requiſitæ non congruit. Adde quòd hic Mundus, qui de facto eſt duo entium genera compræhendit, quorum aliqua ſunt, nempe ſucceſſiua, quæ abſolutè ab æterno repugnant, vt concl. 136. Res prætereà permanentes de facto durant duratione diſtincta ſucceſſiua, vt ex 118.

Addè, quòd continua experientia cernimus fieri; alluuione paulatim imminui, & conſummi montes, attolli valles, & planicies, vndè pleraquè, quæ in ipſa terræ ſuperficie nuper erant, ſepulta deperduntur, & Roma ſub Roma iacet; habemus inſuper prima artium, Ciuitatum, & Regnorum exordia, ergo rationabile non eſt Mundum ab æterno aſſerere, ad hanc enim diem abſumpti eſſent montes, & in equora redacti, & ſi ab æterno exiſtit, haberi prima rerum principia quomodo poſſunt in tempore? Humana etiam corpora, eorumquè temperies ab initio hactenus eo deteriori datæ ſunt conditioni, vt ſi ab æterno extitiſſet humana generatio, in nihilum penè hodie deffeciſſet.

133 *Inferas ex hoc, nec ob eaſdem rationes eſſe in ijs circumſtantijs à parte poſt duraturum.*

Non leuiter ergo deceptus eſt Phyloſophus Mundum hunc aſſerens ab æterno productum; nec leuius errant, qui Ariſtotelem in hac etiam parte conantur à noxa vindicare, adeò in eum religioſi (vt inquit Ambroſius) quòd congruentius putent Moyſen Ariſtoteli accomodare, quàm Ariſtotelem negare, & regulam faciant Scripturæ Ariſtotelis verba.

134 *Potuit Mundus eſſe ab æterno quo ad entia permanentia, ſi duraſſet duratione indiuiſibili, vel permanenti, ſeu potuit creatura permanens eſſe ab æterno.*

Dixi ſi duraſſent *duratione indiuiſibili, vel permanenti*, ob rationem indicatam ſuprà; & exhibendam infrà: Non repugnat autem huiuſmodi duratio, vt ex 120.

Apud me indubitata eſt hæc concluſio, qui in huiuſcemodi theorematibus plurimi facio argumentum negatiuum Non implicat, & non eſt ratio conuincens oppoſitum, ergo &c. Hoc oſtendam Argumenti; illud reduco ad praxim; non implicat ex parte cauſæ Primæ, ſeu ex parte Dei, quia idem ab æterno eſt, ac in tempore, ergo quod nunc poteſt, poteſt ab æterno; non ex parte durationis, vt oſtendi; non ex parte creationis, quia de ſe dicit ſolùm fieri rei ex nihilo ſubiecti, vt in 61: non tandem ex parte termini, ſeu creaturæ permanentis; vel enim vt ens, in quo vniuocè conuenit cum Deo, vt dabo concluſione Metaphyſica, & non, quia non contradicit ratio entis cum æternitate in Deo; vel vt creatum, & neque, quia creatum formaliter connotat præcisè cauſam, à qua in priori naturæ determinetur ad eſſe per veram efficientiam independentem à ſubiecto, ſiue fiat in tempore, ſiue ab æterno; neque enim connotat tanquam terminum à quo tranſeat, & ſub quo in aliquo priori fuerit non eſſe, vt falſo ſupponunt aliqui, niſi fiat in tempore.

135 *Non tamen potuit Mundus eſſe ab æterno quo ad entia ſucceſſiua, ſeu implicat ens ſucceſſiuum quodcumque ab æterno.*

Non moueor ad hanc concluſionem ex eo, quod inferatur ſtatim creatura vita actu infinita, quia ab æterno ad hoc inſtans eſſent actu ſuo modo infinitæ partes æquales eiuſdem entis ſucceſſiui; puto enim conuinci non

poſſe contradictionem in creatura vna actu infinita, licèt valdè ſit probabile nobis non innoteſcere, vt vides in argumentis, pro vtraque parte pugnantibus conclus. 125. & 126. ſed eam ſatis efficaciter deduco,

Primò, quià æternitas ex ſe eſt duratio inſtantanea realiter, & formaliter indiuiſibilis, petens eſſentialiter anteuertere omne tempus, vt innui etiam concluſ. 117. ergò infert implicare quodlibet tempus illi correſpondens, ergo etiam quodlibet aliud ens ſucceſſiuum, ergo contradicit ſucceſſiuum quodlibet ab æterno; ant. eſt eſſentia æternitatis; primum conſequens ſequitur ex antecedenti, ſecundum patet, quia quæ militant de vno militant de omnibus, cum eiuſdem ſint naturæ. Secundò, & fortius, quià quodcumque ens ſucceſſiuum dicit eſſentialiter prius, & poſterius, hoc verò implicat cum æternitate, & oſtendo, æternitas eſt tota ſimul, & ſemper eſt tota ſimul; prius, & poſterius dicit eſſentialiter non ſemper eſſe, & non eſſe ſimul totum, vt patet, ergo ſimul eſſe, & ſemper eſſe, ſeu quod idem eſt eſſe ab æterno repugnat eſſentialiter cuilibet enti ſucceſſiuo. Tertiò, ens ſucceſſiuum ab æterno, ab æterno eſſet, & non eſſet; eſſet, quia vis dari poſſe; non eſſet, quia dicit partes priores, & poſteriores, ergo vt ſit ab æterno dicit partes priores, & poſteriores ab æterno, ſed poſteriores non eſſent; & probatur, quia poſteriores ſupponerent antè ſe eſſentialiter partes priores, quod verò habet aliud ante ſe realiter, ab æterno non eſt, ergo &c. immò nec partes priores ab æterno eſſent, quia in inſtanti reali æternitatis, quo dicis eſſent, corrumperentur; ſunt etiam ſucceſſiuæ, & quod ab æterno eſt, debet pro inſtanti æternitatis, quo eſt, eſſe, ergo non eſſent, ergo ens ſucceſſiuum nullam partem ſui haberet ab æterno, ergo ab æterno eſſet, & non eſſet. Totum enim non eſt, niſi per partes; quod idem argumentum

conficio de qualibet parte determinata aſſignabili priori, aut poſteriori.

Confirmatur poteſt, quia implicat infinitum terminatum, vt ex 128. ergo Mundus ab æterno quo ad ens ſucceſſiuum; prob. conſeq. demus Solem, & Lunam ab æterno moueri, Sol ea moueatur velocitate, quòd dum vnam conficit, Luna duodecim circulationes conficiat, ergo Luna cõfeciſſet hodie infinitas circulationes duodecies plures, quàm Sol, ergo aliquando Luna perueniſſet ad tantam multitudinem ſuarum reuolutionum, quanta eſt reuolutionum Solis, non enim potuiſſet peruenire ad maiorem, niſi tranſeundo per æqualem multitudinem, tum ſic; aſſignabilis eſt ea reuolutio, qua reuolutiones Lunæ adæquant reuolutiones Solis, ab ea ergo ad hodiernam intercipiuntur infinitæ reuolutiones Lunares; ſunt enim duodecies plures reuolutionibus Solis, ergo infinita eſſet, & terminata, ergo &c. quod idem vrget in duobus mobilibus, quorum vnum duplo velocius altero moueatur.

136 *Vnde habes repugnare ab æterno ſucceſſiuam rerum permanentium productionem, ſeu, vt aiunt, generationum ſeriem, & rem quamcumquè permanentem ſucceſſiuè producibilem.*

Quamuis enim non contradicant ab æterno res permanentes, quantum ex ſe eſt, contradicunt tamen ratione ſucceſſionis, quæ eſſentialiter dicit prius, & poſterius. Confirmatur tamen præterea, quia ſit v. g. ſeries generationum humanarum non poſſet eſſe, quin aliquis ſaltem eſſet à Deo productus, & non eſſet ab alio homine genitus, non enim eſt ens à ſe, vel eſſe poteſt per mutuam cauſalitatem; ergo inter illius creationem, & huius generationem, vel aliqua inter eſt duratio realis, vel non; ſi non, ergo erit ſimultas generationum non ſeries; ſi ſic, vel ergo fuit tota æternitas, & iam homo geni-

genitus non eſt ab æterno, eſt enim tranſacta æternitate, vel aliquod inſtans reale temporis, & propterea neque eſt ab æterno homo genitus, ergo hominem creatum ante ſe per prius reale exiſtens ſupponeret, ergo nõ eſſet ab æterno. Vrget etiam, quòd aſſignabilis eſſet prior homo, videlicet creatus, & vltimus genitus v. g. hodie, ergo infinitum terminatum, immò primum in infinita ſucceſſione, quod implicat, vt iam. Idem meditare in qualitate, quæ ſucceſſiuè produceretur, vel poſſet eſſentialiter ſucceſſiuè produci.

Titulus II.

Cælum.

EST Cælum vltimum, ſeu ſupremum ex corporibus creatis nullo concluſum corpore, cætera complectens, inter ſimplices eſſentias à Peripateticis enumeratum; vnde ſolet dici quinta eſſentia Peripatetica, eius naturam, paſſiones, & ſyſtemata, breuibus quibus ſolet, & poteſt congruentijs dabo.

137 *Poteſt dari corpus ſimplex non compoſitum ex materia, & forma phyſica.*

Addidi *non compoſitum ex materia, & forma phyſica,* vt contradiſtinguerem non compoſitum ex materia, & forma à non mixto ex elementis.

Suadetur propoſitio ex eo, quòd nullam videatur fundare contradictionem ſi daretur, ergo poſſibile eſt.

138 *Probabilius videtur non eſſe Cælum huiuſmodi corpus ſimplex.*

Probabilius inquã non certius, quia leuiſſimo vtrinquè certamus ratiocinio, non pauci verò faciendum argumentum negatiuum, ſcilicet non apparet ſufficiens

ratio

ratio ſuadens talem de facto ſimplicitatem in Cælo, cum omnia de illius ſimplicitate, verificentur de non mixtione; quia talis ſimplicitas eſt perfectio ſuper cæteras rerum corporearum de facto exiſtentium naturas, quæ non debet facile concedi in Cælo, niſi congruenti moueamur fundamento, quod non oſtenditur.

Hic porrò philoſophandi vſus eſt, quòd à nobis notis ignota arguamus paritate rationis, vbi non eſt, quod oppoſitum conuincat, ſed in hac materia nihil clariùs, quàm à paritate rationis cæleſtia corpora eſſe compoſita, nihil efficaciter ſaltem ſuadet oppoſitum, ergo &c. quæ verò contrarium ſuadere poſſunt, aut ſunt, quia Cælum incorruptibile ſit, ideoque carere debeat partibus, in quas queat diſſolui, aut quia nullæ cernantur in Cælo tranſmutationes ſubſtantiales, ſed adeò incertum vtrumquè, quòd nullius momenti rem faciant; & quoad primum, quia de Cæli incorruptibilitate non conſtat, & poteſt in aliud refundi, vt infrà; Secundum verò, quia non adeo certum eſt non tranſmutari ſubſtantialiter corpora cæleſtia; Congruentius præterea eſt authoritati tum Scripturarum, & Patrum, tum Philoſophi, ergo &c.

Confirm. quia vnumquodque ſenſibile tale eſt per materiam, motus item phyſicus, cæterçque phyſicæ affectiones, quid inferunt niſi materiam, ergo dictam compoſitionem? videretur præterea fruſtrari natura ſuo fine in quantitate cæleſti, primariò enim eam intendit natura vt impenetrabilia reddantur corpora, ac proinde difficiliùs vincantur à contrario; Si verò eſſet ſimplex ſubſtantia Cæli careret contrario, ex hoc ergo capite defraudaretur natura euidenter.

139 *Dicendum ergo videtur Cælum componi ex materia eiuſdem penitus rationis cum materia ſublunarium.*

Si non eſt corpus ſimplex, ſed compoſitum, ergo ex

tali materia; conſequentiam habes ex 15. materia enim cuiuſcumque alterius rationis eſt impoſſibilis; nihil præter ea mouet diuerſam materiam conſtituere, ergo &c.

140 *Probabiliter tamen ſuſtineri poteſt Cæli incorruptibilitas.*

Primò, quia licet compoſitum ex ſublunari materia, probabile tamen eſt conſtitutum eſſe ex forma carente contrario; vel etiam indiſſolubili nexu vnionis, vel etiam extrinſecè ex eo, quòd non detur cauſa ſufficiens corrumpere eius formam, vel vnionem diſſoluere; non enim ex ſublunaribus, quæ à cæleſtibus conſeruantur; aut etiam ex ipſis cæleſtibus, quæ non niſi accidentaliter fortaſſis differunt; & ſi corrumpi ab alio horum poteſt, cur non adhuc corruptum ſaltem ſecūdùm partem? & ſi non corruptum, ergo quia intrinſeca quapiam reſiſtentia ſit prædi um actiua, aut formali, qua contrarij actiuitatem deludat.

141 *Eſt igitur ſubſtantia Cæli quinta, & ſimplex eſſentia ab elementis contradiſtincta.*

Arguitur à poſteriori ex motu ſimplici circulari, quo mouetur corpus cæleſte, qui non niſi corpori ſimplici debetur naturaliter, quodcumque enim mixtum, naturaliter mouetur motu prædominantis elementi, ſi igitur naturæ alicuius ex elementis eſſet, vel ex aliquo ad prædominium mixtum eſſet, eius naturam ſequeretur in motu; aptè igitur hinc dicitur quinta eſſentia ſimplex Peripatetica.

142 *Forma Cæli non eſt anima aliqua informans, ſed eſt forma ſubſtantialis inanima diuerſæ, & excellentioris naturæ.*

Colligitur ex eo, quòd corpora cætera animata ea diſtinguuntur organorum excellentia, & diuerſitate, quâ apta ſint diuerſis animæ muneribus famulari, vt vix ex-

cogi-

cogitari queat, qua animetur forma Cælum, in quo nulla apparet ſufficiens organizatio; Animari etiam quis dicat, cum nec nutriri, nec ſentire, nec ratiocinari vnquàm conſtiterit? & à poſteriori vrgentius, quià ſi ſubſtantialia ſunt compoſita, aliquam per formam in ſpecie ſubſtantiali ſunt conſtituta, hæc verò neque eſt elemẽtaris, nec viuens, remanet ergo quod diuerſę ab eis naturæ, & quidditatis ſit; excellentioris etiã, quia vniuerſaliores ſunt, & eminentialiores cauſæ cæleſtes; hæc forma incorruptibilis etiam eſt, quod nulli inanimatæ competit formæ, niſi fortè cæleſti.

143 *Probabile eſt cæleſtium corporum ſubſtantiam eſſe ſolidam.*

Videtur inferri ex ſacra Pagina Iob 37. Iſaiæ 12. pſalmi 32. Apoſt. ad Hæbreos 4. & alibi ſæpe, & præſertim ex Pſalmo 148. vbi aquæ, quæ ſuper Cælos ſunt inuitantur laudare nomen Domini. Non leuis præterea percipi deberet ſonitus accurrentibus, & diſcurrentibus aſtris, per ſubſtantiam illam fluidam, & corpoream. Videtur etiam conformius Diuinæ Sapientiæ ſolidos condidiſſe Cælos, quæ ſummè in eorum artificio elucet; tandem efficaciùs, quia omnia aptè ſaluari poſſunt, quæ de motibus, aſpectibus, paralaxibus, & influxibus dici poſſunt.

Quod non ægrè cernes in Syſtemate Ptolemaico, ſeu etiam Ariſtotelico vndecim ſtatuente Cęlos, vel in mixto ſtatuente Lunam Planetam incomitatum circa terram, Solem præterea circa terram, & Saturnum, ſed circa Saturnum, tanquam circa centrum Mediceas, & circa Iouem alios quattuor Planetas, cætera enim Syſtemata, aut nullius, aut parui, aut etiam odioſi ſunt momenti.

144 *Probabilius tamen liquida eſſe ſubſtantiæ corpora cæleſtia.*

Fluidæ dixi *ſubſtantiæ*, ſed non omnes, Empireum ſiqui-

ſiquidem, & Aplanem ſolidioris eſſe ſubſtantiæ, quo reguntur maximè aſtra fixa probabilius eſt; Planetarium fluidioris, per quam mouentur diuerſis tot motibus ſydera errantia.

Maior probabilitas huius concluſionis ſupra præcedentem colligitur ex Scripturis, deducitur ex ratione, quia ad motum Cæli moueretur Planeta, ſecum enim traheret corpus Planetæ Cælum ſi ſolidum eſſet, vt de facto aſſerunt Fautores oppoſitæ ſententiæ; verùm immoto Cælo moueri Planetam indicant Scripturæ Gen. 19. Ioſuè 10. Iob 9. Eccleſ. 1. & 48. Math. 5. Pſal. 22. & alibi.

Colligitur etiam ex difficultate non leui, & confuſione, quæ oritur ex tot circulis eccentricis, concentricis, & epiciclis, quos admittere cogimur, ſi phenomena, & paralaxes ſaluere velimus in Planetis, quos ſolos cernimus moueri; ſi ergò breuiori labore cuncta ſaluari poſſunt, cur non hæc aſſerimus? maximè cum non conſter de oppoſito, niſi ex congruentijs, vel leuiſſimis. Maculæ item Lunares quid inferunt, niſi Cæli Planetarij fluiditatem? cum non niſi per corpus aptum ſua ſubſtantia replere vacuitates illas, moueri poſſit? Maculæ etiam Solares, vt beneficio tubi optici compertum eſt, quid aliud ſunt, quàm corpora quædam inerrantia, quæ inter Solem, & aſpectum noſtrum opponuntur interdum, interdum non? Accedit hiſce motus Stellarum, quas Mediceas dicunt, circa Iouem; Diuerſa ſimiliter locatio quam habet Mercurius, & Venus, ad Solem, & Martem; ſolent enim ſæpè ſupra Solem, & Martem circuire, qui tamen in ſpatio inferiori, centroquè proximiori conſtitui ſolent. His, & ſimilibus, quæ huius non ſunt inſtituti, res obſcuriſſima videtur ſuaderi.

147 *Data Calorum ſoliditate probabilius eſt Syſtema,*

quod

quod Recentes ferunt mixtum ex Ptolemaico, & Tychonico.

Hoc eſt, quòd Luna ſit Planeta incomitatus, & circa Terram moueatur, ſuprà Lunam ſua in ſphęra moueatur etiam Sol, circà quem tanquam centrum moueantur Mercurius, Venus, & Mars, ſuprà Solem Iupiter, circà quem quattuor Mediceæ, & ſuprà Iouem Saturnus, circà quem duo Comites ferantur; ſupra Saturnum, Aplane, & Empyreum; Ratio eſt, quia facilius ſaluantur Phenomena per Epiciclos dictos.

146 *Stante tamen fluiditate cæleſtis ſubſtantiæ duo erunt, vel ad ſummum tres Cæli.*

Hoc eſt Planetarium, quod inferiùs fluxile ſit, per quod errantia ſydera ad exigentiam diuagentur, ſuperiùs verò ſolida veluti cortice firmetur, cui affixa ſint aſtra non errantia, alterum Empyreum; vel etiam tres ſi Planetarium diuidas ab Aplane, & Empyreo modo dicto.

Moueor, quia alterutrum quod dicas, Phenomena faciliori, ſed neceſſariò labore decernimus, motus circulares, declinationes, aſcenſus, deſcenſus, motus in antecedentia, & conſequentia, ſpiras, retrogradationes, ſtationes, & ſimilia diſtinguimus.

Titulus III.

Paſſiones Cæli.

VNicuiquè principio ſuæ inſunt proprietates, & cuilibet corpori ſuæ paſſiones, minùs improbatas in Cælis dabo.

Nec probandum localiter moueri corpora Cæleſtia, quippequod vel ipſis cæcis eſt certum, moueri etiam circulariter dubitat nemo.

147 *Dicendum igitur primò motum Circularem eſſe cæleſtibus corporibus naturalem.*

Suadetur primò, quia omnis motus naturalis alicui corpori naturaliter debetur, cum igitur motus circularis naturalis, neque aliud videatur aſſignabile corpus, cui debeatur quàm cæleſte, ſiquidem cætera corpora ſimplicia motu recto ſurſum, vel rectò deorſum mouentur naturaliter, mixta ad motum prædominantis elementi, ergò ſoli cæleſti erit naturalis. Secundò ex oppoſito, omne corpus eſt mobile ſaltem radicaliter, ergò aliquem motum ſibi proprium petit, ergo cum nullus alius appareat, qui non ſit proprius aliùs corporis, hic ſolus proprius, & naturalis erit Cælo.

148 *Non procedit tamen à principio actiuo intrinſeco, ſed ab intelligentia aſſiſtente.*

Dubium tollit primò communis ſenſus; ſecundò, quia omnis motus ab intrinſeco procedens tendit in perfectionem, & bonum mobilis, quod nullum hìc apparet, cum potiùs moueātur cæleſtia in bonum inferiorum. Tertiò, quia quod ab intrinſeco indifferens eſt, licèt capax ſit, ad aliquem motum, debet ab extrinſeco determinari; & quidem à principio incorporeo, & libero, ergo cum cæleſtia, licèt capacia, & apta ſint moueri ab Oriente in Occidentem partem, indifferentia tamen ſint; poterant enim æquè ſine violentia ad oppoſitum moueri ab intrinſeca diſpoſitione ſuæ naturæ; debent ergò ab extrinſeco libero, & incorporeo determinari; hoc vltimum probo, quia ſi principium mouens eſſet neceſſarium vel indifferens permaneret adhuc, vel ad vnam partem eſſet determinatum; Si verò corporeum non niſi breui aliquo temporis ſpatio poſſet mouere, defatigaretur enim, non ſecus ac alia principia corporea; antecedens autem habes ex perfecta horum vniformitate, diuerſi autem motus exigentia à princi-

pio

pio diformi oritur. Adde ſi velis, virtutem mc ..am corporum cæleſtium eſſe motiuam tempore infinito, hoc eſt à parte poſt, ergò corporea eſſe non poteſt.

Nec incertius eſt agere cæleſtia in ſublunaria, inſtrumenta tamen, & modum ignoramus ferè.

149 *Dicendum tamen agere cæleſtia per motum, lumen, & occultos influxus circulariter diſtribuendo eos.*

Explico, & probo, quia per diuerſum Solis acceſſum, & receſſum variari diuerſa anni tempora cernimus, terram vireſcere in flores, ſoboleſcere in fructus, diteſcere in ſpicas, ad modum, & ſtatum Lunæ creſcunt, & decreſcunt pleraquè animalium, & plantarum, aliquid ergò producunt in hæc inferiora, per lumen quidem illuminando, & calefaciendo corpora hæc inferiora, etenim ſi ſpeculo vſtorio Solis radios congregemus, nonſolùm maius lumen, ſed & calor, & ignis producitur; quòd ſi lumen idem per motum aptè diſponeretur, quis dubitat, quin eundem effectum diuerſis in partibus non præſtaret? cum igitur videamus proportionato motu circuire aſtra corpora hæc inferiora, ad quem motum multa ex his variantur, dicendum eſt agere per lumen, & motum, eoſque quos cernimus effectus præbere.

Agere etiam per influxus occultos, adhuc congruens eſt, licèt non omninò certum, vt dubitari non liceat; acus enim attritus magnete ſequitur, ad polares inuertitur partes etiam tenebricoſo in loco; mouetur Elitropium, & motũ Solis proſequitur, gignuntur in centro terræ metalla, quò non penetrat lumen, & ſexcenta alia, quæ influxus hoſce occultos probabiles inferunt. Tandem quid vulgarius, quàm dari Cælorum influxus, itaut non raro non paucis fuerit cauſa erroris?

150 *Aſtra ſingula mutuata à Sole luce ſplendent, non ità tamen, quin aliquid lucis ſibi naturalis habeant.*

Expe-

Experimur primam partem in Lunari Eclypſi, vbi Luna omni penè deſtituitur luce; quæ autem maior ratio de hoc, quàm de alijs ſyderibus? Ecquis teſtari poteſt cætera non pati Eclypſim? Probat etiam ſecundam partem eadem experientia, quantumuis enim eclypſetur Luna, non omni tamen penitus priuatur luce, quod ſicut aliquid lucis, maiori immò ex parte à Sole recipere ſydera oſtendit, non omni etiam carere luce fidem facit.

Sic per congruentias placuit philoſophari de Cæleſtibus; cætera mittimus ad Aſtronomos.

TERTIA PARS PHYSICÆ.

OBiectum, quod præſertim attingit hæc tertia pars Philoſophiæ Naturalis eſt corpus corruptibile, ſed quia ſecundùm ſe ſatis propoſitum, & excuſſum eſt prima parte, Actiones ad Corpus generabile, & corruptibile aliqua ratione terminatas, & cætera, quæ corporis huiuſce corruptibilis naturam concernunt, expendam.

Titulus I.

Generatio, & Corruptio Subſtantialis.

PRima Ratio, quæ in corruptibili Corpore Phyſicam actionem terminat, eſt ſubſtantia; primò ergo petit Generationem explicari, quam olim dixere cum Ariſtotele *Mutationem totius in totum nullo remanente ſenſibili, vt ſubiecto eodem.*

Et quidem Generationem naturali more factam aptè deſcribi patet; nam *Mutatio* genericè ad omnem productionem naturalem ponitur, *totius in totum* excludit omnem productionem accidentalem, in qua totum numquam mutatur in totum, ſicut in Nutritione, in qua propriè Totum in Totum mutari dicitur; *Nullo remanente ſenſibili vt ſubiecto eodem*, vt magis diſcriminetur à Mutatione accidentali, ac proinde nullum remanere debet ſubiectum ſenſibile denominationis, ſeu ſubiectum ſubſtantiale, ac ſi diceretur *Non remanente ſub vtroque mutationis termino eadem ſubſtantia completa*.

Quia verò non videtur Generationi eſſentiale, quòd ſit Mutatio, ſeu tranſitus ſubiecti à priuatione ad formam, cum pleræquè eductiones; quæ veræ Generationes ſunt, per mutationem non ſint factæ, vt omnes formarum eductiones in prima Materię creatione (Ni mauis talem actionem vocare ſimplicem eductionem, vel concreatas Materiæ formas aſſerere, quod nihil melius eſt, quàm hanc deffinitionem naturalis Generationis optimam deſcriptionem, veræ tamen Generationis Rationem non attingere) Ideò,

151 *Generationem ſubſtantialem corpoream dico productionem Totius ſubſtantialis per eductionem formæ, & vnionis, vel vnionis ſolùm, Totum ſubſtantiale conſtituentis.*

Productionem dico genericè ad alias actiones productiuas viuentis, non viuentis, ſubſtantiales, accidentales &c. *Totius ſubſtantialis*, quod complet rationem genericam, ſub qua conuenit cum alijs productionibus, indicat etiam terminum adæquatum, & primarium Generationis: Cætera ſubdidi, vt ab alijs actionibus productiuis diſtinguam Generationem; in quantum verò dicitur *per eductionem formæ, & vnionis* reſpicit generationem Totius compoſiti ex materia, & forma

cor-

corporea; vel *vnionis ſolùm* Totum humanum reſpicit, vel quid ſimile, ſi poſſibile eſt.

152 *Hinc inferas primò Corruptionem ſubſtantialem formalem Totius corporei eſſe deſitionem Totius ſubſtantialis per ſuſpenſionem eductionis, vel conſeruationis vnionis, & formæ, vel vnionis ſolùm Totum ſubſtantiale conſtituentis.*

Deſitionem dico totius ſubſtantialis per ſuſpenſionem &c. quia corruptio formaliter conſiſtit in negatione actionis, & ſuſpenſione concurſus, & influxus, conſeruatiuus ſit, vel eductiuus; cætera habes ex præcedenti.

153 *Inferas ſecundò dictum illud, Generatio vnius eſt corruptio alterius, verificari nullatenus abſolutè, ad ſummum verò in Generatione more naturali exequuta.*

Non enim ſubſiſtit in prima rerum productione; in caſu, quo Deus crearet materiam diſpoſitam, applicatam actiuitati v. g. ignis, qui ſibi ſimile gignat; neque impoſſibile dabit aliqua ratio: Non poteſt prætereà verificari in ſenſu formali, quia nec formaliter, nec realiter idem eſſe poſſunt Generatio vnius, & Corruptio alterius, hæc ſiquidem terminat ad non eſſe totius, quod corrumpi dicitur, illa verò ad eſſe poſitiuum Totius Geniti.

154 *Inferas tertiò terminum adæquatum, & primarium Generationis eſſe Totum ſubſtantiale, terminum verò formalem id, cui immediatè applicatur formalitas Generationis de qua res eſt.*

Hoc eſt Terminus formalis Generationis ille eſt, cui propriè, & immediatè applicatur vt termino actio generatiua; ſic enim vt Generatio adæquatè habebit pro formali formam vnitam, vt Vnitio Vnionem, vt Inductio formam termini totalis geniti &c. Vnde ſternitur via ad dandum cuilibet rationi formali cuiuſcumque actionis proprium terminum formalem, quod aliàs non facilè

ſedabis, ſi abſolutè pro termino formali dederis, vel formam Geniti, vel vnionem, vel formam vnitam, vel aliquid ſimile.

Ratio prioris eſt, quia id, quod tanquàm terminum primarium, & adæquatum intendit Natura, eſt Totum ſubſtantiale, ac proinde in ordine ad illud deffinitur Generatio: Poſterioris eſt, quia nihil aptiùs ſuppetit, vt patet ſingula perpendenti.

155 *Inferas quartò non petere Generationem formam de nouo productam, aut ab eodem, aut à diuerſo agente naturali, vel ſupernaturali, ſed illi ſatis eſſe, quòd terminet ad vnionem dependenter à ſubiecto ſubſtentante.*

De ſe enim generatio dicit, quòd ſit productio totius per eductionem, vel formæ, vel vnionis; habes etiam ex generatione humana, quæ vera generatio eſt, & ad ſolam vnionem terminat educendo. Præterea ea actio, qua agens naturale produceret vnionem inter materiā, & formam præexiſtentem, ſpiritualis ſit, aut materialis, ab ipſo, vel ab alio producta, eſſet vera productio totius per eductionem vnionis ſubſtantialis, ergo eſſet vera generatio, ergo non petit generatio productionem nouā formæ, & quidquid afferas in oppoſitum, modum tollit generationis, non ſubſtantiam; modus autem non variat eſſentiam rei; ſufficit igitur vnitio.

156 *Inferas quintò actionem eductiuam vnionis diſtingui realiter à productione formæ.*

Prob. quià de ſe generatio non dicit niſi actionem vnitiuam, vt in prima rerum productione, & in caſu quo applicaretur agens materiæ diſpoſitæ, & formæ productæ, vt in humana generatione; quid ergo conuincit identificari in alijs rerum generationibus? ſi adæquatus actus generationis eſt vnitio in his actibus, cur non in alijs? cur ergò identificari debet? ſunt prætereà diuerſæ tendentiæ ad diuerſos in ſpecie terminos, ergo

ſpecie.

ſpecie inter ſe differunt; deniquè non poſſet diuinitùs producere Deus, vel ſolam materiam, vel ſolam formam. Hæc dixerim de facto, quia de poſſibili fortè non repugnat.

157 *Generatio eſt actio inſtantanea.*

Actio quæcumque ſpecificatur à termino, ſeu actio quæuis ſequitur naturam termini, ergo quia terminus generationis eſt ſubſtantia intenſiuè indiuiſibilis, hoc eſt non ſuſcipiens magis, & minus, ergo nec actus generatiuus.

158 *Eſt etiam actus realiter diſtinctus ab alteratione.*

Quandoquidem alteratio eſt actus diſpoſitiuus, & & qualitas per alterationem producta, eſt formalis diſpoſitio materiæ ad formam ſubſtantialem, ergò etiam ad actum generationis, ergo actus generationis diſtinguitur realiter ab alteratione; conſeq. hæc eſt certa, quia nihil poteſt eſſe diſpoſitio ad ſe ipſum, minus ad actionem productiuam ſui; ant. habes, quia qualitates ſunt propter ſubſtantiam, vt illi inſeruiant tanquam diſpoſitiones, & inſtrumenta; primam conſeq. oſtendo, quia diſpoſitiones non reſpiciunt formam vt ſic, ſed formam producendam, ergo actionem, qua poteſt produci: Adde, quòd diſpoſitiones determinant materiam ad formam ſaltem in ſpecie, ergo etiam ad actum generationis ſaltem in ſpecie: Tertiò certiſſimum eſt, poſſe Deum ſuſpendere ſuum cōcurſum ad formam ignis v. g. etiam dum ponitur vltima diſpoſitio, ergo actus terminans ad formam, non poteſt identificari realiter cum actu alteratiuo. Tandem ſi identificarentur realiter hi duo actus incipiente alteratione inciperet generatio, ergo incipiente ſemel alteratione ſubiecti, non poſſet vltrà impediri generatio; immò non poſſet, vel diuinitùs generari forma ſubſtantialis in materia niſi vltimatè, & completè diſpoſita.

159 ***Dum mutatur vnum totum in aliud in connaturali generatione, non reſoluitur totum, quod corrumpitur ad nudam materiam.***

Prima ratio eſt negatiua: quia nempe non eſt ratiō conuincens oppoſitum, dum verò agitur de productione, vel deſitione entitatis, non ſimplici aſſerto ſtandum eſt; vel enim aſſertur, quòd recipiantur accidentia in toto, & falsò, vt conſtat ex 96; vel quòd migraret accidens de ſubiecto in ſubiectum, & nequè vt ex 17; vel quia defficiat quidpiam à quo accidentium generatio dependeat, & minus, quia accidentis deſitio procedit aut à forma contraria, aut ex deffectu ſubiecti ſubſtentantis, aut ex deffectu effectiuè conſeruantis; at non hoc, quia non omnia accidentia conſeruantur effectiuè à forma totius, vt per ſe patet diſcurrentibus; non ſecundum, quia primò, pleraquè ſunt in ſola materia; ſecundò, quia remanet ſemper locus dicendi citrà errorem, quòd ſicut poteſt accidens conſeruari ab alio efficiente, ità in alio ſubſtentante (loquor de abſolutis, quod ſatis conuincit meum intentum) & non obſtat tranſmigratio, cum nulla ſit loci, vel temporis diſtantia, neque per inſtans; ſicut igitur ab vno ſit per actionem *A*, ab alio conſeruatur per *B*, cur non poterit ſuſtentari per inhærentiam *A* ab vno, ab alio per inhærentiam *B*? Non denique primum, quia ſæpe forma genita eius eſt conditionis, quòd eadem accidentia in ſpecie exigat, & ſibi producat.

Abſurda porrò ex oppoſito emergētia rem deffiniunt, videlicèt, quòd accidens tendat poſitiuè ad ſui deſtructionem, dum diſponeret ſubiectum ad formam oppoſitam; quòd nullum ſit aſſignabile immediatum principium formæ nouæ, non enim ſunt accidentia in generante, tum quia naturale agens, non agit in materiam nudam, tum quia ſæpè generans non eſt præſens, non

ſunt accidentia ſubiecti, quæ corrumpuntur ad corruptionem totius; minus totius noui, quia non ſunt; non aliqua ſubſtantia, quia nulla eſt immediatè actiua; quòd educatur forma de ſubiecto non diſpoſito &c. quæ Philoſophum non decent.

Aſt efficaciùs dat aſſertum naturæ ſufficientiſſima parcitas, quæ nouam rei productionem, vel corruptionem niſi vrgenti ex neceſſitate admittit, quæ nulla hic apparet in rerum naturis.

Operoſius eſt immediatum efficiens Generationi adſcribere, ad contentionem tamen tollendam

160 *Dico primò nullum accidens poſſe ex ſe adæquatè attingere productionem ſubſtantiæ.*

Dictat hoc natura ipſa accidentis, quod imperfectioris ordinis cum ſit, non poteſt ex ſe effectum perfectiorem ſe, qualis eſt ſubſtantia, producere, ſi ſtemus iuri naturæ, quæ conſtituit cauſam ex ſe non producere effectum, niſi ſaltem eminenter illum contineat, vt ſæpe cernitur in rerum viciſſitudine.

161 *Dico ſecundò ſubſtantias operatiuas aliqua in ſe ipſis accidentia immediatè ſibi, ſaltem per emanationem producere.*

Doceor experientia in aqua calefacta, rarefacta, vel condenſata, quæ ſe ad priſtinum naturalem ſtatum reducit, & alijs in pluribus; refundere verò huiuſmodi effectus in qualitates occultas, & intrinſecas, vel in aliquod ſimile, nihiloſeciùs eſt, quàm fateri ſe veras illorum cauſas ignorare, ne rei certæ aſſentiamur.

Moueor etiam paritate ſubſtantiæ ſpiritualis, quæ in ſe ipſa ſua accidentia ſpiritualia producit, maximè actus intelligendi, volendi, &c. & hoc infero de alijs ſubſtantijs proportionaliter, cum ſufficiens mihi non ſuppetat diſparitas. Patitur prætereà immediatè ſubſtantia accidentia recipiendo, ergo immediatè agere poterit ac-

cidentia producendo; tandem ſi non immediatè aliqua accidentia producit, ergo per alia accidentia, ergo non euitatur proceſſus in infinitum.

162 *Dico tertiò nullam ſubſtantiam corpoream poſſe naturaliter immediatè agere in externum ſubiectum.*

Alioquin fruſtrà eſſent data ſubſtantiæ accidentia actiua, & paſſiua; ipſa enim eſſet ſufficiens producere quidquid producit medijs accidentibus operatiuis, videlicet accidens, & ſubſtantiam; obſtat inſuper experientia, quia quamuis applicetur v. g. aqua calida, nunquam frigefacit, niſi quia in externum ſubiectum non poteſt immediatè frigus producere, quod immediatè poteſt in ſe ipſa.

Ageret prętereà æqualiter in tota ſua ſphæra naturale agens, calorem ſiquidem vt quattuor, quem producit in primo palmo ſphæræ ſibi extrinſeco, poſſet etiam producere in ſecundo, & ſic de ſingulis.

Quod verò magis vrget eſt, quòd non poteſt agens naturale agere, niſi ſit intimè præſens ſubiecto, aliter ageret naturaliter in diſtans, huic verò intimæ præſentię obſtat maximè naturalis ſubſtantiæ corporeæ impenetratio, non ergo potuit immediatè agere in ſubiectum ſibi externum.

163 *Ex his concludo immediatum Generationis efficiens, non eſſe ſubſtantiam generantis, ſed accidentia, vt eius inſtrumenta.*

Certum enim eſt primò, quòd non fortuito dedit natura ſubſtantiæ tot accidentia, totquè accidentales virtutes, quas in dies cernimus in ſubſtantijs operatiuis, ergo vt illis vtatur ad operandum, ergo quia nouit natura aliquid obſtare, quò minùs generans per ſuam ſubſtantiam immediatè attingat ſubſtantiam geniti, deberetquè accidentibus vti vt inſtrumẽtis; ſecundò certum eſt, quòd ſicut ſe habet ſubſtantia ad eſſe, ita ad operari, ſi ergo

ſi ergo in eſſe dependet à tot, tantiſquè accidentium virtutibus, ab illis etiam in operari dependebit, vt congruentiùs ad ſuum limitatum eſſe.

Adde ſæpiſſimè produci ſubſtantias, nulla præſente ſubſtantia, cui efficientiam illam adſcribas, & ſi accidentibus inſtrumentariam virtutem deneges, teneris cauſas vniuerſales incomodare, quod non paſſim licet Philoſopho, dummodò non conuincaris de alterius inferioris cauſæ deffectu, quod certè liquet; nihil enim obſtat ſubſtantiæ generanti, nihil genitæ, nihil accidenti, nihil omninò naturæ, quid igitur hoc negas?

Tandem inferioribus ſubſtantijs vim generatiuam dare teneris, vt ex 54. non immediatam immediatione ſuppoſiti in externum ſubiectum, vt ex præcedenti, ergo immediatione virtutis, & hoc eſt, quòd vtatur accidentibus, vt inſtrumentis, quibus medijs intimè præſens fiat paſſo, vel magnæ molis, vel denſo, vel aliqualiter diſtanti, vel etiam, vt illis relictis in paſſo, pereunte quoque, aut abſente generante, ſuos poſſet effectus præbere, vt paſſim accidit in viuentium generatione. Mirum porrò nihil eſt, nihil nouum, abſurdum nihil in hac re, congruentia omnia, omnia conſentanea, philoſophica ſingula, ergo &c.

164 *Generatio non ità eſt mutatio totius in totum; quòd conuerſionem includat.*

Ratio eſt, quia Generatio formaliter, non dicit deſitionem alterius, vt ex 150. & 152. quod neceſſario dicit Conuerſio, eſt enim *tranſitus, ſeu deſitio vnius in aliud*: Secundò, quia non omnis Conuerſio eſt Generatio, vt patet in Conuerſione Euchariſtica; quamuis videatur naturalis Generatio aliquam Conuerſionem importare.

Dixi Conuerſionem eſſe *tranſitum, ſeu deſitionem vnius in aliud*; per primum enim conuenit cum omni

corru-

corruptione, quin etiam cum annihilatione, quæ dicitur *deſitio rei in nihilum*; per ſecundum verò ab eis differt, quòd corruptio non dicitur formaliter deſinere in aliud, ſed ſufficit ſi ſit deſitio formæ, vel vnionis in ſubiecto, annihilatio verò excludit etiam ſubiectum.

Titulus II.

Augumentatio, & Dimminutio.

GEnerationi, & Corruptioni ſubeſt Augumentatio, & Dimminutio, nam corpus genitum augetur, & minuitur ſecundùm diuerſas conditiones, & varios ſtatus.

165 *Dicitur Augumentatio motus à minori ad maiorem ſubſtantiam.*

Per hoc, quòd ſit *motus*, genericè ſe habet ad Generationem, Alterationem &c. *à minori ad maiorem ſubſtantiam*; diſcriminatur primò ab Alteratione, quæ eſt ad qualitatem; ſecundò à prima Generatione, quæ non ſolùm eſt à ſubſtantia ad ſubſtantiam geniti, ſed potius nihil ſubſtantiæ geniti ſupponit; Tertiò ab Accretione, quæ eſt *à minori ad maiorem quantitatem*; quamuis inique iure pro vtraquè à quibuſdam; etiam diſtinguentibus quantitatem à re quanta, vſurpetur Augumentatio.

Eſt Augumentatio genus ad Augumentationem viuentium, & non viuentium, ſiuè enim fiat per productionem partis formæ, & vnionis continuatiuæ inter partem genitam, & auctam, ſiuè ſolius talis vnionis, ſemper auget; quòd ſi fiat per attractionem alimenti, Nutritio propriè dicitur, ſi per iuxta poſitionem

Augu-

Augumentatio; quæcumquè verò illa ſit, ſemper includit actum Generationis, quo ad minus gignitur vnio continuatiua dicta.

166 *Id in quo formaliter conſiſtit Augumentatio eſt actio productiua vnionis continuatiuæ inter ambas vniones eſſentiales amborum Totorum aucti ſcilicet, & geniti, ſeu eſt vnitio continuans dictas vniones partiales.*

Variæ ſunt actiones, quæ in Augumentatione intercedunt, eſt primò productio nouæ partis formæ; ſecundò vnitio illius cum materia; tertiò continuatio materiæ, & formæ antiquæ cum materia, & forma aucta; quartò tandem vnitio vnionis totius geniti, & totius aucti; Quòd ſi interdum non omnes præcedentes intercedant, vt in nutritione humana, hæc vltima ſemper requiritur, nec aliter poteſt dici auctum vnum, niſi & vna fiat vnio eſſentialis, ergo congruentius formaliter conſiſtet Augumentatio in tali actione.

Sed prob. efficacius, quia certum eſt, quòd Augumentatio in aliqua actione continuatiua conſiſtit, at non materiarum, non formarum, non ambarum, ergo vnionis eſſentialis, ergo in tali dicta vnitione; de maiori non dubitas, minorem oſtendo; totum non eſt totum per ſolam materiam, vel per ſolam formam, vel per vtramquè ſimul, ſed per vnionem eſſentialem inter eas, ergo neque poteſt eſſe vnum continuum per ſolam continuatam materiam, vel formam, vel per vtramque, ergo per continuatam vnionem eſſentialem, ergo actio continuans eas vniones eſſentiales erit formalis Augumentatio.

Adde, quòd cæteras vnitiones poſſum habere ſinè hac, non hanc ſinè illis, ergò in hac formaliter ſtat Augumentatio; prob. conſeq. quia formale rei eſt, quod poſitum dat rem, quod ablatum rem tollit; antec. verò oſtendo,

oſtendo, actiones ſequuntur naturam terminorum, ergo quia prius eſt eſſe materiam, quàm formam, formam, quàm vnionem, has vnitas, & continuatas, quàm continuatam illarum vnionem; vnio enim eſt modus eſſentialiter præſupponens naturà ſaltem extrema, ergo haberi poterunt illæ ſinè hac; non hæc ſinè illis, ergo cum illis poſitis; adhuc totum non ſit vnum continuum, vt oſtendi, neque erit totum auctum, ergo in hac formaliter ſit Augumentatio.

167 *Hinc eſt primò terminum formalem Augumentationis eſſe vnionem integralem continuantem vniones partiales eſſentiales totius geniti, & totius aucti.*

Sequitur clarè ex præcedenti:

168 *Eſt ſecundò, Dimminutionem terminare formaliter ad deſitionem vnionis integralis inter dictas vniones, atque adeò eſſe Dimminutionem ſuſpenſionem eductionis, vel conſeruationis mouentis auctum à minori ad maiorem ſubſtantiam.*

Liquet ex deffinitione Augumentationis, quia oppoſitum ex oppoſito luceſcit.

Quoniam verò res naturalis, nec in infinitum augetur, nec in infinitum minuitur, aliquos certos terminos adſcribere opus eſt Augumentationi, & Dimminutioni, ideo

169 *Quælibet res creata habet determinatos terminos magnitudinis, & paruitatis, ſeu maximum, & minimum (vniuerſaliter loquor) tam quoad intenſionem, & remiſſionem, quam quoad Augumentationem, & Dimminutionem.*

Patet primò experientia, videmus enim nullam rem naturaliter augeri præter certam quandam molem, nec ad minorem reduci; nullam qualitatem in infinitum intendi, aut remitti, ſed intra certam intenſionem, & remiſſionem ſiſtere.

Vrget.

Vrget ſecundò ratio naturalis, quia nulla res naturaliter poteſt excedere certos terminos à natura conſtitutos, nè in magnitudine contrarium facilè nimis deuinceret, aut in paruitate faciliùs deuinceretur, aut neceſſarijs defraudaretur operationibus, vel ex minima entitate, vel ex nimia, cui non ſuppeterent apta inſtrumenta; immò naturæ ſagacitate factum eſt, nè aut neceſſaria defficerent, aut ſuperflua fruſtrarentur. Non omnia tamen eodem limite clauduntur; nam

170 *Formæ viuentium habent terminum intrinſecum, magnitudinis, & paruitatis, ſeu habent Maximum, & Minimum quod ſic.*

Maximum quod ſic oſtendit potentia nutritiua, quæ actiuè cõcurrit ad augendum corpus, & animam ipſam ſi diuiſibilis eſt, & materialis, tantum enim augeri poterit, & non plus, quanta erit dicta virtus Augumentatiua, hæc verò non niſi ad certos terminos augere poteſt, quia quælibet virtus actiua ex natura ſua limitata eſt in ordine ad ſuos effectus, vt paſſim experimur, ergo &c. *Minimum* verò inſerunt tot partes etherogeneæ, inſtrumenta, & organa ad vitales operationes exercendas, quæ non niſi in tanta, & non minori mole ſubſiſtere queunt, ergo etiam corpus, cuius ſunt partes hæc inſtrumenta, non niſi ſub tanta mole ſtare poteſt. Præterquamquod partes in mole quacumquè, aut nimis diſtarent, aut minus, quàm opus ſit ad vitales operationes; quamobrem corpora quæcumquè cum viuentibus neceſſariò connexa, eoſdem intrinſecos terminos expetunt.

171 *His tamen carent, vt plurimum formæ non viuentium, ſed ſolos extrinſecos admittunt.*

Quid enim vetat, quin augeatur in infinitum ignis, aqua, lapis, &c. cum maximè in maiori, quo ſunt mole, validiores præbeant effectus? nullam etiam petunt ad

ſuas

ſuas operationes organorum diſpoſitionem, quæ tantam exigant molem, & non minorem; agendo verò agunt vniformiter difformiter, atque ideo ſemper fortiùs in partem proximiorem etiam minimi, quod deſignari poſſit in paſſo; & ſi quid obſtat eſt, quia non poſſunt excedere certos terminos, intra quos clauduntur ab extrinſeco, vel quia in minori ſemper mole difficiliùs conſeruantur, ſed faciliùs à contrario euincuntur; hæc autem terminos extrinſecos inferunt.

172 *Qualitates inſenſibiles, & remiſſibiles ſecundùm ſe, & ex natura ſua non habent terminos intrinſecos ſuæ magnitudinis, & paruitatis, ſed ad ſummum conſideratæ in ordine ad formas ſubſtantiales, quarum ſunt diſpoſitiones.*

Hoc vltimum facile patet, quia ſequuntur naturam ſubſtantiæ, cuius diſpoſitiones ſunt, ornamenta, & virtutes; ſunt enim ordinatæ qualitates ad inſeruiendum naturali exigentiæ ſubſtantiarum. Prius autem certum eſt, quia licèt ad latitudinem octo graduum fiat ſumma naturalis intenſio, & intra vnum remiſſio, nil tamen vetat quo minùs ſimpliciter augeatur per nouos, & nouos gradus qualitas, vel minuatur in infinitum per partes proportionales, ergo minimum, & maximum intrinſecum ex ſe non habent, & ſi non intendantur, vel remittantur, quantum intenſibiles, & remiſſibiles ſunt, eſt deffectus a: entis extrinſeci, quod terminos extrinſecos qualitatibus præfigit.

Titu-

Titulus III.

Alteratio, Intenſio, & Remiſſio.

GEnerationi ſubſtantiali inſeruit accidentalis, quæ ex eo, quòd ſubiectum alterum fiat, dicitur Alteratio.

173 *Deffinitur itaquè mutatio in paſſionibus, ſeu qualitatibus contrarijs, aut medijs manente eodem ſubiecto ſenſibili.*

Ideſt *mutatio in paſſionibus contrarijs*, nempè in primis qualitatibus, *medijs* verò nempe ſecundis ex primis deriuantibus; *manente eodem ſenſibili ſubiecto*, videlicet ſubſtantialiter, quod non remanet in Generatione ſubſtantiali. Per ly *mutatio* genericè ſe habet ad Generationem, in cæteris differt.

Alterationem corruptiuam ſucceſſiuè fieri, tum quoad extenſionem, tum quoad intenſionem experientia conuincit, non deberi autem ſucceſſionem huic motui ſimpliciter ex natura ſua, dictat eſſentia qualitatum, quarum nulla talis eſt, quòd in inſtanti non poſſit produci (ſaltem ſupernaturaliter); ſed

174 *Vtraquè ſucceſſio dicta in Alteratione corruptiua cauſatur à reſiſtentia, tum actiua, tum formali qualitatum corruptiuarum.*

Reſiſtentiam actiuam, quam & poſitiuam, dico *actum primum proximum qualitatis ex ſe determinatum ad producendum aliquid eiuſdem qualitatis incompoſſibile naturaliter cum ſuo contrario, illiuſquè vires imminuens*; formalem, quam & negatiuam *informationem alicuius formæ incompoſſibilis cum contrario, ex vi cuius ſui conſeruationem qualitas intendat; & contrarium impediat, nè introducatur.*

Has

Has Reſiſtentias cauſare ſucceſſionem in Alteratione euincitur, quia non prouenit ex natura qualitatis corruptiuæ, quæ non petit ſucceſſiuè fieri ſimpliciter, Alteratio vero eſt motus, atque adeo naturam termini ſequitur; neque aliud ſuppetit, cui adſcribi poſſit, ergo &c. Adde, quòd naturaliter introducitur ſemper qualitas corruptiua in ſubiectum contrario affectum, ergo cum in inſtanti vinci contrarium non poſſit, nec alterum poterit introduci, quæ ſinè dubio à Reſiſtentia actiua, & formali qualitatum corruptiuarum prouenit; & hinc eſt, quòd breuiori, vel diuturniori fiat tempore Alteratio, quo maior, vel minor eſt Reſiſtentia contrariorum, ſicut etiam inde eſt, quòd motus ad qualitates, merè perfectiuas inſtantaneus ſit, non ſucceſſiuus.

175 *Quantumuis autem ſucceſſiuè fiat Alteratio, non fit tamen per inſtantia interpollata; ſed motus continuus eſt, tum intenſiuè, tum extenſiuè.*

Si quid valet experientia, ſtat pro hoc aſſerto in manu igni applicata, continuata enim percipitur ſenſatio caloris. A priori vero militat ratio, quia eo tempore intermedio, quod dicunt interpollationis, non poteſt agens v. g. ignis ab operatione ceſſare, eſt enim agens neceſſarium, cuius vires in actum exire debent, quoties iuſtum non obſtat impedimentum, aſſignetur verò vel leue, quod non ſit gratis inuentum? Da præterea duo agentia quorum alterum valeat v. g. vt ſex, alterum vt duo, duobus paſſis æquè diſpoſitis applicata, dum primum minimum ſuæ qualitatis producit; ſecundum producet etiam alterum minimum, vel non? ſi ſic, ergo effectum æquè perfectum darent vtraquè; ſi non, ergo agens neceſſarium in debitis circumſtantijs naturaliter non aget; vel ſi quid minus, ergo ſemper aget; quod idem vrget de tempore, quod dicis interpollationis.

Quoniam verò alterari nequit ſubiectum, quin inten-

tendatur, vel remittatur qualitas, Intenſionem, & Remiſſionem breuiter dabo.

176 *Eſt Intenſio additio eiuſdem qualitatis in eadem parte ſubiecti.*

Additio, quia fieri non poteſt intenſio qualitatis, niſi per nouam partem qualitatis eiuſdem priori perſeueranti addita, vt mox oſtendam; *eiuſdem qualitatis*, quia ſi diuerſæ ſint, iam non erit Intenſio qualitatis eiuſdem, ſed plurium immixtio, & temperatio; *in eadem parte ſubiecti*, ad differentiam extenſionis, quæ non in eadem, ſed in diuerſis partibus ſubiecti qualitatem diffundit.

Remiſſio ex his erit *deſitio eiuſdem qualitatis ſecundùm diuerſas ſui partes in eadem parte ſubiecti*; & patet ex Intenſione.

177 *Fit ergo qualitatis Intenſio per additionem partis ad partem eiuſdem qualitatis in eadem parte ſubiecti.*

Patet primò, quia nullo aptiori modo ſaluari poteſt; neque enim ſubſiſtit, quòd intendatur qualitas per ſolam expulſionem contrarij; tum quia in alteratione perfectiua habetur Intenſio, & non habetur expulſio contrarij; tum quia nihil obeſt, quin intendatur calor, nulla facta frigoris expulſione, ſaltem ſupernaturaliter, ergo intenſio non erit contrarij expulſio; tum etiam quia ſi fit per expulſionem, & non expellitur contrarium in inſtanti, neque in inſtanti intenditur qualitas, vt ex 174. iam contrarium habet partes, ſecundùm quas expellatur, ergo etiam ſecundùm quas introductum fuerit, ergò congruentiùs per partes intenditur: Neque ſubſiſtit, quòd noua perfectior qualitas producatur imperfectiori corrupta, quia gratis omninò conſtituitur hæc qualitatum perfectiorum, & perfectiorum ſeries; quod enim ſingulariter mouet, eſt quòd accidens indiuiduetur à ſubiecto, verùm falsò, vt ſuo loco; immò eandem vir-

autem indiuiduatiuam habens ſibi cunctum ſimul, ac ſuc-
ceſſiuè, cur ergò qualitatem imperfectionis indiuiduat
cum primò producitur, quàm cum posteà? Secundò,
aſſigna à quo corrumpatur imperfectior calor, dum
perfectior producitur; Tertiò, ſicut intenditur qualitas
per productionem perfectioris imperfectiori corrupta,
ità remitti deberet per corruptionem perfectioris im-
perfectiori reproducta, vel aſſigna diſparitatem, & ſi
concedis hoc, da cauſam productiuam caloris imper-
fectioris; deniquè hoc nequis aſſerere de Habitibus,
qui intenduntur ab actibus ipſis, quos producunt in eo-
dem inſtanti, corrumpi ergo non poteſt remiſſior Ha-
bitus.

Nequè tertiò ſubſiſtit, quòd fiat intenſio per maiorem radicationem eiuſdem qualitatis, ſiuè dicatur conſiſtere in noua perfectiori exiſtentia, vel vnione, vel in alio ſimili, quia radicari eandem qualitatem nunquam erit eam intendi, & intenſiorem effectum formaliter nunquam dabit, ſed ſolùm eundem firmiùs, quantumuis enim radicetur ſemper dabit effectum vt quatuor; & ſi dicas eſſe vt octo etiam initiò, ergo etiam tunc vt octo debet cauſare; poſteà hæc noua vnio, vel exiſtentia nunquam eſt nouus calor, ergo nunquam faciet magis calidum; tertiò gratis præcedens corrumpi aſſeritur, cum debilis non ſit cauſa; immò ſi valet hoc de qualitatibus, nihil obſtat, quin aſſeratur de formis ſubſtantialibus, præterquam quod, quod dicis de exiſtentia falſum eſt, vt alibi, & ſi verum eſſet omnis formarum diuerſitas refundi poſſet in ſolam exiſtentiam, vel ſolam vnionem, & tolli omnis diuerſitas ſpecifica.

Tandem vniuerſaliter, quia motus ad quale, & motus ad magis quale non differunt ſpecie, quæ enim differunt ſecundùm magis, & minus eiuſdem ſunt ſpeciei, ergo motus qualitatem, & ad intenſiorem qualitatem non

differunt ſpecie, ergo nec terminu, ſi verò intenſio fieret per modum nouum radicationis, quicunque ille ſit, iam eſſet ad terminos ſpecie diuerſos; ergo ſpecie differret.

Patet ſecundò, quia ſicut haberi non poteſt effectus formalis ſimpliciter ſine cauſa formali ſimpliciter, ità nec perfectior ſine perfectiori cauſa, ergo nec perfectius calidum erit, nec perfectior calor v. g. niſi addatur pars ad partem in eadem parte ſubiecti, ergo &c. Inſuper ſicut dicis intendi, quia eadem qualitas radicetur in eadem parte ſubiecti, cur non etiam quòd extendatur, quia eadem qualitas acquirat exiſtentiam, vel vnionem, vel aliquid ſimile in alijs partibus ſubiecti? da ergo partem ad partem addi.

178. *Quæ tamen partes Intenſionis, ſeu gradus dicas, non ſunt indiuidualiter, aut ſpecificè etherogeneæ, ſed penitus homogeneæ.*

Primò, quia gratis omnino confingitur quæcumque etherogeneitas in partibus Intenſionis; Secundò, quia egregiè ſaluatur Intenſio per additionem ſimilis ad ſimilem in eodem ſubiecto, vt patet in moralibus, & phyſicis etiam, vt ſi obolum obolo, libram libræ addas; Tertiò, quia etherogeneitas ſpecifica tollit vnibilitatem plurium ad faciendum vnum, niſi alterum ſe habeat, vt potentia, alterum vt actus; Quartò, motus alteratiuus non eſſet vnus, ſed multiplex ſpecie, tum in ordine ad eandem qualitatem intenſam, tum in ordine ad eundem gradum intenſiorem; Quintò, quia nihil eſt aſſignabile in quo conſiſtat hæc etherogenea perfectio, ſicut nec aſſignabilis eſt ratio, cur ſi duo gradus, quos primos dicis, ponantur in eadem parte ſubiecti, non faciant intenſiorem qualitatem; Sextò, ſi in peripheria diſtribuas decem ignes v. g. eiuſdem virtutis, vel decem candelas eiuſdem intenſionis, quis neget intenſiorem in

medio eſſe calorem, & lumen, quàm ſi vnus ignis, vel vna extaret lucerna? Septimò, quando nam euidentiùs ſequitur actu infinitum cathegorematicum, quàm ſi admittas etherogeneitatem? certè ſecundus gradus v.g. cum ſit diuiſibilis in infinitum habet actu infinitas partes, quæ cum ſint partes ſecundi gradus erunt eſſentialiter perfectiores omnes, & ſingulæ primo gradu intenſiuè, licet entitatiuè minores, ergo erunt actu infinitæ partes perfectiores vna certa, ergo infinitum in intenſione; Octauò, quia ſaluari non poteſt etherogeneitas in qualitatibus ſpiritualibus, & phyſicis, ſed equiuocè operantibus, ergo nec in primis; Neque enim aſſerere iure potes, quòd Petrus v.g. in gratia vt vnum, & intenſiſſimum actum charitatis eliciat, minus gratiæ augumentum acquirat, quàm Paulus in gratia vt duo remiſſiſſimum actû eliciens eleemoſynæ v.g.; vel quòd libra plumbi, libræ addita non magis grauitet; vel etiam quòd non fortiùs trahant duo eiuſdem virtutis idem pondus, quàm vnus ſolùm; aut quòd duo ſonora eiuſdem virtutis percuſſa ſimul maiorem non edant ſonum ſi ſimul percutiantur, quàm ſi alterum illorum; dicens verò quòd ſit maior effectus extenſiuè tollis experientiam, qua percipitur intenſior effectus.

Titulus IV.

Condenſatio, & Rarefactio.

Corpora genita alterantur in dies, alterata addenſantur, vel rareſiunt, maius hinc modò, modò minus diuertuntur ad ſpatium ſupra naturalem illorum exigentiam intrà tamen certos terminos, neque enim rareſit aqua vnius libræ ad molem montis, vel addenſatur

ad

ad Sinapis paruitatem, ſed ad determinatam menſuram, intra quam, quantumlibet condenſetur, vel rarefiat, fit quidem cum aliquali violentia, ſed non contra naturam aquæ, hos igitur motus Rarefactionis, & Condenſationis decernere opus eſt.

179 *Rarum in concreto tradit Philoſophus per hoc, quod ſub magis dimenſionibus parum habet materiæ; denſum, quod ſub paruis dimenſionibus plurimum materiæ habet.*

In concreto vtpotè ſenſibilius deſcribitur vtrumquè. Ly *materia* vniuerſaliter pro quacumquè ſubſtantia ſupponit, quæ conſtipari, & dilatari eſt capax, non pro ſola materia prima.

Vndè facilè habes Condenſationem eſſe eam actionem, *quæ corpus adducit à maiori extenſione ad minorem dimenſionem*, Rarefactionem verò, *quæ corpus à minori extenſione ad maiorem dimenſionem reducit.*

180 *Porrò actio rarefactiua, & denſatiua non conſiſtit in ſolo motu locali, ſed eſt modus actionis ab illo realiter diſtinctus.*

Aliàs quoties mouetur corpus, rareſieri deberet, & denſari; præterea non habet pro termino ſolam præ entiam localem dictam, ſiuè ſucceſſiuam, ſiuè permanentem, ſed aliquod aliud, quod rem à maiore ad minus ſpatium reſtringat, vel à minori ad maius dilatet, ergò erit actio realiter à dicto motu diuerſa.

181 *Condenſatio non conſiſtit in corruptione aliquarum partium quantitatis, vel etiam totius præcedentis quantitatis, & productione alterius minoris, ſicut rarefactio non conſiſtit in productione nouæ maioris quantitatis, aut nouarum illius partium.*

Ratio eſt primò, quia in denſatione aſſignari non poteſt cauſa corruptiua illius quantitatis, vel totius, vel ſecundùm partes, nec quidquam exigens, quòd cor-

oſtendo, actiones ſequuntur naturam terminorum, ergo quia prius eſt eſſe materiam, quàm formam, formam, quàm vnionem, has vnitas, & continuatas, quàm continuatam illarum vnionem; vnio enim eſt modus eſſentialiter præſupponens naturà ſaltem extrema, ergo haberi poterunt illæ ſinè hac; non hæc ſinè illis, ergo cum illis poſitis; adhuc totum non ſit vnum continuum, vt oſtendi, neque erit totum auctum, ergo in hac formaliter ſit Augumentatio.

167 *Hinc eſt primò terminum formalem Augumentationis eſſe vnionem integralem continuantem vniones partiales eſſentiales totius geniti, & totius aucti.*

Sequitur clarè ex præcedenti.

168 *Eſt ſecundò, Dimminutionem terminare formaliter ad deſitionem vnionis integralis inter dictas vniones, atque adeò eſſe Dimminutionem ſuſpenſionem eductionis, vel conſeruationis mouentis auctum à minori ad maiorem ſubſtantiam.*

Liquet ex deffinitione Augumentationis, quia oppoſitum ex oppoſito luceſcit.

Quoniam verò res naturalis, nec in infinitum augetur, nec in infinitum minuitur, aliquos certos terminos adſcribere opus eſt Augumentationi, & Dimminutioni, ideo

169 *Quælibet res creata habet determinatos terminos magnitudinis, & paruitatis, ſeu maximum, & minimum (vniuerſaliter loquor) tam quoad intenſionem, & remiſſionem, quam quoad Augumentationem, & Dimminutionem.*

Patet primò experientia, videmus enim nullam rem naturaliter augeri præter certam quandam molem, nec ad minorem reduci; nullam qualitatem in infinitum intendi, aut remitti, ſed intra certam intenſionem, & remiſſionem ſiſtere.

Vrget.

Viget ſecundò ratio naturalis, quia nulla res naturaliter poteſt excedere certos terminos à natura conſtitutos, nè in magnitudine contrarium facilè nimis deuinceret, aut in paruitate faciliùs deuinceretur, aut neceſſarijs defraudaretur operationibus, vel ex minima entitate, vel ex nimia, cui non ſuppeterent apta inſtrumenta; immò naturæ ſagacitate factum eſt, nè aut neceſſaria defficerent, aut ſuperflua fruſtrarentur. Non omnia tamen eodem limite clauduntur; nam

170 *Formæ viuentium habent terminum intrinſecum, magnitudinis, & paruitatis, ſeu habent Maximum, & Minimum quod ſic.*

Maximum quod ſic oſtendit potentia nutritiua, quæ actiuè cõcurrit ad augendum corpus, & animam ipſam ſi diuiſibilis eſt, & materialis, tantum enim augeri poterit, & non plus, quanta erit dicta virtus Augumentatiua, hæc verò non niſi ad certos terminos augere poteſt, quia quælibet virtus actiua ex natura ſua limitata eſt in ordine ad ſuos effectus, vt paſſim experimur, ergo &c. *Minimum* verò inſerunt tot partes etherogeneæ, inſtrumenta, & organa ad vitales operationes exercendas, quæ non niſi in tanta, & non minori mole ſubſiſtere queunt, ergo etiam corpus, cuius ſunt partes hæc inſtrumenta, non niſi ſub tanta mole ſtare poteſt. Præterquamquod partes in mole quacumquè, aut nimis diſtarent, aut minus, quàm opus ſit ad vitales operationes; quamobrem corpora quæcumquè cum viuentibus neceſſariò connexa, eoſdem intrinſecos terminos expetunt.

171 *His tamen carent, vt plurimum formæ non viuentium, ſed ſolos extrinſecos admittunt.*

Quid enim vetat, quin augeatur in infinitum ignis, aqua, lapis, &c. cum maximè in maiori, quo ſunt mole, validiores præbeant effectus? nullam etiam petunt ad

ſuas

ſuas operationes organorum diſpoſitionem, quæ tantam exigant molem; & non minorem; agendo verò agunt vniformiter difformiter, atque ideo ſemper fortiùs in partem proximiorem etiam minimi, quod deſignari poſſit in paſſo; & ſi quid obſtat eſt, quia non poſſunt excedere certos terminos, intra quos clauduntur ab extrinſeco, vel quia in minori ſemper mole difficiliùs conſeruantur, ſed faciliùs à contrario euincuntur; hæc autem terminos extrinſecos inferunt.

172 *Qualitates inſenſibiles, & remiſſibiles ſecundùm ſe, & ex natura ſua non habent terminos intrinſecos ſuæ magnitudinis, & paruitatis, ſed ad ſummum conſideratæ in ordine ad formas ſubſtantiales, quarum ſunt diſpoſitiones.*

Hoc vltimum facile patet, quia ſequuntur naturam ſubſtantiæ, cuius diſpoſitiones ſunt, ornamenta, & virtutes; ſunt enim ordinatæ qualitates ad inſeruiendum naturali exigentiæ ſubſtantiarum. Prius autem certum eſt, quia licèt ad latitudinem octo graduum fiat ſumma naturalis intenſio, & intra vnum remiſſio, nil tamen vetat quominùs ſimpliciter augeatur per nouos, & nouos gradus qualitas, vel minuatur in infinitum per partes proportionales, ergo minimum, & maximum intrinſecum ex ſe non habent, & ſi non intendantur, vel remittantur, quantum intenſibiles, & remiſſibiles ſunt, eſt deffectus agentis extrinſeci, quod terminos extrinſecos qualitatibus præfigit.

Titu-

Titulus III.

Alteratio, Intenſio, & Remiſſio.

GEnerationi ſubſtantiali inſeruit accidentalis, quæ ex eo, quòd ſubiectum alterum fiat, dicitur Alteratio.

173 *Deffinitur itaquè mutatio in paſſionibus, ſeu qualitatibus contrarÿs, aut medÿs manente eodem ſubiecto ſenſibili.*

Ideſt *mutatio in paſſionibus contrarÿs*, nempè in primis qualitatibus, *medÿs* verò nempe ſecundis ex primis deriuantibus; *manente eodem ſenſibili ſubiecto*, videlicet ſubſtantialiter, quod non remanet in Generatione ſubſtantiali. Per ly *mutatio* genericè ſe habet ad Generationem, in cæteris differt.

Alterationem corruptiuam ſucceſſiuè fieri, tum quoad extenſionem, tum quoad intenſionem experientia conuincit, non deberi autem ſucceſſionem huic motui ſimpliciter ex natura ſua, dictat eſſentia qualitatum, quarum nulla talis eſt, quòd in inſtanti non poſſit produci ſaltem ſupernaturaliter; ſed

174 *Vtraquè ſucceſſio dicta in Alteratione corruptiua cauſatur à reſiſtentia, tum actiua, tum formali qualitatum corruptiuarum.*

Reſiſtentiam actiuam, quam & poſitiuam, dico *actum primum proximum qualitatis ex ſe determinatum ad producendum aliquid eiuſdem qualitatis incompoſſibile naturaliter cum ſuo contrario, illiuſquè vires imminuens*; formalem, quam & negatiuam *informationem alicuius formæ incompoſſibilis cum contrario, ex vi cuius ſui conſeruationem qualitas intendat; & contrarium impediat, nè introducatur.*

Has

Has Reſiſtentias cauſare ſucceſſionem in Alteratione euincitur, quia non prouenit ex natura qualitatis corruptiuæ, quæ non petit ſucceſſiuè fieri ſimpliciter, Alteratio vero eſt motus, atque adeo naturam termini ſequitur; neque aliud ſuppetit, cui adſcribi poſſit, ergo &c. Adde, quòd naturaliter introducitur ſemper qualitas corruptiua in ſubiectum contrario affectum, ergo cum in inſtanti vinci contrarium non poſſit, nec alterum poterit introduci, quæ ſinè dubio à Reſiſtentia actiua, & formali qualitatum corruptiuarum prouenit; & hinc eſt, quòd breuiori, vel diuturniori fiat tempore Alteratio, quo maior, vel minor eſt Reſiſtentia contrariorum, ſicut etiam inde eſt, quòd motus ad qualitates, merè perfectiuas inſtantaneus ſit, non ſucceſſiuus.

175 *Quantumuis autem ſucceſſiuè fiat Alteratio, non ſit tamen per inſtantia interpollata, ſed motus continuus eſt, tum intenſiuè, tum extenſiuè.*

Si quid valet experientia, ſtat pro hoc aſſerto in manu igni applicata, continuata enim percipitur ſenſatio caloris. A priori vero militat ratio, quia eo tempore intermedio, quod dicunt interpollationis, non poteſt agens v. g. ignis ab operatione ceſſare, eſt enim agens neceſſarium, cuius vires in actum exire debent, quoties iuſtum non obſtat impedimentum, aſſignetur verò vel leue, quod non ſit gratis inuentum? Da præterea duo agentia quorum alterum valeat v. g. vt ſex, alterum vt duo, duobus paſſis æquè diſpoſitis applicata, dum primum minimum ſuæ qualitatis producit; ſecundum producet etiam alterum minimum, vel non? ſi ſic, ergo effectum æquè perfectum darent vtraquè; ſi non, ergo agens neceſſarium in debitis circumſtantijs naturaliter non aget; vel ſi quid minus, ergo ſemper aget; quod idem vrget de tempore, quod dicis interpollationis.

Quoniam verò alterari nequit ſubiectum, quin inten-

tendatur, vel remittatur qualitas, Intenſionem, & Remiſſionem breuiter dabo.

176 *Eſt Intenſio additio eiuſdem qualitatis in eadem parte ſubiecti.*

Additio; quia fieri non poteſt intenſio qualitatis, niſi per nouam partem qualitatis eiuſdem priori perſeueranti addita, vt mox oſtendam; *eiuſdem qualitatis*; quia ſi diuerſæ ſint; iam non erit Intenſio qualitatis eiuſdem; ſed plurium immixtio, & temperatio; *in eadem parte ſubiecti*, ad differentiam extenſionis, quæ non in eadem, ſed in diuerſis partibus ſubiecti qualitatem diffundit.

Remiſſio ex his erit *deſitio eiuſdem qualitatis ſecundùm diuerſas ſui partes in eadem parte ſubiecti*; & patet ex Intenſione.

177 *Fit ergo qualitatis Intenſio per additionem partis ad partem eiuſdem qualitatis in eadem parte ſubiecti.*

Patet primò, quia nullo aptiori modo ſaluari poteſt; neque enim ſubſiſtit, quòd intendatur qualitas per ſolam expulſionem contrarij; tum quia in alteratione perfectiua habetur Intenſio, & non habetur expulſio contrarij; tum quia nihil obeſt, quin intendatur calor, nulla facta frigoris expulſione, ſaltem ſupernaturaliter, ergo intenſio non erit contrarij expulſio; tum etiam quia ſi fit per expulſionem, & non expellitur contrarium in inſtanti, neque in inſtanti intenditur qualitas, vt ex 174.; iam contrarium habet partes, ſecundùm quas expellatur, ergo etiam ſecundùm quas introductum fuerit, ergò congruentiùs per partes intenditur: Neque ſubſiſtit, quòd noua perfectior qualitas producatur imperfectiori corrupta, quia gratis omninò conſtituitur hæc qualitatum perfectiorum, & perfectiorum ſeries; quod enim ſingulariter mouet, eſt quòd accidens indiuiduetur à ſubiecto, verùm falsò, vt ſuo loco; immò eandem vir-

 tutem

autem indiuiduationem habet ſibi ſimul, an ſuc-
ceſſiuè, cur ergò qualitatem imperfectioris indiuiduat
cum primò producitur, quàm cum poſteà? Secundò,
aſſigna à quo corrumpatur imperfectior calor, dum
perfectior producitur; Tertiò, ſicut intenditur qualitas
per productionem perfectioris imperfectiori corruptæ,
ità remitti deberet per corruptionem perfectioris im-
perfectiori reproducta, vel aſſigna diſparitatem; & ſi
concedis hoc, da cauſam productiuam caloris imper-
fectioris; deniquè hoc nequis aſſerere de Habitibus,
qui intenduntur ab actibus ipſis, quos producunt in eo-
dem inſtanti, corrumpi ergo non poteſt remiſſior Ha-
bitus.

Neque tertiò ſubſiſtit, quòd fiat intenſio per maiorem radicationem eiuſdem qualitatis, ſiuè dicatur conſiſtere in noua perfectiori exiſtentia, vel vnione, vel in alio ſimili, quia radicari eandem qualitatem nunquam erit eam intendi, & intenſiorem effectum formaliter nunquam dabit, ſed ſolùm eundem firmiùs, quantumuis enim radicetur ſemper dabit effectum vt duo; & ſi dicas eſſe vt octo etiam initiò, ergo etiam tunc vt octo debet cauſare; poſteà hæc noua vnio, vel exiſtentia nunquam eſt nouus calor, ergo nunquam faciet magis calidum; tertiò, gratis præcedens corrumpi aſſeritur, cum dabilis non ſit cauſa; immò ſi valet hoc de qualitatibus, nihil obſtat, quin aſſeratur de formis ſubſtantialibus, præterquam quod, quod dicis de exiſtentia falſum eſt, vt alibi; & ſi verum eſſet, omnis formarum diuerſitas refundi poſſet in ſolam exiſtentiam, vel ſolam vnionem, & tolli omnis diuerſitas ſpecifica.

Tandem vniuerſaliter, quia motus ad quale, & motus ad magis quale non differunt ſpecie, quæ enim differunt ſecundùm magis, & minus eiuſdem ſunt ſpeciei; ergo motus ad qualitatem, & ad intenſiorem qualitatem non

differ..nt ſpecie, ergo nec terminu.. ſi verò inten..o fieret per modum nouum radicationis, quicunque ille ſit, iam eſſet ad terminos ſpecie diuerſos; ergo ſpecie differet.

Patet ſecundò, quia ſicut haberi non poteſt effectus formalis ſimpliciter ſine cauſa formali ſimpliciter, ità nec perfect.or ſine perfectiori cauſa, ergo nec perfectius calidum erit, nec perfectior calor v. g. niſi addatur pars ad partem in eadem parte ſubiecti, ergo &c. Inſuper ſicut dicis intendi, quia eadem qualitas radicetur in eadem parte ſubiecti, cur non etiam quòd extendatur, quia eadem qualitas acquirat exiſtentiam, vel vnionem, vel aliquid ſimile in alijs partibus ſubiecti? da ergo partem ad partem addi.

178 *Quæ tamen partes Intenſionis, ſeu gradus dicas, non ſunt indiuidualiter, aut ſpecificè etherogeneæ, ſed penitus homogeneæ.*

Primò, quia gratis omnino confingitur quæcumque etherogeneitas in partibus Intenſionis; Secundò, quia egregiè ſaluatur Intenſio per additionem ſimilis ad ſimilem in eodem ſubiecto, vt patet in moralibus, & phyſicis etiam, vt ſi obolum obolo, libram libræ addas; Tertiò, quia etherogeneitas ſpecifica tollit vnibilitatem plurium ad faciendum vnum, niſi alterum ſe habeat, vt potentia, alterum vt actus; Quartò, motus alteratiuus non eſſet vnus, ſed multiplex ſpecie, tum in ordine ad eandem qualitatem intenſam, tum in ordine ad eundem gradum intenſiorem; Quintò, quia nihil eſt aſſignabile in quo conſiſtat hæc etherogenea perfectio, ſicut nec aſſignabilis eſt ratio, cur ſi duo gradus, quos primos dicis, ponantur in eadem parte ſubiecti, non faciant intenſiorem qualitatem; Sextò, ſi in peripheria diſtribuas decem ignes v. g. eiuſdem virtutis, vel decem candelas eiuſdem intenſionis, quis neget intenſiorem in

medio eſſe calorem, & lumen, quàm ſi vnus ignis, vel vna extaret lucerna? Septimò, quando nam euidentiùs ſequitur actu infinitum cathegorematicum, quàm ſi admittas etherogeneitatem? certè ſecundus gradus v.g. cum ſit diuiſibilis in infinitum habet actu infinitas partes, quæ cum ſint partes ſecundi gradus erunt eſſentialiter perfectiores omnes, & ſingulæ primo gradu intenſiuè, licet entitatiuè minores, ergo erunt actu infinitæ partes perfectiores vna certa, ergo infinitum in intenſione; Octauò, quia ſaluari non poteſt etherogeneitas in qualitatibus ſpiritualibus, & phyſicis, ſed æquiuocè operantibus, ergo nec in primis; Neque enim aſſerere iure potes, quòd Petrus v.g. in gratia vt vnum, & intenſiſſimum actum charitatis eliciat, minus gratiæ augmentum acquirat, quàm Paulus in gratia vt duo remiſſiſſimum actū eliciens eleemoſynæ v.g.; vel quòd libra plumbi, libræ addita non magis grauitet; vel etiam quòd non fortiùs trahant duo eiuſdem virtutis idem pondus, quàm vnus ſolùm; aut quòd duo ſonora eiuſdem virtutis percuſſa ſimul maiorem non edant ſonum ſi ſimul percutiantur, quàm ſi alterum illorum; dicens verò quòd ſit maior effectus extenſiuè tollis experientiam, qua percipitur intenſior effectus.

Titulus IV.

Condenſatio, & Rarefactio.

CORpora genita alterantur in dies, alterata addenſantur, vel rareſiunt, maius hinc modò, modò minus diuertuntur ad ſpatium ſupra naturalem illorum exigentiam intrà tamen certos terminos, neque enim rareſit aqua vnius libræ ad molem montis, vel addenſatur

ad Sinapis paruitatem, ſed ad determinatam menſuram, intra quam, quantumlibet condenſetur, vel rareſiat, fit quidem cum aliquali violentia, ſed non contra naturam aquæ, hos igitur motus Rarefactionis, & Condenſationis decernere opus eſt.

179 *Rarum in concreto tradit Philoſophus per hoc, quod ſub magis dimenſionibus parum habet materiæ; denſum, quod ſub paruis dimenſionibus plurimum materiæ habet.*

In concreto vtpotè ſenſibilius deſcribitur vtrumquè. Ly *materia* vniuerſaliter pro quacumquè ſubſtantia ſupponit, quæ conſtipari, & dilatari eſt capax, non pro ſola materia prima.

Vndè facilè habes Condenſationem eſſe eam actionem, *quæ corpus adducit à maiori extenſione ad minorem dimenſionem*, Rarefactionem verò, *quæ corpus à minori extenſione ad maiorem dimenſionem reducit.*

180 *Porrò actio rarefactiua, & denſatiua non conſiſtit in ſolo motu locali, ſed eſt modus actionis ab illo realiter diſtinctus.*

Aliàs quoties mouetur corpus, rareſieri deberet, & denſari; præterea non habet pro termino ſolam præſentiam localem dictam, ſiuè ſucceſſiuam, ſiuè permanentem, ſed aliquod aliud, quod rem à maiore ad minus ſpatium reſtringat, vel à minori ad maius dilatet, ergò erit actio realiter à dicto motu diuerſa.

181 *Condenſatio non conſiſtit in corruptione aliquarum partium quantitatis, vel etiam totius præcedentis quantitatis, & productione alterius minoris, ſicut rarefactio non conſiſtit in productione nouæ maioris quantitatis, aut nouarum illius partium.*

Ratio eſt primò, quia in denſatione aſſignari non poteſt cauſa corruptiua illius quantitatis, vel totius, vel ſecundùm partes, nec quidquam exigens, quòd corrum-

rumpatur à Cauſa Prima, & ſi quid detur, quod huiuſmodi corruptionem exigat, in hoc ſtabit Denſitas, non in corruptione quantitatis; ſed etiam dato hoc, non das Condenſationem, quæ eſt aliquod poſitiuum, de nouo, & vt quo, & vt quod, ſed das corruptionem alicuius poſitiui; Recurres verò ad productionem nouæ, ſed minoris quantitatis, duriùs in ſcopulum infringeris, quid enim mouere poteſt ad productionem nouæ huius quãtitatis? Secundò, quandonam indiuiſibilis eſt quantitas, vt dum ſemel corruptioni ſubditur, vel productioni corrumpi debeat, vel produci tota, quòd in Rarefactione etiam viget? immò formaliter Denſatio, & Rarefactio nihil aliud erit, quàm Accretio, & Diminutio, & tamen nec tibi placere poteſt, quòd ſint vnum, & idem, ſi rem conſideres.

Præterea, dum rareſit corpus, nouaque quantitas gignitur, vel producuntur etiam nouæ partes materiæ, formæ ſubſtantialis &c. vel non; ſi illud, ergo rareſieri eſt formaliter augeri, & accreſcere; ſi hoc, ergo non rareſit ſubſtantia corporis, ſed ſola variatur quantitas, & quomodo ad ſolius quantitatis motum mouetur, dilatatur, & reſtringitur tota corporis ſubſtantia? Vndique ergo torqueris.

182 *Neque ſaluari poteſt per cauitates, & rimulas quaſdam in corporibus, quæ in Denſatione ſtipentur, in Rarefactione dilatentur.*

Quia non poſſet fieri, niſi admittendo aliquid vacui in ſingulis corporibus, à quo indiſpenſabiliter abhorret natura vt ex 114. nec vitari poſſet ex corporum connexione, quæ tanta eſſe non poteſt, vt ſumma etiam violentia aliorum corporum ſupplere queat in deffectum corporum præſertim hyemali tempore, quo maximè ex frigore conſtipantur. Repugnat præterea cum ratione Rari, & Denſi, etenim ſub illis dimenſionibus non eſſet

mul-

[illegible], vel partium materiæ, ſed [illegible], vel partium vacuitatis.

183. *Non etiam ſtare poteſt in ſola excluſione, & incluſione corpuſculorum intra partes poroſas denſabilis, & rarefactibilis, aut etiam, vt aliis placet, in excluſione, & incluſione ſpatiorum humidorum in corporibus ſolidis, & partium ſuperfluarum in corporibus fluidis.*

Primò enim huiuſmodi corpuſcula, vel diuiſibilia ſunt, vel indiuiſibilia; ſi hoc, nihil iuuare poſſunt denſationem, & rarefactionem; quia indiuiſibile nullam extenſionem facit; ſi illud, aut hæc corpuſcula eiuſdem ſunt rationis, & verè vniuntur, & diſcontinuantur phyſicè à condenſabili, & rarefactibili, & dant Augmentationem, & Diminutionem; aut ſunt diuerſæ, & merè præſentialiter ſe habent, & omnem tollis continuationem in corporibus, maximè rarefactis. Secundò, repugnat cum Raro, & Denſo, quia non haberet Rarum parum, ſed multum materiæ; Rarum verò non multum, ſed minus haberet materiæ ſub minori dimenſione. Tertiò, ad quid cum tanta violentia franguntur vaſa dum liquores occluſi condenſantur, ſi corpuſcula de poris excluſa idem ſpatium valent occupare?

184. *Minus ſtat vera ſequitur Condenſatio, & Rarefactio in penetratione, & expenetratione partium corporis denſabilis, & rarefactibilis.*

Principaliter, quia ſi ſemel admittatur naturaliter penetratio aliquarum partium, non eſt cur cæteris negetur, maximè vbi imminet periculum vacui, & tanta cum violentia corpora etiam robuſtiſſima infringit, attenuat, vel diſſoluit natura, cum per ſolam denſabilis, & rarefactibilis partis penetrationem, & expenetrationem totali imminenti periculo ſubuenire poſſit. Vlterius indiſpenſabiliter naturaliter diſtinguit à quantitate, tan-

quam à neceſſaria illius radice impenetratio, ergo repugnat cum corpore quanto penetrari etiam ſecundùm quid; inſuper, ideo laborant Doctores Philoſophi in explicanda Rarefactione, & Condenſatione, vt poſſint ſaluare corporum impenetrationem, vacuum euitare, & ſimilia, à quibus cum natura vniuerſa abhorret Philoſophia, ad quid ergo adeo facili indulto penetrationem, & expenetrationem, vel ex parte concedis?

185 *Falſum autem maximè eſt, quòd rareſiat, vel condenſetur corpus per maiorem continuationem, vel diſcontinuationem indiuiſibilium, ex quibus integratur:*

In primis, quia falſum componi continuum indiuiſibilibus, vt oſtendi conclu. 98. poſteà, quia non magis diſcontinuari, aut vniri poſſunt indiuiſibilia, quàm dum ſecundùm ſe totà deuniuntur, vel continuantur, ſi igitur ſemel, iam quia deſtruatur, vel reproducatur continuum.

186 *Melius ergò, & probabilius dicuntur rareſieri, & condenſari corpora cauſaliter per productionem qualitatis exigentis maiorem, vel minorem præſentiam localem corporis, quod afficiat; formaliter verò in ipſa maiori, vel minori præſentia locali.*

Ita ut ex naturali cuiuſuis corporis temperatione reperiatur quidem in ſingulis exigentia quædam naturalis ad occupandum tantum ſpatium, ſeu ad habendam tantam extenſionem, & non maiorem, vel minorem, diuerſa diuerſis in corporibus, tamen actu tanta, vel talis extenſio proueniat ab aliquo exiſtente in corpore, quod talem extenſionem petat, & præſentiam; quòd ſi maiorem petat, quàm naturali corporis temperaturæ debeatur, iam Raritas erit, ſi minorem Denſitas; actio verò terminata ad primum Rarefactio, ad ſecundum Condenſatio; dixi autem *cauſaliter per talem qualitatẽ,*

quia

quia ipſa non eſt formalis extenſio; & præſentia, ſed eſt illius radix, ipſa verò præſentia eſt, quæ tanquam ratio formalis corpus extendit, vel coarctat iuxta exigentiam ſuæ cauſæ.

Sic dilucidata res facilè patet, primò quia aptius nihil occurrit, cui tribui poſſit huiuſmodi clariſſimus effectus. Secundò, ſic adamuſſim oſtenditur, quomodo idem corpus ſinè vlla, vel ſui, vel quātitatis læſione rareſiat, & denſetur; quomodo nullum immineat naturæ periculum; quomodo magnam materiam habeat Denſum in parua mole, paruam verò in magna Rarum; quomodo tandem eædem omninò partes corporis in ſe inuariatæ, ex vi talis qualitatis, qua afficiuntur, modò maius, modò minus occupent ſpatium, ſemper tamen intra latitudinem terminorum, ad quos extendi, & reſtringi poteſt naturaliter corpus, ex vi contrarij agentis iuxta maximum, & minimum extenſionis, & reſtrictionis, quod cuilibet corpori ſtatuit natura, quod procul dubio fit ſemper per acquiſitionem, & deperditionem qualitatis rarefactiuæ, vel denſatiuæ, & præſentiæ localis.

Titulus V.

Conditiones Actionis.

PRimarias dedi Actiones, quibus ſubditur corpus generabile, & corruptibile, aliquas etiam illarum actionum ſubſcribam conditiones, quibus limitaſſe videtur Natura agentis finiti, & maximè corporei potentiam.

127 *De facto nulla actio naturalis exerceri poteſt ab agente naturali niſi intrà determinatam ſphæram, maiorem,*

iorem, aut minorem iuxta diuerſam eius actiuita-
tem perfectionem cauſarum.

Dogma eſt, & fundamentum philoſophicum, oculatæ experientiæ auctoritate firmatum; enim verò nullum eſt agens, quod vltra terminos quoſdam ſuam vim operatiuam extendat; ſic ignis quò maior eſt, magis dilatat calorem, obiectum ſpecies, & ſimilia, ex quibus inferre licet quodlibet naturale agens ſphæram ſuæ actiuitatis ſibi decernere.

188 *Quod verò nullum agens naturale vnquam producit tantam qualitatem in externum ſubiectum, quantam in ſe habet; actio quando extra ſuam ſphæram procedit, vniformiter difformis.*

Antecedens huius aſſerti patet primò experientia; ignis enim in lignum tantum caloris non producit, quantum in ſe habet, nec lucerna tantum lucis, quanta in ipſa cernitur, & quò diſtant magis, minus agunt. Secundò, quia alioquin quilibet ignis etiam minimus poſſet calefacere ad quamcumque diſtantiam, & ad quamcumque intenſionem, produceret enim calorem v. g. vt octo in ſubiectum externum, qui rurſus ſimul calorem intenſiorem producere poſſent, in aliam partem ſubiecti externi, & ſic deinceps. Adde, quòd non agit immediatè ſubſtãtia in externum ſubiectum, vt ex 161, ſed agit per accidentia, quæ cum propter diſtantiam paſſim, tum quia repatiuntur à contrario, nunquam poſſunt perfectè aſſimilare ſibi paſſum; ſi enim eſſet agens penetratiuum cum paſſo ratione ſummæ applicationis produceret v. g. qualitatem vt octo, ergo dum non eſt penetratiuum, ſed diſtat ratione minoris applicationis, minus qualitatis poterit producere; ergo ſi nunquam naturaliter eſt agens ſummè applicatum, nunquam aget quantum poteſt; ergo nunquam aſſimilabit perfectè ſibi paſſum.

Sequentia verò inde oſtenditur, quia ſi non producit agens in externum ſubiectum tantam qualitatem, quantam in ſe continet, ergo minus in prima parte ſphæræ, minus in ſecunda, & minus in alijs remotioribus producet, donec ad vltimum ſphæræ pertingat, hoc autem eſt vniformiter difformiter agere; item ſi ab vltimo ſphæræ corporis luminoſi, vel obiecti viſibilis incipias videre vix lumen percipis, & obiectum; ſi magis, clarius; ſi magis, totum cernis & lumen, & obiectum, ergo quia ſpecies, & lumen diffundit luminoſum, & viſibile ſpeciem per ſphæram vniformiter difformiter; dicito hoc ipſum de omni actione, vt patet.

189 *Ratione huius vniformitatis difformis decreſcit actio in ſphæra geometricè, ſeu per partes proportionales, non per partes aliquotas, aut arithmeticè.*

Sequitur ex præcedenti, & ex 100. ſubiectum enim eſt diuiſibile proportionaliter, & ſecundùm partes, in quas diuiſibile eſt, diſtat proportionaliter à puncto actiuitatis agentis; agens inſuper vniformiter difformiter agit ratione diſtantiæ paſſi, ergo ſecundùm diſtantiam proportionalem partium paſſi aget agens, producetur qualitas, decreſcet actio; vrgeo, quia ita ſe habet in vltimo ſphæræ palmo pars D ad E, ſicut in penultimo pars C eius ad D vltimi, ſed D minùs diſtat quam E, & propterea plus recipit qualitatis, ergo etiam C minus diſtabit quàm D, ac proinde plus recipiet; quia verò quælibet pars adhuc diuiſibilis eſt in infinitum, & ſecundùm partes incluſas proportionaliter diſtat à puncto dabili actiuitatis, neque enim diſtat æqualiter ſecundùm ſe totum, ergo proportionaliter recipiet, ergo proportionaliter aget agens, producetur qualitas, decreſcet actio, quamuis deſignari non poſſit, niſi pars aliquota, quòd æquè vrget etiamſi componas continuum ex indiuiſibilibus, cuius tamen oppoſitum dedi concl. 98, & 99.

190 *Nulla*

190 *Nulla actio phyſica realiter fieri poteſt ſine contactu phyſico, ſaltem virtuali; ſeu nulla phyſica operatio poteſt attingere naturaliter ſubiectum diſtans.*

Dixi *naturaliter*, quia abſolutum poſſe nulla tollit ratio; immò ſicut ſupernaturaliter replicari idem, penetrari duo, producere creaturam ſupra vires non repugnat, vt 112. 115. & 58. oſtendi, ita neque hoc, vel da diſparitatem; præterea effectus in ſubiectum diſtans genitus, neque quoad ſubſtantiam, neque quoad modum excedit vim agentis obedientialiter eleuati, eſſet enim ignis v. g. eductus de potentia ſubiecti, ſolaque conditio actionis variaretur; neque aliud quidpiam obſtat, quod videam ex ijs, quæ naturaliter repugnant.

Fundamētum autem concluſionis eſt primò, in auuerſione naturæ à vacuo, ne impediantur actiones, ergo quia petit naturaliter fieri indiſpenſabiliter actio per contactum ſaltem virtualem, non ſecus, ac petat locus ſemper repleri corpore ex 114. Secundò in experientia, actu enim quoties inter agens, & patiens accedit corpus ineptum agentis influxum recipere, & ad paſſum transferri, impeditur actio; Tertiò in natura actionis, quæ accidens cum ſit, & modus, non niſi continuata inter agens, & paſſum, effectum poteſt præſtare in paſſo naturaliter; Quartò in vnione inter entia creata, quam ſummè amat natura, & experimur, quòd quo magis inter ſe diſtant minus cõmunicant, ergo ſi adeo diſtent, quòd nihil mediet ad communicationem nihil agent, & tamen ſumma hac in colligatione, & contiguitate ſubſiſtit Vniuerſum.

191 *Inter duo agentia ſimilia in qualitate, & gradu, licèt ſpecificè diſſimilia hoc eſt in alijs conditionibus, non poteſt procedere actio phyſica; ſeu vt agens agat, requirit paſſum ſibi diſſimile, ſaltem in gradu.*

Probatur, quia ideo agens agit, quia eſt in actu, paſſum

paſſum patitur, qu a in potentia, agens enim agit dando eſſe, paſſum recipiendo, neque recipit, quod iam habet, neque agens dat, quod non habet vel formaliter, vel eminenter ſaltem, & actio eſt id quo ab agente communicatur paſſo tale eſſe, hoc verò eſt vnum eſſe in actu, aliud in potentia, ergo nulla actio procedet ab agente ſimili in qualitate, & gradu, alioquin fruſtrabitur actio ſuo fine; Vnde

Confirmatur primò, quia ideo agit agens, vt producat ſibi ſimile, vel paſſum ſibi aſſimilet, ſi eſt, & diſſimile ſit, ergo ſi ſimile reperiat, non eſt cur operetur; Secundò ex incómodis, aliàs enim poſſet idem agere in ſe ipſum, poſſent duo ſimilia, ſe in infinitum intendere, & tandem tantum abeſt, quòd paſſum ſibi aſſimilaret, quin potius diſſimilaret; immò non eſſet, cur remiſſius non ageret in intenſius ſe: Tertiò moles, denſitas, & ſimilia ſunt meræ conditiones ſæpè, non virtus agendi, ergo iuuant quidem ad melius, ſed non ad intēſius agendum, ergo quantumuis augeantur hæ conditiones celeriorem reddent, non intenſiorem actionem, ergo ſtante ſimilitudine graduali qualitatis in agente, & paſſo, non procedet actio.

192 *Minus poteſt actio tendere in ipſum agens, ſi ſit deſtructiua, vel vniuoca, licèt non videatur adeo incongruens, ſi æquiuoca.*

Quoad actionem deſtructiuam certum eſt, quia nulla actio poſitiua tendit in deſitionem ſui termini, multo minus in deſitionem ſui principij, aliter in eodem ſigno eſſet, & non eſſet; eſſet, quia ſupponeretur exire à ſuo principio; non eſſet, quia ſimul deſineret principium, à quo procederet, non poteſt autem eſſe modus deficiente modificato; præterquamquod nimis valde læderetur natura, quæ vim actiuam dedit cauſis ad ſui conſeruationem, & propagationem, non ad ſui deſtructionem,

nem, à quo degenerare non poteſt actio, quæ eſt id, quo agens virtutem ſuam reducit ad actum.

Quoad actionem vniuocam etiam, quia nihil magis ſimile, quàm idem ſibi, ergo ex vi præcedentis tollitur actio vniuoca eiuſdem ad ſe; præterea quid producere debet in ipſo agente actio vniuoca? an ne quod in eius virtute non continetur? vlterius, vel aliquid illius qualitatis habet agens, vel non; ſi hoc, ergo ea actio eſſet à ſubſtantia ad accidens; ergo eſſet æquiuoca; ſi illud, ergo ſicut poterit aliqualiter ſe intendere, poterit etiam ſemper, & ſemper donec, vel ad ſummam intenſionem perueniat, vel debitam ſibi menſuram etiam excedat, quæ omnia repugnant.

Quoad actionem æquiuocam certiſſimum eſt in quocumque agente reſtituente ſibi debitam temperaturam qualitatum, vt in aqua calefacta, manu alterata, igne repaſſo, & ſimilibus, immò ex debito naturæ, vt res à contrario tutiores ſint, & ſi quando patiantur violentiam, poſſint in priſtinum redire.

193 *Inter agens, & patiens naturale datur reactio ſecundùm eandem partem, contrarietatem, & eodem tempore.*

Dixi *ſecundùm eandem partem, & contrarietatem, & eodem tempore*, quia extra has circumſtantias minus dubitatur, ſi tamen cæteras haberet conditiones agens, & paſſum, videlicet, quòd ſint ambo materialia, ſi ſibi applicata immediatè, ſi alterum intra alterius ſphæram, ſi actione corruptiua agant, ſi denique aliqua opponantur proportione;

Tum ſic ſuadeo aſſertum, quoties agens, & paſſum ſunt in his circumſtantijs, & diſpoſitionibus, ſunt agentia debitè applicata, & quoties agentia naturalia debitè ſunt applicata, non eſt cur non agant, ergo &c. datur prætereà elementorum mixtio, quæ non niſi à reactione

oriri

oriri poteſt; & tandem, quis neget repàti modò agentia naturalia, ſi videmus ferrum candens aquæ iniectum frigeſcere, aquam incaleſcere; glaciem manu attrectatam liqueſcere ex calore manus, frigeſcere manum; & ſimilia? quid clarius, quàm quòd in nobis ipſis per nutritionem experimur?

Titulus VI.

Elementa, & Mixta.

EX elementorum mixtione, & contrarietate oriri corporum corruptibilitatem indubitale eſt, ex quo infertur ab aliquibus, Cælorum incorruptibilitas, quia ſimplex ſit; de his ergo aliqua expendenda.

194 *Eſt elementum illud corporum, in quod cætera corpora diuiduntur, in quibus ineſt, vel actu, aut potentia; ipſum autem indiuiſibile eſt in diuerſa ſpecie.*

Dicitur *illud corporum*, quia corpus completum, eſt Elementum ex materia, & forma compoſitum, per quod à ratione Elementi excluduntur materia, & forma, quæ partes ſunt, non corpus; *in quod cætera diuiduntur*, hoc eſt reſoluuntur mixta omnia; *in quibus ineſt actu, vel potentia*; vel quia actu remaneant formaliter in mixto ſecundùm formas ſubſtantiales; vel quia tantùm virtualiter; de quo infra; tandem *ipſum autem indiuiſibile eſt in diuerſa ſpecie*, vt diſtingiatur à mixtis; ly enim *ſpecie* ſumitur pro ſpecie completa, vnde ſi diuidatur Elementum in partes, diuiditur in plura numero, ſi diſſoluatur, diſſoluitur in materiam, & formam, quæ ſpe-

cie

rie diuerſa non ſunt, niſi incompleta. Genus habes in eo, quòd ſit corpus, in cæteris differentiam.

195 *Quattuor ſunt prima corpora ſimplicia, ſeu prima elementa Aqua, Aer, Terra, & Ignis.*

Colligitur primò ex eo, quòd nec infinita ſunt, cum naturaliter repugnet infinitum, nec vnum ſolum, alioquin nulla eſſet mixtio, nulla generatio, nullus motus localis diuerſus, qui cernitur, ergò tot erunt, quot motus ſimplices, at hi ſunt quattuor, videlicet ſurſum, & deorſum ſimpliciter, ſurſum, & deorſum ſecundùm quid, ergo quattuor corpora ſimplicia, quibus naturaliter debeantur. Secundò ex quadruplici vtili combinatione primarum qualitatum, nempè calidi cum ſicco, calidi cum humido, humidi cum frigido, frigidi cum ſicco; neque enim omnes vni corpori, neque binæ, vel ternæ eidem competere poſſunt, ſed ſingula ſingulo, ergo quadruplex infert Elementum. Tertiò ex experientia, cernimus enim in hæc quattuor reſolui mixtũ ſi corrumpatur, hæc quattuor ſufficiunt ad vtilem mixtionem, minora, vel plura non proſunt, ſed confuſionem gignerent, ergo probabiliſſimum eſt eſſe quattuor dicta.

196 *Dantur de facto hæc quattuor corpora ſimplicia Aer, Aqua, Ignis, & Terra.*

Apparent in mixtorum reſolutione, ſemper enim pars aliqua grauior, & conſiſtens, quæ terra eſt, leuior altera, quæ aer, altera humida, quæ aqua, & altera fumoſa, quæ non niſi ignis eſt, ſecernitur; relucent etiam in mixtis actu; iuxta enim diuerſam illorum naturam videmus aliud conſiſtentioris partis prædominio deorſum ferri, aliud humidioris liqueſcere, aliud leuioris attenuari, facilèque eleuari, aliud ſpiritoſioris maximè accendi, & ſubito ſurſum ferri, quæ in corporibus, (quæ aliundè noſcimus non eſſe ſimplicia) non niſi ex mixtione ſimplicium inexiſtentium, coexiſtunt; & ſi

non mixta dicas, hæc ipſa ſunt prima corpora, ergò dantur. Certè ſciuntur, etiam ex eo quòd in vno quoq; genere compoſiti debent dari prima componentia, quæ ex alijs non ſint compoſita, alioquin in infinitum res abiret, quod in componentibus abſurdiſſimum eſt, quia tendunt ad eſſe rei, magis quàm in integrantibus, quæ in ordine ad diuiſionem tendunt ad non eſſe; ſed non plura de re certa.

197 *Elementorum formæ non ſunt primæ qualitates, vel ſimplices, vel combinatæ, ſed actus ſubſtantiales, quibus tanquam principijs actiuis, & paſſiuis debentur illæ qualitates.*

Quid enim certius, quàm quòd agant, & patiantur ad inuicem elementa; paſſa & repaſſa reſtituantur ab intrinſeco in priſtinum; ergo gignant ſibi ſimile augeantur, & minuantur, a'ijſque vigeant operationibus, quæ non niſi à principio actiuo ſubſtantiali intrinſeco procedere queunt? ſola ſiquidem materia actiua non eſt, nec reſtaurare poteſt accidentia læſa, cum ex ſe nihil minus in vnum, quàm in aliud inclinet; ni velis has ipſas, quas dicimus qualitates, eſſe formas ſubſtantiales, & iam ſub alio nomine das eandem rem; neque verò dici poſſunt formæ ſubſtantiales, quia certum eſt ſuſcipere magis, & minus refringi, & temperari inter ſe, quod ſubſtantiæ non poteſt conuenire, cuius eſt non ſuſcipere magis, & minus, & contrario carere, & indiuiſibiliter gigni, ac corrumpi; ergò quia verè accidentia alicui principio intrinſeco ſubſtantiali debita, ergo quia verè elementis inſunt ſuæ partes ſubſtantiales operatiuæ, & conſtitutiuæ.

198 *Hinc eſt, quòd inter ſe transmutabilia ſint, etiam immediatè.*

Sequitur inde; præterquamquod, quotidie cernitur experientia, aer enim in ignem, aqua in aerem, & vice-

verſa, &c. tranſmutatur, conueniunt præterea in materia, corpora actiua, & paſſiua, ſunt, ergo tranſmutari nō eſt dubium; immediatè etiam inter ſe pugnant, ergo quid obſtat, quin immediatè tranſmutentur, & vnum in aliud cædat? quamuis verum ſit faciliùs tranſmutari Symbolum in Symbolum, quàm diſſymbolum in aliud, ratione qualitatis vtriquè communis, quam corrumpi ſuperfluum eſt, vt colligere potes ex 118. Immò, ſicut tranſmutantur ad inuicem, & ex elemento gignitur elementum, ita etiam miſcentur ad inuicem, aut ex eo congreſſu, aut alio quoquo fato, & in mixtum declinant, propterea quòd

199 *Dicitur mixtio miſcibilium alteratorum vnio; Mixtum inde, vnitum ex miſcibilibus alteratis.*

Ly *vnio* ſupponit pro actione ipſa miſcente elementa, & gignente compoſitum, in quod miſcibilia dicuntur vniri, *aut actu, aut potentia*, vt mox; *Miſcibilium*, hoc eſt eorum plurium, quæ ad mixti generationem præexiſtuntur, tanquam termini à quo mixtionis; *Alteratorum*, hoc eſt inter ſe agentium, & reagentium ex qua actione, & reactione oritur temperies qualitatum, quæ inſeruiet vt diſpoſitio ad formam mixti. Ex quo habes, quòd mixtio dicit agregatum illud actionum, quæ intercedunt in pugna elementorum contrariorum; Mixtum porrò erit id, quod reſultat ex tali pugna.

200 *Datur de facto rigoroſa, & vera elementorum Mixtio.*

Conuincitur experientia, quoties enim inter ſe pugnant plura corpora ſimplicia euadunt in mixtum perfectum, vt ſunt maximè viuentia, vel in mixtum imperfectum, vt ſunt præſertim Meteorologica; in corporibus etiam, quæ mixta perfecta dicuntur, & ſunt homogenea, videmus omnes partes eiuſdem eſſe ratio-

nis,

nis, & ſi quid valet experientia à poſteriori, verum eſt, quòd ibi ſit vera forma ex mixtione genita, alioquin certè altera eſſet ignea, altera terrea &c, ſunt præterea, & conſiſtunt vt entia completa per ſe, & phyſicè perfecta immò & elementis perfectiora, vt colligere eſt ex operationibus, ergo quia genita ſunt ex rigoroſa mixtione; aliàs ſecundùm vnam partem vnius eſſent elementi, ſecūdùm aliam alterius, atquè adeò aggregata per accidens, in quibus ſubſiſtere non poſſet ſeries adeò varia, & perfecta operationum. Et tandem merè colligata in mixto tanta cum cōtrarietate ſtare non poſſent elementa, nec ſufficerent detineri à forma Mixti, verè igitur miſcentur, dum gignitur mixtum.

201 *Quæ in mixtione non remanent actu, ſeu formaliter, ſed tantùm potentia, & virtualiter elementa in mixto, ſeu elementa ſunt materia tranſiens, non permanens mixti; quatenus in mixto remanent illorum qualitates refractæ, & attemperatæ iuxta diuerſam exigentiam formæ mixti eminenter continentis formas elementares.*

Ratio eſt primò, quia non aliter remanere poſſunt formaliter elementa in mixto, quàm quòd remaneant eorum formæ ſimul cum forma mixti in eadem materia, vel quòd formæ elementorum integrent quandam formam, quam dicas formam mixti: Primum repugnat cum 25. & 26. & hæc eum ratione, vt ibi, ergo & hoc: Secundum non dat mixtum, & compoſitum per ſe ſubſtantiale, ſed aggregatum per accidens; ſecundò vrget ipſa elementaris tranſmutatio, quam certè tollere cogeris contra experientiam, ſi formaliter remanere queant elementa ſimul, inter ea enim, quæ ſimul ſtare poſſunt, non viget contrarietas, pugna, & tranſmutatio; Tertiò mixtum phyſicè corrumpi non negabis, ergò cum ſæpè in ſola elementa deueniat, ſanè quia gi-

Digitized by Google

gnantur de nouo formæ elementares, ergo quia formaliter non erant in mixto, alioquin corrumpitur totum, nullo de nouo genito, ergo quia immediatè tenderet natura in corruptionem totius; ſed efficaciùs quartò, quia nulla eſt neceſſitas mouens naturam ſeruare eas formas ſubſtantiales actu, & formaliter in mixto, conuenientiùs operatur ad exigentiam nouæ formæ mixti, ergo &c. do antecedens, dum gignitur mixtum, intendit natura perfectius genitum, ergo per formam perfectiorem, hæc maior perfectio non poteſt eſſe, niſi quia eminenter contineat quidquid formaliter elementum, ergo &c. : item non ſtant formæ elementares in mixto, vt qualitates debitas mixto in eo conſeruent; primò, quia eſt forma mixti ſufficiens principium; ſecundò ſæpè tantum abeſt, quòd ſeruari poſſint à forma elementi, quin potius ad talem reducantur temperiem, quod non ſufficiant ad formam elemẽti, & ſi verum eſt, quòd corruptis diſpoſitionibus neceſſarijs ceſſat forma ſubſtantialis, quid clarius, quàm non remanere formas dictas in mixto? Ant. verò patet in ſingulis mixtis, in quibus ſemper alterantur qualitates ad pondus, aut ad Iuſtitiam.

Cæterùm etherogeneitas partium, effectus anthiperiſtici, mixtorum reſolutio, aliunde procul dubio dimanant, vt patet conſideranti, quàm ex formis elementaribus, quæ ſint formaliter in mixto, & quando aliundè non ſuppeteret ratio; forma ipſa mixti eminentialiter perfectior poteſt quidquid formaliter elementum, mirum ergo non ſit, ſi exibet, quod elementum.

Titu

Titulus VII.

Virtutes Elementorum, & Mixtorum.

QVæ operantur, & patiuntur corpora actiua, & paſſiua, tàm ſimplicia, quàm mixta, non faciunt per propriam ſubſtantiam immediatè, vt oſtendi in præcedentibus, ſed per qualitates actiuas, & reſiſtiuas, quæ ad duplicem ſeriem reducuntur; aliquæ enim merè inſeruiunt corpori, in quo ſunt ad agendum, & reſiſtendum, vt ſunt quattuor vulgatæ, *Calor*, *Siccitas*, *Frigus*, *& Humiditas*, quæ dicuntur qualitates primæ ſpeciei ab alijs non ortæ; aliquæ verò ad operationes & reſiſtentias, maximè verò ad motus locales inſeruiunt, vt ſunt *Grauitas*, *Leuitas*, *Denſitas*, *& Raritas*, & his ſimiles, quæ qualitates ſecundæ ſpeciei dicuntur; His accedit *Impulſus*, *& Impetus*, quem inter qualitates tertiæ ſpeciei non incongruens eſt enumerare; aliqua ergo de his qualitatibus, & virtutibus.

202 *Qualitates dictæ dantur de facto.*

Non clariùs oſtendi poteſt, quàm in experientia crebra, & euidentiſſimè in quattuor anni tempeſtatibus, in quattuor corporibus ſimplicibus corruptibilibus, in ſingulis mixtis in quibus, vel attemperantur, vel ſæpè etiam ad prædominium vigent, vt quæ ex his in vno non cernitur, appareat in altero; ideò vix dubitari licet.

203 *Omnes quattuor qualitates primæ ſpeciei ſunt formæ poſitiuæ à ſubſtantijs corporum, quibus competunt, realiter diſtinctæ.*

Prob. quia omnes ſunt actiuæ, & reſiſtitiuæ, tum in ſubiecto, cui inſunt, tum etiam in externum ſubiectum;

 &ple-

& pleraſquè efficiunt mutationes, quas ſenſibus ipſis percipimus; quæ ſimplici negationi, vel priuationi; quas dicunt quipiam Frigus, & Siccitatem, tribui non poteſt; præterea inter priuationem, & formam non eſt oppoſitio contraria, atque adeo neque reſiſtentia actiua, & formalis, ergo ſi frigus v. g. eſſet priuatio caloris, non pugnarent inter ſe per mutuam actionem, & reſiſtentiam, ſicuti cernimus in dies, & calor produceretur in inſtanti, non ſecus ac lumen, quod talem ſui priuationem reperit in ſubiecto; item aqua calefacta reducens ſe ad priſtinum ſtatum, à quocumque procedat talis actio, non intendit in ſe priuationem, & deſtructionem caloris, ſemper enim actio poſitiua tendit in terminum poſitiuum; Rueret inſuper vis arguendi quattuor elementa ex vtili combinatione, immò aliquod eſſet ex elementis, quod admittunt omnes, videlicet Terra, quæ nullam haberet qualitatem ſibi propriam, ſed ſolis polleret priuationibus.

Quòd verò diſtinguantur realiter à ſubſtantia corporis, cui debentur patet primò ex eo, quòd ſuſcipiant magis, & minus; ſecundò, quòd ſæpè attenuentur, maximè in corpore, cui inſunt, vt Frigus in Aqua igni appoſita, in Aere hyberno tempore, vel Æſtiuo, & ſimilibus, vt vix ſufficiant ad formam conſeruandam, & tamen non corrumpitur, aut imminuitur forma ſubſtantialis; immò ſi ſtat forma aquæ cum calore intenſiſſimo oppoſito v. g., certè frigus, quod corrumpitur, non eſt ipſa aquæ ſubſtantia, neque calor, qui in aqua producitur eſt ſubſtantia ignis; idem proportionaliter differas de cæteris.

264 *Omnes etiam ſunt actiuæ, & reſiſtitiuæ tum poſitiuè, tum formaliter.*

Iuuat in hoc etiam experientia, videmus enim corpus humido appoſitum humectari, humidum ſicco exſicca-

i, calidum frigeferi, calene. i frigidum; item ſi humidum in ſicco proijcias, vel calidum in frigido, vides reſilire, conglobari, & quantum poteſt in contrarium conari, vt ſi aquam in puluere, plumbum liquatum in aqua, & ſimilia, ergo quia veræ virtutes ſunt actiuæ, & reſiſtitiuæ; Addè, quòd nihil inſeruirent ſubſtantiæ cui ſunt datæ, & tota reſiſtentia in formis ſubſtantialibus, nè euincantur, orirетur immediatè ab ipſa forma, cui tamen nihil eſt contrarium: Verum tamen eſt, quòd maioris actiuitatis ſuprà cæteras eſt calor, cui proximè accedit frigus, poſteà humiditas, ſiccitas poſtremo; in hoc verò compenſauit natura actiuitatem, quòd maiorem dederit reſiſtentiam formalem minus operatiuis, vt ſiccitati ſuprà humiditatem, Humiditati ſuprà frigus, Frigori ſuprà Calorem, vt videtur ſuadere experientia.

205 *Dantur etiam de facto virtutes motiuæ, nempè Grauitas, & Leuitas, tum in ſimplicibus, tum etiam in mixtis corporibus.*

Deducuntur primò ex eo, quòd non moueantur grauia, & leuia ad loca ſua naturalia ab extrinſeco, ergò à principio intrinſeco, hoc eſt à Grauitate, & Leuitate, tenet conſeq. prob. ant. quia non poſſent ab extrinſeco moueri, niſi per abſtruſionem à loco contrario, vel per attractionem à loco naturali, tum verò difficiliùs moueretur mobile maius in mole, quàm minus, nec velociùs moueretur in fine, quàm in principio, vt videmus fieri in proiectis, cuius tamen oppoſitum ſequitur quotidie; Secundò, quia improbabile eſt naturam cuilibet corpori ſuum naturalem locum decreuiſſe, & vim etiam intrinſecam, qua à contrario fugere, & ad debitum locum retrahi poſſet, non dediſſe; Tertiò manifeſtè apparent ex eo, quòd ſi v. g. follem aere plenum coneris manu detinere infrà aquam ſentis impelli manum ſurſum,

& ſi manum alteram ſupponas eam impelli nec ſurſum nec deorſum percipis, ergo quia principium illius impulſus ineſt aeri incluſo; ignis item incluſus, quanta vi explodit glandem à tormento bellico, vt exeat citiſſimè, & maximè ſurſum deferatur? quoniam verò non eſt maior ratio de vno, quàm de alio, ſingulis dicendum eſt indidiſſe naturam vim motiuam ab intrinſeco, quas ad ſurſum Leuitatem, ad deorſum Grauitatem dicimus; Quarum prior dicatur *Principium intrinſecum motus, ſurſum ab intrinſeco procedens*, poſterior *Principium intrinſecum motus deorſum &c.*

206 *Grauitas, & Leuitas non ſunt ipſæ formæ ſubſtantiales grauium, & leuium, ſed ſunt qualitates phyſicæ ab illis, & ab omnibus alijs accidentibus realiter diſtinctæ.*

Primũ ſuadetur ex argumento, quo ſecunda pars 201 ſecundum do facilè, primò in ordine ad quantitatem, quia in cæleſtibus eſt quantitas, & tamen nulla ibi eſt Grauitas, vel Leuitas; immò in aqua calefacta, vel etiam congelata eſt quantitas, vt oſtendi concl. 179. & tamen nõ eſt eadem Grauitas, & Leuitas, calefacta enim leuitat magis, condenſata grauitat, & ſi ſupernatare videatur aquæ liquatæ glacies, eſt ratione aeris incluſi, ergo &c. Secundò in ordine ad Denſitatem, & Raritatem, quia licèt vapor denſior ſit quàm aer, lignum quàm aqua, non tamen magis, ſed valdè minus grauitant, deindè Raritas, & Denſitas ſunt qualitates exigentes tantam, & talem vbicationem, Grauitas verò, & Leuitas præſcindunt, vt patet in plumbo v. g. & aere; eſt præterea denſitas ſaltem ex parte in Cælo ſine Grauitate, ergo &c. Tertiò vniuerſaliter, quia variata quauis alia qualitate, non ſemper variantur hæ ſaltem notabiliter, vt ſæpè experientia ſuggerit; & ſi ferè ſemper reperiantur in corpore cum cæteris qualitatibus ad ſummum ſequitur pro-

cedere à primis, & cum ijs naturalem aliquam connexionem habere.

207 *Neque immediatè proficiſcuntur à forma ſubſtantiali Mobilis, ſed à combinatione qualitatum, itaut ea magis, vel minus grauia, vel leuia dicantur, in quibus altera, vel altera primarum qualitatum temperies maiorem, vel minorem cauſet grauitatem, vel leuitatem.*

Patet, quia ſæpè in mobili inuariata forma ſubſtantiali, & variata ſola primarum qualitatum temperie variatur Grauitas, & Leuitas, vt videre eſt in vapore à Solis calore attenuato, & eleuato, in aqua congelata, & ſimilibus; patet etiam, quia in compoſitis eiuſdem ſpeciei, ſi alterum aliqualiter aliud excedat in temperatura primarum qualitatum, leuius etiam, vel grauius euadit.

208. *His tamen ſtantibus qualitatibus motiuis non grauitant, vel leuitant elementa in ſuis locis naturalibus.*

Vrget experientia, & ratio; experientia quidem in aere quo corpora noſtra non grauantur ſicut alijs corporibus, ſi illis ſupponantur; in aquis etiam, quibus non grauari corpora teſtantur Vrinatores, ſicut etiam extrahentes aquam è puteo, nullum ferè percipimus impulſum deorſum, donec ſitula immerſa remanet in reliqua aqua, ſecùs extracta, alijſque plurimis in caſibus.

Ratio verò, quia elementa maximè extrema non habent, quò vltra tendant, ergo non eſt cur vltra conentur moueri, ceſſante enim fine operatio tollitur, ergo neque eſt cur vltra grauitent, vel leuitent; ideò prætereà grauitant, vel leuitant vniuerſaliter, vt ad ſua loca naturalia tendant, ibique cum peruenerint, quieſcant tanquam in ſuo termino, motiuum enim naturæ cur dederit corporibus virtutes motiuas id ipſum eſt, ſi igitur

ceſſat

ceſſat hic finis fruſtratur operatio; quod abſit à natura; dicendum ergò nec leuitate, nec grauitare in termino.

209 *Grauia, & Leuia non mouentur ad ſua loca naturalia aliquo modo ab extrinſeco, ſiuè à Generante, ſiuè à contrario, vel ab aliquo ſimili, ſed effectiuè intrinſecè, & principaliter à ſe ipſis, ſeu à propria forma ſubſtantiali, tanquam à cauſa principali.*

Suadetur primò, quia indecens eſt cauſæ extrinſecæ naturaliſſimum effectum adſcribere, vbi intrinſeca adeò apta ſuppetit; Secundò, quia nihil abſurdi ſequitur ex hoc; Tertiò, quia fruſtraretur natura ſuo fine, quæ has dedit virtutes corporibus mobilibus, vt à ſe ipſis moueantur; primum enim cernis in alijs etiam ſimilibus; quis verò dubitat, quin ſufficiat propria forma tanquam cauſa principalis mouere corpus debitis ditata virtutibus; ſi inſufficiens non creditur in alijs effectibus; ſecundum non ſolùm non inducit abſurdum, quin potius perfectionem corpori non indebitam oſtendit, & quòd dixerit Philoſophus *omne quod mouetur, ab alio moueri*, verificatur vel in prima productione, vel occaſionaliter etiam in ordine ad ſua loca naturalia; Vltimum patet, quia iam dedit natura ſufficientem virtutem principalem in forma, inſtrumentalem in virtutibus dictis motiuis, & tandem in quo magis differunt mobilia naturalia à proiectis, etiam cum poſitiua aptitudine ad talem motum, quàm in eo, quod ea moueantur ab intrinſeco, hæc verò ab extrinſeco principali?

210 *Impulſus à quo mouentur immediatè proiecta eſt qualitas realiter diſtincta à Grauitate, & Leuitate.*

Ratio eſt, quia Grauitas, & Leuitas remanent in corporibus mobilibus, etiam in ſuis locis naturalibus, quamuis actu non moueantur, vt oſtendi, impulſus nun-

quam

quam corpori imprimitur, quin illud non moueat; præterea ſi graue impellam deorſum, impulſum produco ſine leuitate; ſi verò leue ſurſum ſine grauitate; demum motus, qui ab impulſu procedit perſæpè non ſolùm non recipit vim à mobili, quin potius ſi ſaltem non merè paſſiuè ſe habet, etiam interdum reſiſtit mobile, deffinitur enim motus violentus *actio ab extrinſecò, paſſo non conferente vim*, at motus naturalis per grauitatem, & leuitatem fit ſemper paſſo vim conferente, ergo cauſa etiam huius motus erit realiter diuerſa; diſtinguetur igitur impulſus à grauitate, & leuitate.

211 *Non mouentur proiecta immediatè à Proijciente, aut ab aere impellente.*

Non moueri à proijciente declarat concl. 161. primò; ſecundò 188. neque enim poteſt aliqua ſubſtantia immediatè agere in externum ſubiectum, neque aliquid ſui producere in ſubiectum diſtans, quale eſt ſæpiſſimè proiectum; immò mouetur interdum, vel ceſſante proijciente, vt ſi lapidem proijcias, & manum abſcondas, vel ſi annihiletur, aut corrumpatur mouens, quomodò in exploſione Bombardæ ad aliquod ſpatium, & tempus mouetur glans extinctio igne, quam ob rationem etiam dicas, nec moueri immediatè in primo inſtanti, quo proijcitur; & adde, quòd proiectum ſemper eſt diuiſibile, & proijciens non eſt immediatè applicatum omnibus illius partibus, & tamen omnes mouet, ergo quia imprimit aliquid à ſe diſtinctum videlicet qualitatem dictam.

Neque moueri ab aere declarat multiplex experientia, primò quia dum lapidem proijcio, non ſolus lapis, ſed etiam manus proijcitur, donec lapidem emittat, ergo eadem ratione ab aere exteriùs moueri deberet, cuius tamen nullum impulſum percipio, quin potius à parte ante reſiſtentiam inuenio, quam niſi magno impetu

petu poſſum vincere; Secundò vehementiſſimo impetu fertur globus à Bombarda exploſus, vt cuncta obſtantia ſubuertat, & vndè tantam vim imprimere poteſt aer, maximè ſi diffiante vento ab Oriente, illùc dirigatur? & ſi mouetur aer corpus, cur velociſſimè excurrente naui iactantur in oppoſitum vexilla? Tertiò ſi moueatur Turbo luſorius, non ſolùm non mouetur ab aere, quin potius aerem velociſſimè trahat in girum, vt patet ſi manum aproximes; quod ipſum cernis in Rota, quæ ſi præſertim lenis ſit ſuperficiei mouetur ad aliquod tempus, itaut vix detineri poſſit, & tamen nec aerem mouet, nec candelam admotam extinguit; qui ergo motus aeris in his, & ſimilibus ſexcentis caſibus? Adde, quòd in vacuo moueri poſſe corpora oſtendi concl. 115. ergo cur non eadem ratione mouerentur etiam grauia, & leuia? & tandem ſi eodem ſimul tempore ſagittam proijcias ſurſum, & lapidem dimittas deorſum, vtrumquè mouetur, ergo non ab aere.

212 *Remanet igitur, quòd moueantur proiecta, & vniuerſim omnia corpora à virtute dicta impreſſa à Grauitate, Leuitate, & Proijciente, vel Impellente penitus diuerſa.*

Sequitur clariſſimè ex dictis mox; ſiquidem etiam in grauibus, & leuibus remanet eadem grauitas, & leuitas ſinè motu, ergo cum mouetur mobile producitur à grauitate, vel leuitate dicta virtus impræſſa, ſeu dictus Impetus.

213 *Producitur Impulſus à potentia loco motiua, vel impulſiua proijcientis in proiectis concurrente, vt conditione illorum grauitate, vel leuitate in debita proportione, in grauibus verò, & leuibus immediatè ab illorum virtutibus motiuis.*

Hoc vltimum est certum, quia nihil apertius; Primum oſtendo, quia non poteſt moueri proiectum, niſi per

motum localem proijcientis, & moueri non poteſt, niſi determinata; & proportionata ſit affectum grauitate, vel leuitate, vt ſi proijcerem plumam, aut molam molendinariam impellerem; & prætereà grauitas proportionata proiecti non mouet, niſi in quantum impellatur à proijciente, ergo hæc erit conditio, & illud cauſa.

214 *Corrumpitur verò impetus non à grauitate aliqua illi contraria, quam ſibi producat proiectum, neque à grauitate, vel leuitate naturali eiuſdem proiecti reducentis ſe ad priſtinum ſtatum, aut à Deo ne detur vacuum; ſed à Deo per ſolam ſuſpenſionem concurſus conſeruantis ſic exigente natura impulſus, quæ eſt qualitas ex natura ſua defectibilis.*

Non à grauitate contraria, quia vel hæc eſt eiuſdem, vel diuerſæ ſpeciei à grauitate naturali proiecti, & non hoc, quia fruſtranea eſt, cùm aliunde habeatur ſufficiens cauſa destructiua illius cum minori incomodo, & prætereà ignota eſt cauſa productiua huius grauitatis nouæ, nec refundi poteſt in naturam lapidis, gratis enim tribueretur; & prætereà ſi lapidem proijcias deorſum, non habet hanc virtutem, ergo neq. ſi proijcias ſurſum; Neque à grauitate naturali, quæ potius eſt conditio, cur moueatur proiectum, vt mox oſtendi; immò tantum abeſt, quòd impulſui opponatur, quin potius, ſi lapidem proijciam deorſum, ſit adiuuens ad motum deorſum; neque à Deo ne detur vacuum, quid enim periculi ex motu lapidis? vel etiam dato, aut corrumpitur à Deo per productionem alicuius contrarij, & non, quia primò gratis tribuis contrarium impulſui, ſecundò cum minori incommodo ſaluatur eius deſitio, vel per ſolam ſuſpenſionem concurſus, & eſt quod volo.

Dicas igitur eſſe impulſum *qualitatem ex natura ſua deffectibilem, quæ petat à Deo conſeruari tanto, vel tanto tempore, & non diutius* ea proportione, qua

ſonus;

ſonus; ſic igitur exigente natura ſuæ deffectibilitatis ſuſpendit Deus concurſum conſeruatiuum, & deſinit moueri proiectum.

215. *Ex tali impulſu prouenit maior velocitas grauium, & leuium in fine*.

Quia enim quo magis mouetur graue, & leue, nouum ſemper impulſum producit grauitas, vel leuitas intrinſeca mobili concurrente motu vt conditione, fit quòd velocior ſemper, & velocior producatur motus, donec ad naturalem terminum pertingat mobile, vbi ſuſpendat Deus concurſum conſeruatiuum dicti impulſus, ſic exigente ejus deffectibilitate, & fine naturæ.

QVARTA PARS PHYSICÆ.

QVæ ad animatum Corpus pertinent ſuperſunt deffinienda; quandoquidem verò in ratione Corporis parum, aut nihil ferè reſtat, ſed cuncta in ordine ad Animam, & Animaſticas operationes, propterea in ſtatuendis, quæ de forma Viuente ſentimus, erit conatus.

Titulus I.

Corpus, & Spiritus, Vita, & Viuens.

TRaditur notio Animæ in communi per ordinem ad Corpus Organicum, per rationem Vitæ, & ſimilia: de his ideo aliqua præmittenda.

216 *Principium viuens eſt res quæuis in ſuo eſſe completa, quæ ita perfectionem, vel operationem habet*

ab

ab intrinſeco, quòd eam ab extrinſeco nullatenùs poſſit habere.

Eſt hic conceptus Viuentis communis vniuocè Deo, & Creaturis, Vitæ Phyſicæ, & Intentionali &c. infertque conceptum vitæ in actu primo, & in actu ſecundo, vt mox. Dicitur enim primò, *quòd perfectionem, vel operationem habeat ab intrinſeco*, quod complectitur etiam non viuentia, quæ à principio intrinſeco, hoc eſt à propria forma habent ſe augere, vel ſe mouere ad ſua loca naturalia, vt dicebam concl. 208. & his ſimilia, vt in igne, & in alijs, videlicet in quantitate producere ſibi figuram, aut impenetrationem, in Natura ſubſiſtentiam, in Aqua redigere ſe ad ſuum naturale frigus &c. Dicitur verò ſecundò, *ita vt eam ab extrinſeco habere nullatenùs poſſit*, quod ſpecificat Viuens à non viuentibus, ita ſiquidem ab intrinſeco habet intelligere Deus, ſiuè actum primum, & ſecundum concipias, ſiuè vitam formaliter conſtituas in actuali intelligere; ita Angelus habet vim intellectiuam, & intellectionem, ita Homo, ita ſentire habet Brutum, vegetare Planta, ſiuè ad Vitalitatem requiras immanētiam ſolius actionis, ſiuè etiam immanentiam termini, quòd à nullo principio extrinſeco ſaltem Naturali ſuppeditari poſſit.

Dixi autem *ſaltem naturaliter*, quia poteſt fortaſsè Deus infundere Angelo, vel Homini intellectionem, vel volitionem, ità vt Homo, & Angelus merè paſſiuè ſe habeat: dixi quoquè Principium viuens eſſe rem quamcumquè *in ſuo eſſe completam*, vt excluderem operationes, quibus etiam non viuentia producunt ſibi per modum ſequelæ ſuos terminos, & modos, non enim ſunt in ſuo eſſe completa: Ly etiam *habet* ſupponit aptitudinaliter, & actualiter, ita vt vel actu habeat, vel petat talem perfectionem habere.

217 *Inde inferas vitam in actu ſecundo, ſeu operationem*

tionem vitalem, identificata ſit cum ſuo principio vt in Deo, vel diſtincta realiter vt in alijs, eſſe talem perfectionem rei in ſuo eſſe completæ debitam ab intrinſeco, vt ab extrinſeco ſaltem naturaliter dari non poſſit?

Explicata remanet ex præcedenti; & hinc eſt, quòd vt operatio ſit verè vitalis, debeat imminere in eodem principio, à quo fit, quòd ſi naturaliter ab extrinſeco aduenire, vel ad extrinſecum tendere poteſt, vitalis non ſit; Propterea etiam

218 *Dico Vitalitatem operationis importare immanentiam per ſe actionis, & termini.*

Moueor, quia ſic benè oſtenditur perfectio vitalitatis, operationeſquè vitales à non vitalibus diſcernuntur, maximè cum pleræquè ſint actiones immanentes etiam in non viuentibus, vt ſunt omnes emanationes, quas aliter non facilè à ratione vitæ excipies; & tandem nihil clariùs dat immanentiam vitalem.

219 *Corpus, vel Corporeum eſt illudcumquè, quod vel eſt entitas quantitatis, vel habens phyſicam connexionem, & exigentiam ad quantitatem, ità vt ſinè illa exiſtere naturaliter non poſſit.*

Dix. *Corpus, vel Corporeum* vt etiam connexa cum corpore expenderem, *quod eſt entitas quantitatis*, quia nihil magis Corporei, vel Corporis menſurabilitatem, paſſibilitatem, cæteraſquè Corporis paſſiones oſtendit, quàm quantitas, vel *entitas habens phyſicam connexionem cum quantitate*, quia ſi diſtinguitur quantitas à re quanta, vt oſtendi concl. 95. non omnia ſunt entitas quantitatis, & tamen formæ materiales, materia ipſa, accidentia materialia, tùm abſoluta, tùm modalia, eo quòd phyſicam habeant cum quantitate connexionem, corporea ſunt, corpuſquè complent, itaut ſinè illis naturaliter eſſe non poſſit; excludit animam rationalem, quæ licèt habeat cum corpore aliquam connexionem,

xionem, cum [illegible]ctus ſit, naturaliter tamen etiam ſinè corpore, & quantitate eſſe poteſt, & eſt in ſtatu ſeparationis: Benè prætereà explicat naturam cuiuslibet corporis, vel ſimplicis, ſi daretur, & cuiuslibet ſubſtantiæ, vel accidentis corporei, neque alij cuipiam ab his competit hic conceptus, ergo &c.

220 *Spiritus verò, vel res ſpiritualis, ea quæcumquè dicenda ſunt, quæ neque quantitas ſunt, neque connexionem talem habent cum quantitate, vt naturaliter ſinè illa petant exiſtere.*

Quaſi ſonet, quòd quælibet res, ità ex ſua intrinſeca perfectione quantitatem, vel connexa phyſicè cum quantitate, excedens, ex vi cuius petat ſinè quantitate exiſtere, ſit vel formaliter ſpiritus, vel cum ſpiritu connexa, ſeu ſit ſpiritualis; explicat ad rem ſubſtantias omnes ſpirituales, accidentia etiam ſpiritualia, tum abſoluta, tum modalia; Spiritum à corpore peraptè contradiſtinguit, ergo &c.

221 *Corpus organitum eſt ſubſtantia habens cum quantitate neceſſariam connexionem ſecundùm diuerſas partes diuerſis accidentium temperationibus affectam.*

Donec dicitur *ſubſtantia cum quantitate neceſſariò connexa*, conuenit cum corpore homogeneo putà cum aqua, ligno, &c. cum verò additur, *affecta diuerſis in partibus diuerſa accidentium temperie*, differt à corpore homogeneo, quod diuerſis in partibus, diuerſam ſaltem vix notabilem habet etherogeneitatem accidentalem.

Dixi verò *diuerſa accidentium temperie, non diuerſis ſubſtantialibus actibus*, primò, quia hæc accidentalis etherogeneitas ſufficientiſſima eſt ad organizationem viuentis; Secundò, quia vel leue inditium non habeo, quòd mihi ſuadeat hanc ſubſtantialem etherogeneitatem, videoquè à ſuis Patronis magis ſupponi, quàm

P proba-

probaſi; Tertiò, quia mihi certiſſimum eſt, repugnare plures formas ſimul in eadem materia, immò has formas, quas non niſi ſubordinatas potes dicere, vt probatum ſatis teneo concl. 25. & 26.

Titulus II.

Anima in Communi.

222 BEnè deffinitur *Anima, actus corporis phyſici organici, potentia vitam habentis.*

Actus primus, genus dat Animæ cum omni forma, *primus* verò additur, aut vt ſignet actum primum operationum in ordine ad ſecundum, hoc eſt ad operationem, aut etiam vt principalem ſignet in ordine ad inferiores accidentales, verè enim Anima eſt actus primus, & principium ſuarum operationum, & eſt talis conditionis, vt ad ipſam ordinetur quidquid eſt in compoſito; *Corporis*, hoc eſt ſubſtantiç actualis, ad quod additur *phyſici*, vt oſtendatur, quòd intelligitur corpus naturale, excluditur verò corpus mathematicum, vel artificiale; *Organici*, hoc eſt diuerſa accidentali etherogeneitate diſpoſiti, vt concl. 220. iuxta diuerſam formç exigentiam, ſiuè propter ſe, ſiuè propter operationes; *Potentia vitam habentis*; vitam ſcilicet ſubſtantialem, hoc eſt formam viuentem, quod corporis capacitatem denotat, aut accidentalem, ideſt operationem, quod innuit aptitudinem ad exercendas Animæ operationes.

223 *Anima eſt forma ſubſtantialis.*

Patet primò, quia non niſi ex duobus entibus eiuſdem Cathegoriæ fit vnum ens per ſe, at ſic eſt quòd ex

cor-

corpore organico, & Anima, ſit vnum per ſe viuens; ergo eiuſdem erit prædicamenti, min. prob. quia certum eſt, quòd viuens nobiliſſimum eſt inter compoſita phyſica; at non conſtituitur tale per ſolam materiam, aut per materiam cum accidentibus; aut per hæc, & formam aliquam non viuentem, nihil ſiquidem horum poteſt dare formaliter vitam, quam nec formaliter, nec eminenter continet, ergo conſtituitur per ſe à forma viuente: Secundò à poſteriori, nobiliores habet operationes viuens, quàm quodlibet aliud compoſitum, ergo & multò nobiliori præditum eſſe debet forma, ergo quę ſit ſubſtãtia, operationes verò ſunt vegetare, nutriri, ſentire, iraſci, concupiſcere, triſtari, intelligere, velle, &c. Tertiò eſt ens propter ſe intentum à natura, & ad eius ordinem dirigit cuncta, quæ ſunt in compoſito, patet enim, quòd tot organorum diſpoſitiones ablata Anima, facilè, & breui diſſoluuntur; ergo; Tandem quæcumquè alijs formis conueniunt, potiori iure huic tribuuntur, ergo multò magis hæc erit ſubſtantia.

Et ſi ſoluto temperamento, non ſit amplius Anima, eſt quia ſoluitur neceſſaria diſpoſitio ad eius conſeruationem.

224 *Euidens phyſicè eſt, dari de facto hanc particularem ſubſtantiam viuentem.*

Experimur in Plantis, in Brutis, in Nobis ipſis, colligimus ab operationibus tot perfectiſſimis; à motu intrinſeco ad oppoſitas loci differentias; à ſimili in alijs compoſitis; à negatiuo, quia nihil aliud poteſt afferri, quod creaturæ adeò perfectæ operationes cauſet ab extrinſeco, aut etiam ab intrinſeco, niſi ſit talis forma viuens; ex naturæ magiſterio, quo in tantum opus incumbit, eiuſdemquè conatu in conſeruatione, & niſu in illius corruptione; quod certè infert formam excellentioris propemodum dignitatis.

225 *Ex quibus etiam capitibus clarè infertur tres tantum eſſe gradus viuentium formarum, putà vegetatiuam, ſenſitiuam, & rationalem.*

Siquidem in Planta omnes operationes, quæ à principio intrinſeco vegetatiuo oriri queunt, cernimus, vt generare ſibi ſimile, augeri ab intrinſeco perintus ſuſceptionem, ad determinatum ſtatum creſcere, non niſi ad debitam molem organis redactis operari, & ſimilia; magis in Brutis, quæ ſuprà hæc videmus ab appetitu moueri, iraſci, concupiſcere, omnia ſenſationum ſigna prodere; clariſſimè verò in Homine, in quo nihil clariùs apparet, quàm ratiocinatio, & vis volendi, vel nolendi obiectum, quæ rationale demonſtrat principium.

226 *Ex his Anima vegetatiua, & ſenſitiua; tàm in Brutis imperfectis, quàm perfectis ſunt entitatiuè partibiles, ſeu partes integrales habent.*

De Vegetante, & Brutis imperfectis tollit dubium experientia, quandoquidem, ſi ſurculum Plantæ diuidas, vel Lacertam vides diù viuere, & ſi ſurculum in alienum truncum inſeras germinare vides, creſcere &c. caudam item Lacertæ diuiſam ſi expungas, omnia cernis ſenſationum ſigna, quæ non niſi Animam diuiſam inferunt; neque enim ſoli ſpiritus ad tantum tempus, & ad tot operationes, maximè principaliores ſufficere poſſunt, vel etiam eoſdem, & potiori iure motus, & operationes exerceri deberent in partibus abſciſſis Brutorũ perfectorum, cum multò pluribus abundent ſpiritibus; & tamen falſum eſt.

Vrget tamen ratio vniuerſaliter de omnibus his formis, quia omnes iſtiuſmodi formæ dependent in fieri, & in conſeruari à materia, tanquam à ſubiecto ſuſtentationis, ergo ſunt formaliter diuiſibiles, de ant. non dubitas, prob. conſeq. ſi indiuiſibilis eſſet v. g. anima Bucephali, adæquatè dependeret à materia generatio-

nis, ergo vel augeri non poſſet Bucephalus, vel eius Anima dependeret adæquatè à materia, etiam aucta, quod naturaliter non ſubſiſtere habes ex 49, ergò non poteſt eſſe indiuiſibilis; prob. ſeq. materia generationis adæquatè diſtinguitur à materia augumentationis, & Bucephalus eſt completè talis antequam augeatur, ergo adæquatè à prima materia dependet eius Anima, dum verò augetur, non poteſt, quin vniatur, informet, & dependeat ab hac noua materia, alioquin non eſſet eiuſdem conditionis pars aucta, quæcumquè enim actioni primò generatiuæ, vnioni, & toti genito, debentur toti aucto, ergò &c.

Confirm. quia actio per quam fit Anima Bruti, vel eſt diuiſibilis, vel indiuiſibilis; ſi primum, ergo primò cum ſpecificetur à termino, & Anima erit diuiſibilis; Secundò, ergo ſecundùm quamlibet ſui partem erit ſufficiens producere totam Animam Bruti, ergo quælibet alia pars erit omninò ſuperflua, decernas verò hanc partem? Tertiò actio eſt formalis ratio dans eſſe formæ, ergò impropria eſt actio diuiſibilis cum termino indiuiſibili; ſi ſecundum, ergo conſtituet formaliter Animam Bruti dependentem adæquatè à materia generationis, & à materia aucta, immò à ſingulis partibus materiæ, ac proinde ſtare non poterit cum augumentatiua actione, ſiuè hanc dicas indiuiſibilem, vt teneris, ſiuè diuiſibilem; quamcumquè verò dicas eſſe, non poteſt augere Bucephalum, niſi quia faciat Animam Bucephali informare materiam auctam, at verò non poteſt, quin vel eandem Animam reproducat, vel eam de nouo aliquo inexcogitato Myſterio efficiat dependere à materia aucta. informare enim formæ de potentia ſubiecti eductæ, eſt dependere, & ſuſtentari, ergo &c. immò oſtende ſi potes quomodo forma poſſit naturaliter dependere à ſubiecto, de quo non eſt educta; da ergo diuiſibilem eſſe.

 Vrge-

Vt geris etiam paritate aliarum formarum tàm ſubſtantialium, quàm accidentalium de potentia ſubiecti eductarum; quin immò quo vinceris argumento, vt aſſeras hanc perfectionem poſitiuam indiuiſibilitatis in re corporea, & materiali?

227 *Immò nec partes habet etherogeneas, ſed homogeneas omninò.*

Moueor, quia nihil video quod etherogeneitatem ſubſtantialem in has partes inducat; omnia ad vnguem ſtant cum ſola homogeneitate, ſcio prætereà non gratis diuerſificandam rei naturam; ad quid ergo concederem partes haſce etherogeneas? conſiderans enim quidditatem, & vim formæ viuentis materialis inueni non ſuſcipere magis, & minus, non deterioris eſſe conditionis, ac ſint formæ non viuentium, & deduxi, quod ſicut illæ, in quauis parte materiæ locentur, ſi debitas habeant diſpoſitiones, poſſunt, immò de facto exercent omnes oparationes, quas continent; ita etiam formæ Brutorum, & cenſui, quòd ſi Equus in pede non videt, eſt quia ſufficientia ibi non habet organa, cæterùm poteſtate ſubſtantiali ad viſionem non carere in pede, ſicut nec ad motum in oculo; diuerſitatem autem diſpoſitionum, iam ſcimus partim eſſe in ordine ad informationem, partim in ordine ad operationes.

Adde, quòd omnes partes viuentis eodem nutriuntur alimento à trunco, vel ab epate attracto, continuantur inter ſe, & inuicem communicant, quomodo ergo etherogeneitate diſſidere aſſeris? & tandem ſi ſint etherogeneæ, & ſit v. g. parens cæcus, cui deficiat pars ocularis, cur non gignit prolem cæcam? fortè quia cæteræ partes habent vim generatiuam etiam partis ocularis, ergò infero, quia poteſtate continent quidquid aliæ partes, ergo quia poteſt vna quidquid altera, ergo homogeneæ ſunt.

228 Nec

228 *Nec ſucceſſiuè, nec ſimul informant plures Animæ idem viuens.*

De ſimultate plurium Animarum in eodem viuente conſtat ex concl. 25. Addo tamen, quòd nulla eſt neceſſitas admittendi hanc Animarum pluralitatem, & neque eſt quidquam vnde colligatur, ergo &c. non vrget enim, quòd in Bruto debeat aſſignari principium operatiuum vegetatiuarum, & ſenſibilium, quia hoc ſtat in ſola Anima ſentiente, quæ perfectioris ordinis cum ſit, continet eminenter ſaltem quidquid Vegetatiua; aut etiam non vrget diuerſitas operationum, quæ ſimul cernuntur in eodem viuente; ſiquidem & ab eodem non repugnat ſimul exerceri, & præterea tot Animas deberes dare in viuente, quot operationes, qua ratione oſtenditur, quòd nihil à poſteriori inferat pluralitatem Animarum. Cum verò ex vehementi operatione, v. g. intenſiſſima meditatione, cæteræ operationes maximè inferiores impediuntur, potius multiplicitas principij operatiui expungitur.

De ſucceſſione ſic diſcurro, Anima hæc vegetatiua præcedens ſenſitiuam, & ſenſitiua præcedens Rationalem, vel verè vegetatiua eſt, & ſenſitiua, vel illa ſenſitiua, & hæc Rationalis, ſi illud cuius eſt ſpeciei? an ne eſt Anima in communi, an verò Quercus, vel Equi? eſt ne actus ſubſtantialis? quomodo ergo poteſt inſeruire, vt diſpoſitio ad alium ſubſtantialem actum? & ſi ſuſpenderentur diſpoſitiones perfectiores, quod fieri poſſe non negabis, cuius ſpeciei remaneret illud viuens? ſi verò poſterius, cur dicis eſſe diuerſas Animas? præterea non ne tenderet in ſui exitum? certè, quia ab intrinſeco haberet tendere ad diſponendam materiam pro perfectiori, qua ſuccedente ipſa interiret, igitur ab intrinſeco haberet operari in ſui interitum: Vlterius quam opem habet natura multiplicandi has formas etiam ſuc-

ceſſiuè, ſi iam & ſenſitiuam habet, quæ pro vegetatiua ſufficit, & pro ſe ipſa; & Rationalem in Homine pro alijs?

Quòd ſi non omnes primò cernantur diſpoſitiones, & operationes ſenſitiuæ in Bruto; rationales in Homine, eſt quia non ſunt ſimpliciter neceſſariæ, ſed ſolùm ad complementum talis viuentis, immò ſic teneor philoſophari, ni velim conuinci innumeras penè ſibi ſuccedere Animas in fætu, quia perfectiores ab imperfectioribus in dies cernuntur operationes, quæ perfectius inferunt principium, donec ad ſtatum debitum pertingat viuens.

229 *Anima quæuis ſiuè diuiſibilis ſit, ſiuè indiuiſibilis, ſpiritualis, aut materialis eſt forma actu per totum corpus diffuſa, cuius plurimas partes, & non vnam ſolam informat.*

Ratio primò eſt ipſa Animæ eſſentia; quæ eſt, quòd *ſit actus corporis organici*, at vna ſola pars non eſt corpus; Secundò ſunt ipſæ operationes vitales, & immanentes, quæ neceſſariò petunt, vt vbi ipſæ exercentur ſit principium vitale, non ſolùm mediatè, ſed immediatè per propriam ſubſtantiam, vt oſtendam 235; cùm igitur in omnibus corporis partibus vitales operationes appareant, conſequens eſt, quòd in omnibus iiſdem partibus reſideat immediatè, eaſquè informet Anima; & ſi Anima rationalis eſſet diuiſibilis, veluti ſunt Animæ Brutorum, nihil haberet difficultatis, patet enim in partibus ſectis Brutorum, & Plantarum remanere, ergo quia prius informabat eas.

230 *Ex partibus tamen, quas informat Anima, in præditis ſanguine eſt cor, in alijs quid illi æquiualens.*

Suadetur primò ex eo, quòd ex partibus corporis organici, cor prius viuat, hoc eſt vitales exerceat operatio-

nes,

nes, vltimum vita orbetur, experientia probamus in vehementi timore, aut improuiſo gaudio, ſanguinem, omneſquè ferè ſpiritus ad cor deferri, vt parti veluti capitali ſubueniant in tanto diſcrimine; aptior ſecundò ſitus, quem tenet cor in corpore, medio reſidens in thorace, vt ſpiritus promptiùs, & calorem valeat cæteris partibus diſpenſare ad ſuas operationes, à quò maximè dependent in recipiendis ſpiritibus vitalibus, & calore ſaltem aduentitio, in hoc igitur maximè reſidere Animam videtur certiùs.

231 *Ex reliquis partibus corporis organici informantur Anima interiores partes conſiſtentes putà Oſſa, Dentes, & minus conſiſtentes videlicet Cartilagines, Nerui, Membranæ, Arteriæ, Corium internum, & his ſimiles.*

Videtur probari ex eo vniuerſaliter, quia hæ omnes, & his ſimiles partes alimento nutriuntur intus ſuſcepto, & à reliquo ſegregato, habent enim organa ad hoc aptata, vt alimentum attrahant, & nutriantur; item, quia ſi partes merè excrementitiæ eſſent, vel vigerent per iuxtà poſitionem, maximè creſcere deberent (loquor præſertim de dentibus, & oſſibus) in Senibus, & Pueris, qui ſummo abundant excremento, ſicut cæteræ partes, de quibus mox; pariter, quia maximè neceſſariæ ſunt animali, ad eius ſuſtentationem, communicationem, & nutritionem partium, tanquam Animæ inſtrumenta, congruentiùs ergo eſt animari; porrò iam de Carne, Cartilagine, Arterijs, &c. non licet dubitare, cum non aptiores ſint, & neceſſariores partes ad Animæ informationem.

232 *Ex interioribus maximè liquidioribus non animantur Medulla, Adeps, Seuum, & aliæ huiuſmodi partes ſimilares, & excrementitiæ.*

Patet, quia non ſolùm non augentur ab intrinſeco,

ſed

ſed ſunt potius alimentum cæterarum partium, non ſunt cum cæteris partibus continuatæ, gignuntur fere omnes ex ſanguine diuerſimodè concocto; quem non animari puto, vt nunc, ergo &c.

233. Probabilius eſt Sanguinem non viuere, ſicut nec ſemen, & multo minus reliquos tres humores, ſcilicet Flauam bilem, Atrambilem, & Flegmam.

Primò, quia Anima non actuat niſi partes continuas corpori; aliter non conſtitueret Vnum vnitate integrationis, ſed plura; ſanguis autem, & dictæ partes ſunt in vænis, & alijs locis, veluti aqua in vaſe; Secundò, quia præſertim ſanguis eſt vltimum animalis nutrimentum, & ſi ſimul animaretur, nutritio non eſſet ſubſtantialis mutatio, maximè reiectis formis partialibus oſſis, carnis, & ſimilibus; in his nullum apparet vitæ ſignum, nullum nutritionis inditium; reliquos etiam humeros, cum ſint potius partes ſanguinis excrementitiæ, vel ſaltem in Sanguinis generatione, ex alimento craſſiori confectæ, certius eſt non animari.

Semen item eſt excrementum animalis, ordinatum ad aliud ſcilicet ad generationem, & ſæpè non eſt in animali, nullam habet organizationem, vel etiam continuationem cum reliquo corpore, maximè verò non viuere ſemen humanum eſt certum, aliàs eadem Anima indiuiſibilis humana tranſiret in ſubſtantiam ſobolis, dum deciditur ſemen à generante, & remaneret in ſubſtantia genitoris.

234. Partes verò exteriores, ſiue magis, ſiue minus conſiſtentes ſint, puta Capilli, Pili, Lana, Vngues, Pennæ Auium, Cornua, Cutis externa, & his ſimilia non viuunt.

Ratio eſt, quia nullum in his cernitur ſignum vitæ, nulla operatio, nullum ad operationem organum, gignuntur præterea ex craſſiori excremento, ab Anima

ad

ad extremitates expulſo, quod quia viſcoſum eſt, & non facilè in exhalationes reſolui poteſt, conglutinatur ex vi caloris, tum interni animalis, tum externi ambientis, vel etiam ex vi alterius agentis in dictas partes, quibus deindè vtitur prouida, & ſagax natura partim in tegumen, partim in ornamentum, partim etiam in tutelam animalis. De alijs proportionaliter ad hæc.

Titulus III.

Potentiæ Animæ in Communi.

HÆC in ordine ad ſtatum quidditatiuum Animæ in communi, mox quæ in ordine ad operari, quæ ſunt eius virtutes operatiuæ, vel etiam paſſiuæ.

235. *Anima quæcumquè per ſe immediatè poteſt, & debet actiuè attingere ſuos actus vitales, tum ſpirituales, tum materiales, ſiuè operetur per potentias diſtinctas, ſiuè non; vel Anima quæcumque habet potentiam actiuam immediatam ad ſuas operationes vitales.*

Poſſe oſtendo, quia tota repugnantia oritur, aut quia ſubſtantia nulla eſt immediatè operatiua, aut quia actus ſæpè materialis eſt, Anima ſubſtantia ſpiritualis, vt accidit in ſenſationibus Animæ rationalis; verùm ruit prima ex concl. 160. ſi quidem poteſt ſubſtancia aliqua accidentia in ſe ipſa, ſaltem per emanationem producere, præſertim verò ſubſtantia viuens ſuos actus, qui præter quàm quòd ſunt eius accidentia, ſunt etiam immanentia; Secunda etiam, quia Anima rationalis eſt eminenter ſaltem ſenſitiua, licèt ſubſtantia corporea non poſſit attingere ſpiritualitatem actus, vtpotè inferioris ordinis, poteſt tamen ſpiritualis materialitatem, vtpotè ſuperioris, ſicut poteſt Angelus, & ſe ipſum, &

 corpo-

corpora etiam localiter mouere, aliosque ſim... effe-ctus exibere, & Deus ſummè ſpiritualis omnes actus materiales cauſarum ſecundarum attingit immediatè, & tandem potentias ipſas (ſi eas diſtingui velis) immediatè attingere debet, non vt inſtrumentum generantis, quia gratuitum planè eſt, quod enim dat eſſe, dat etiam conſequentia ad eſſe in prima rei productione, vel quia dat ſufficientem virtutem rei, vt ſibi deindè prouideat de conſequentibus ; igitur ſi nihil obſtat, cur non poteſt?

Quod debeat probo, quia duo habet principium vitale, & quòd actiuum ſit, & viuens; duo item operatio vitalis, & quòd ſit actus immanens, & quòd vitalis, ergò debet principium vtramque vim exercere, & actus vtramq; recipere à ſuo principio formaliter tali, ſed nec principium, nec actus vitaliter ſe habebit, niſi immediatè attingat ſuum actum Anima, ergo &c. de ant. & conſeq. es certus, certum facio de minori, ſi actus non attingatur ab Anima, ergo immediatè à ſola potentia, ergo & Anima immediatè ſolam potentiam attingit, verùm potentia non eſt formaliter vitalis, ergo nec principium, nec actus vitaliter ſe habebit, min. hanc attende, primo quia nulli accidenti (quale eſt potentia diſtincta) tribui poteſt vitalitas in actu primo, cum ſit differentia diuiſiua ſubſtantiæ; Secundò principium vitale debet eſſe quid in ſe completum, quod habeat talem perfectionem ab intrinſeco, quale non poteſt eſſe accidens, quod eſt ordinatum ad aliud, & aliud complet; Tertiò vitalitas in actu primò dicit vim intrinſecam mouendi ſe ità ab intrinſeco, vt ab alio extrinſeco moueri non poſſit, ergo nō poteſt tribui inſtrumento, quale erit potentia diſtincta; Quartò efficaciſſimè, do potentiam eſſe in ſe formaliter vitalem, & rogo à quo producatur immediatè in Anima? certè ab ipſa Anima ſaltem

vt inſtrumento generantis, vt tecum ſentiam, ergo vel per actum mortuum, vel per actum vitalem; non primum; quia actio mortua non poteſt eſſe formalis tendentia in terminum viuum, quo etiam dato adhuc Anima per actum à ſe immediatè procedentem attingit terminum formaliter vitalem; vndè ſi etiam des ſecundum, ergo Anima immediatè terminum vitalem in ſe ipſa attingit, ergo etiam debet immediatè attingere proprios actus, qui non minus ſunt vitales, quam potentiæ Animæ; immò magis; potentiæ enim ſunt propter ipſos.

Omitto, quòd Anima rationalis non poſſet dici formaliter libera, ſiquidem nec mediatè, nec immediatè liberè attingeret actum voluntatis, non immediatè, vt vis, non mediatè, quia non niſi per potentiam volitiuam diſtinctam; quæ nec liberè produceret, nec liberè conſeruaret in ſe ipſa.

236 *Poteſt etiam, & debet Anima attingere immediatè ſuos actus vitales paſſiuè, ſeu habet Anima quæcumquè immediatam vim receptiuam ſuorum actuum vitalium.*

Probo paritate antecedentis, quia ſicut Anima rationalis v. g. non poteſt dici formaliter intelligens actiuè, niſi immediatè attingat vitalitatem actus, ita neque niſi immediatè recipiat; vitalitas enim, & immanentia actus, ità actui competit, quòd non poſſit vtraque poni, quin habeat in principio immediato rationes formales ſibi formaliter correſpondentes, ergo quin ſit immediatè in ſubiecto formaliter viuente; & ſi exhibeas potentiam, pari argumento, quo ſuprà vrgeris; vel etiam aſſigna quid obſtet in Anima, vel in actu, & ſi ſubiectum ſufficiens eſt Anima recipere immediatè potentias, ſiuè formaliter vitales ſint, ſiuè mortuæ, cur non multò magis ſuos actus? ſiuè inhæſiuè recipiat, ſi actus propor-

tionati

ſionati ſint quoad entitatem, ſiuè inorganatiuè ſi actus materiales ſint, principium verò ſpirituale.

237 *Anima quæcumquè operatur, & recipit ſuos actus vitales per ſe ipſam immediatè non per potentias diſtinctas; ſeu potentiæ tum actiuæ, tum paſſiuæ non diſtinguuntur realiter ab Anima.*

Loquor vniuerſaliter de omnibus potentijs tàm ſpiritualibus, quàm corporeis, organicis, vel inorganicis, quatenus ſunt virtutes ſe tenentes ex parte Animæ, non in quantum complentur per organa, ſpecies intentionales, & ſimilia, tunc enim procul dubio diſtinguuntur ſaltem inadæquatè.

Sequitur ex duabus præcedentibus, ſemper enim Anima, debet immediatè attingere, tam actiuè, quàm paſſiuè ſubſtantiam totam actus vitalis, ad quid ergo potentiæ diſtinctæ in Anima? nullum præterea apparet inditium diſtinctionis inter Animam, & ſuas potentias, nulla neceſſitas aſſerendi talem diſtinctionem, ergo dicendum eſt has potentias nihil aliud eſſe, quàm ipſam ſubſtantiam Animæ immediatè operantem, & iuxta diuerſos actus diuerſimodè virtutem exibentem. Quidquid inſuper poteſt præſtare Anima per huiuſmodi entitates diſtinctas, poteſt multò comodiùs per ſe, & per propriam ſubſtantiam immediatè, immò quidquid vrgere videtur de actibus vitalibus, multò magis vrget de his potentijs in ordine ad earum receptionem, ergo fruſtraneum penitus eſt eas diſtinguere.

238 *Collige hinc neque diſtingui inter ſe realiter has Animæ potentias.*

Sunt enim idemtificatæ eidem indiuiſo principio, ſeu nihil ſunt aliud, quàm ipſa indiuiſa ſubſtantia Animæ potens exercere, vel actu exercens diuerſas operationes, diuerſaſque recipiens.

Dices actus materiales ſubiectari non poſſe immediatè

immediatè in ſubſtantia Animæ rationalis, ergo per potentiam diſtinctam.

Contrà, potentia ipſa materialis eſt improportionata ſubſtantiæ Animæ rationalis, ergo debet in ea recipi per aliam potentiam, ergo vel proceſſus infinitum, vel potentia materialis immediatè recipitur in Anima rationali, ſic igitur dicas de actu ipſo, putà de viſione cum minori grauamine, non quia animæ inhæreat, ſed quia,

239 *Actus materiales Animæ nostræ ſunt inhæſinè in ſubſtantia organi, informatiuè in Anima.*

Explico, & probo actus vitales ſenſuum materiales cum ſint, & corporei, & accidentia, immò, & modi eidem principio debent inhærere, de cuius potentia educuntur, ac proindè in ſubſtantia organi, quia verò ſunt etiam actus immanentes, & vitales, nec reddere poſſunt formaliter tale principium, quod aliquo modo non afficiunt, ſunt ideò informatiuè in Anima rationali; enim verò effectus formalis formæ immanentis exhiberi non poteſt niſi per intrinſecam exhibitionem ipſiuſmet formæ, ergò proportionatam ſubiecto, quia verò ſubſtantia rationalis incapax eſt inhæſiuè ſuſtinere accidens materiale, remanet, quòd informatiuè recipiat, totum meditare proportionaliter in vnione, quæ materiæ inhæret, ad formam terminat, & in ſimilibus.

Adde, quòd duo habet ſenſatio, quòd ſit actus materialis, & actus vitalis, duplicem proptereà requirit capacitatem in ſubiecto, alteram materialitatis, alteram vitalitatis, ſola materia non habet niſi materialitatem, ſola forma ſpiritualis niſi vitalitatem, & propterea ex vtraquè adæquatur vnum ſubiectum, ergo inhærebit materiæ, informabit animam, ſeu merè afficiet, meliùs, quâm ſi des potentias diſtinctas.

240 *Animæ ſingulæ concurrunt ſecundùm totam*

ſuam

ſuam ſubſtantiam ad actus ſuos vitales in quamcumquè parte organica exerceantur.

Hoc eſt pars Animæ Equinæ exiſtens in pede concurrit ad viſionem in oculo, & ſic de alijs proportionaliter.

De Anima rationali conſtat ex eius indiuiſibilitate, quam dabo infrà; De Animabus partibilibus probo, quia ſecundùm omnes ſui partes, & ſecundùm ſe totas habent virtutem ad producendam ſenſationem tàm internam, quàm externam, ſunt enim & entitatiuè, & poteſtatiuè homogeneæ, vt habes ex 226; ſunt etiam ſufficienter applicatæ ſecundùm omnes ſui partes, licèt diuiſibiliter locatæ, indiuiſæ tamen ſunt, vt verò agens agat, ſufficit ſi ſecundùm ſui partes continuetur, neque opus eſt, quòd ſit immediatè applicatum ſecundùm ſe totum, vt vides in ferente pondus, qui ab omnibus partibus premitur, licet non immediatè applicatis, in igne magnæ molis, qui ſecundùm omnes partes etiam diſtantes calefacit, ergo tota debet ad omnes actus concurrere. Patet prætereà, quòd relaxatur vis operatiua in alijs partibus corporis, ſi vehemens ſit operatio in vna, immò, quòd ſæpè ceſſat operatio in alijs, ex vehementi in vna, ergò quia tota concurrit Anima ad ſingulas operationes, eiuſque partes per modum vnius indiuiſibiliter agunt.

Titulus IV.

Anima Vegetans.

INnoteſcunt formæ principaliter ex operationibus, vndè etiam ſæpè in ordine ad illas deffiniuntur; ſic;

241. *Definit Philoſophus Animam Vegetantem, Principium potentia tale, vt conſeruet habens ipſum, ſecundum quod eſt huiuſmodi.*

Dicit *Principium*, vt oſtendat conuenire cum alijs, connotando vim actiuam, & paſſiuam; *Potentia tale*, vt oſtendat eſſe formaliter Potentiam actiuam, & aptam conſeruare corpus organicum, in quo eſt, propter quod addit, *vt conſeruet habens ipſum*, quod reſpicit vim nutritiuam, per quam reſtauratur ſubſtantia deperdita, & ſeruetur corpus in ea diſpoſitione, quam exigit Anima; *Quatenus huiuſmodi*, cadit ſupra habens ipſum, videlicèt corpus organicum potentia vitam habens, itaut Anima Vegetans ſit principium conſeruatiuum viuentis quà tale.

Ex quo, quia tria ſunt principalia munera Animæ Vegetatiuæ: *Corpus conſeruare, ad debitum ſtatum perducere, & eius ſpeciem propagare,*

242. *Tres primariæ ſunt eius potentiæ, Nutritiua, Augumentatiua, & Generatiua.*

Siquidem Viuens dum gignitur paruæ molis eſt, debuit ideò habere Viuens virtutem intrinſecam, per quā ſe reduceret ad debitam molem, & perfectum ſtatum, ergo per potentiam augumentatiuam; item, quoniam ex contrarijs compaginatur Viuens, conſiſtitque Vita in Calido, & Humido radicali; & Calor humidum ſæpe conſumit, debuit vim aliquam intrinſecam habere, per quam Humidum deperditum reſtauraret, ergo debuit habere vim nutritiuam; & tandem, quia Calor naturalis agens in Humidum radicale debilitatur, omne namquè agens agendo repatitur, itaut temporis proceſſu alimentum vltra in ſuam ſubſtantiam conuertere nequibat, deficiatque Viuens, iuſtum fuit, vt inter ſubſtantias corporeas nobilior non ſtatim deperderetur, atque adeò poſſet ſe, ſi iam non indiuidualiter, ſpecificè

ſaltem perpetuare, virtute præditum eſſet edendi in lucem ſibi ſimilem ſubſtantiam, ergo quòd haberet potentiam Generatiuam, qua veluti alterum ſe produceret; quæ potentiæ ad triplicem extenſionem viuentis neceſſariam ordinantur; nempe Temperiei, & pro hac eſt Nutritiua, Molis, & eſt Augumentatiua, & Multitudinis, ſeu Speciei, & eſt Generatiua; cæteræ verò, quæ in viuente cernuntur, putà Attractiua, Retentiua, Segregatiua &c. ad has reducuntur, quibus inſeruiunt.

Quòd verò dentur actu hujuſmodi potentiæ Vegetantis Animæ palpabili adeò experientia conſtat, vt ſuperfluum plura adducere.

243 *Non diſtinguuntur tamen aut inter ſe, aut ab Anima cuius ſunt potentiæ, niſi ad ſummum extrinſecè.*

Expoſita eſt in 236. Qua propter potentia Augumentatiua, nihil aliud erit, quàm ipſa ſubſtantia Animæ, prout verſatur circa alimentum debitè diſpoſitum ad conuerti in ſubſtantiam aliti, mediante calore vitali; Nutritiua eadem Anima, vt verſans circa alimentum ad reſtaurandas partes deperditas; Generatiua tandem Anima tendens in Viuentis propagationem; Actus verò harum potentiarum ſatis patent ex antecedentibus; Specialiter tamen aliqua de viuentium Generatione.

244 *Benè deffinitur viuentium Generatio, Origo Viuentis à Viuente principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ ex vi talis proceſſionis.*

Proceſſio dicitur abſolutè, ſeu *Origo*, ſecundùm quod abſtrahit à dependentia, vel independentia; *Viuentis à Viuente*, per quod differt à Generatione Mixtorum, & ſimplicium inanimatorum, vel etiam productione animati, quod à non viuente gignatur, ſi quod eſt, vt ſi dicas Solem eſſe Cauſam genitorum ex putri, vel eliquet Deus lapidem v.g. ad gignendum Equum, ſi fieri poteſt:

Prin-

Principio coniunctio, vel actu, vel ſaltem initio Generationis, itaut ſit verè aliquid illius, vt in naturali viuentium generatione, quæ fit per deciſionem ſeminis à ſubſtantia Generantis, aut etiam per communicationem totius ſubſtantiæ Generantis, vt fit in Generatione Verbi Diuini; & hinc excluditur à ratione huius generationis actio, qua Deus Angelos, Adamum, & ex eius Coſta Euam produxit, ſecundo Incubatio, qua Auis alterius pullos ab ouis excludit, & ſimiles; *In ſimilitudinem naturæ*, appellat naturam vel ſpecificam, vel indiuidualem; propter quod Vermes, Serpentes, & his ſimilia animalia, quæ ex carne Cadaueris gignuntur non ſunt proles illius animalis, ex cuius materia ſunt genita, quia non procedunt in ſimilitudinem naturæ. *Ex vi talis proceſſionis* additur in ordine ad diſtinguendam Verbi generationem à Proceſſione Spiritus Diuini, qui licèt ſit ſimilis in natura Patri, & Filio, nec Filius dicitur, nec Genitus, ſed Procedens, quia non eſt ſimilis ex vi talis proceſſionis, per quam eſt Spiritus Sanctus, cum non ſit cognitio, atquè adeo ſimilitudo Patris.

245 *In Viuentis Generatione connaturali more facta in Vtero Fœminæ per effuſionem ſeminis à Mare, & Fœmina deciſi concurrit effectiuè Fœmina ad productionem prolis.*

Colligitur ex eo, quòd ſæpiſſimè prodeunt partus Matri ſimilitudinem plenè referentes, & hoc non aliundè, quàm quia materia à Mare exhibita in genitura excedit in temperamento materiam exhibitam à Patre, cumque omne agens conetur quantum poteſt aſſimilare ſibi paſſum, & ſibi ſimile gignere, quo ſimilior cernitur, terminus, eò maior infertur vis actiua; item, calor cæteræquè qualitates, quibus afficitur genitura à Matre ſuppeditata non ſunt diuerſæ ſpeciei à relictis in ſemine Patris, nec minus ſunt agentia neceſſaria, quàm iſtæ,

eius ergo nimis actiuæ? ergo cur non instrumenta Matris esse dicitur Generantis? sunt præterea eiusdem speciei Mas, & fœmina, & sunt æquè principio vegetatiuo præditi ambo; ergo habent quidquid requiritur ex parte Animæ vegetantis ad generationem; ergo & vim actiuam; tandem non esset quid obstaret, ne sterilis pareret, quia principium merè paſſiuum esset, & virtus operatiua esset in genitura Patris, maximè ſi ſit in magna copia.

Infertur ex his cauſam principalem generationis viuentium eſſe, vtrumque Parentem; virtutes verò ſeminales eſſe instrumenta, quibus vtantur ad eformandum fœtum, & educendam formam, & vnionem, ſi viuens ſit Brutum, vel ſolam vnionem ſi Rationale.

Congruit cum antecedenti, & cum 150. & 162.

Titulus V.

Anima Sentiens.

PErfectius, & valdè abundantius viuentium genus eſt Senſitiuorum, triplici etenim in elemento degunt Aqua, Terra, & Aere, & forte etiam in Igne, ſi referentibus de Pirauſtis fides eſt; dari ergo Animam Senſitiuam vniuerſo conuincitur ex Orbe.

244 *Dici poteſt Anima Sentiens actus primus corporis organici potentia vitam ſenſitiuam habentis.*

Eadem ratione, qua prior Anima deffinitur in ordine ad operationem, illa quidem vegetandi, hæc ſentiendi; ſingula patent ex 241. Additur, *vitam Senſitiuam*, quod differentiam, & perfectionem intrinſecam huius Animæ explicat, & oſtendit quomodo ipſa ſit primum principium exercendi operationes ſenſitiuas, in ordine ad quas,

Duplici potentiarum genere dotata eſt, externarum ſcilicet, & ſunt quinque vulgati ſenſus, Viſus ſcilicet, Auditus, Olfactus, Guſtus, & Tactus, & internarum, quæ Senſum Communem, Phantaſiam, Cogitatiuam, & his ſimiles complectuntur.

248 *Dantur de facto (licet non in omnibus Brutis, vt in Talpa, Zoophitis, & ſimilibus) quinque dicti ſenſus externi.*

Prima ratio eſt experientia, cum in plurimis Brutorum, imo quorumdam diuerſis ſpeciebus præſertim videamus modò vnum, modò alterum ſenſum excellere, nempe olfactum in Cane venatorio, viſum in Lynce, & ſic de alijs. Secunda eſt numerus obiectorum ſenſibilium; aliqua enim ſunt, quæ tantùm intentionaliter immutant potentiam, & ſunt obiecta Viſibilia; aliqua quæ, & intentionaliter, & phyſicè, quod duplici modo præbent, aut per lationem, & eſt obiectum Audibile, quod per medij commotionem fertur ad aurem; aut per alterationem factam tum in ipſo obiecto, tum in medio, & eſt obiectum Odorabile, quod per qualitatem ab ipſo exeuntem, & per medium diffuſam infertur ad nares; aliqua verò ſunt, quæ ſenſum immutant immediatè, aut per qualitatem eandem ſenſibilem, vt ſunt omnia Tangibilia; aut per diuerſam etiam, & ſunt Guſtabilia, & ſi quæ alia reperiantur his proxima ſunt; ergo quinque inſunt potentiæ externæ dictæ. Tertia eſt diuerſitas organorum in corpore viuentis perfecti, quæ non plures infert potentias extrinſecas, quàm enumeratas, vt patet conſideranti.

249 *Dantur etiam aliqui ſenſus interni.*

Dixi dari aliquos, quia incertiſſimum eſt, & improbabile tot eſſe potentias internas, quot ab aliquibus enumerantur; putà Senſum Communem, Phantaſiam, Imaginatiuam, Æſtimatiuam, Cogitatiuam, Memoriam,

& Reminiſcentiam; Primò, quia videntur multiplicari tot potentiæ in ordine ad diuerſas operationes, quæ in internis exercentur, at hæ eiuſdem omnino poſſunt eſſe potentiæ, quæ habeat vim tendendi in ſingula obiecta ſenſuum externorum, & Senſus communis ſit, dum verò circa talia obiecta operatur ſit Phantaſia, eorum etiam ſpecies receptas componens, ſit Imaginatiua, &c. Secundò, quia quantumuis creſcant in numero, indiſtinctæ ſemper ſunt à ſubſtantia Animæ, vel potius eadem ſunt Animæ ſubſtantia in ſe ipſa internè cogitans de obiectis ab extrinſeco per ſpecies delatis, propterea vnum ſenſum communem internum probabilius eſt eſſe, quòd ſi quinque enumerantur extrinſeci, diſtinguuntur ex obiectis, & ex organis.

Dari tamen aliquem certum eſt, tum ex organizatione Capitis, tum ex operationibus, quæ in Brutis ſæpiſſimè cernimus, ſi enim edoceatur Canis, Equus, & ſimilia perfectiora animalia, videmus aptiſſimè ediſcere, & reminiſci; ſingula etiam ſedeq; vbi aliquando cibum receperint, recordantur, & *cognouit Bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus præſepe Domini ſui.*

250. *Obiecta circa quæ feruntur ſenſus, ſunt aut propria, aut communia, aut etiam per accidens.* *Obiectum, ſeu Senſibile commune* eſt, quod primò percipitur à pluribus ſenſibus, putà Molis, figura, &c. quæ non ab vno tantum ſenſu percipiuntur, propter quod commune dicuntur; neque opus eſt, vt à ſingulis, ſed à pluribus ſentiri queat. *Senſibile proprium*, quod vnius tantum ſenſus per ſe eſt motiuum, vt color Viſus, Sonus Auditus, &c. *Senſibile per accidens* eſt, quod per ſe habet terminare aliquam determinatam potentiam, tamen coniunctum cum ſenſibili proprio alterius potentiæ poteſt ſentiri, aut ab eodem, aut à diuerſa potentia, ex vi tamen illius ſenſationis, vt cum videns al-

bedi-

bedientem Saccari, vel Lactis infert dulcedinem.

251 *Porrò ſenſibile commune in quinque diuiditur capita, videlicet in Quantitatem, Motum, Numerum, Magnitudinem, & Figuram.*

Patet, quia ſic congruenter aſſignantur omnia, quæ à diuerſis ſenſibus percipi poſſunt, hiſquè omnes conditiones debitæ ſenſibili communi adamuſſim aptantur; & ſi quæ videantur alia, ſub his continentur, vt nempe *Diſtantia, Situs, Locus* ad Magnitudinem, *Læue, & Aſperum* ad Figuram, & ſimilia.

252 *Inter conditiones autem requiſitas ad obiectum ſenſibile eſt primò, quòd ſit ſingulare; ſecundò, quòd ſit ens corporeum; tertiò, quòd ſit præſens, vel per ſe, vel per aliquid ſui.*

Ratio primæ eſt, quia differt per hoc potentia ſpiritualis, & ſcientia à potentia corporea, quod illa verſetur circa obiecta vniuerſalia, hæc circa ſingularia, & quia non fertur ſenſus niſi in id, quod ſpeciem ſui imprimat, ergo quod ſit, ergo ſingulare, quæ enim exiſtunt ſingularia ſunt; ratio ſecunda eſt proportio inter obiectum, & potentiam, cum igitur potentia corporea ſit, & organica, conſequens eſt, quòd corporeum ſit, & quantum etiam obiectum, vt poſſit modo ſibi proportionato vniri potentiæ; ratio tertia eſt, quia cum debeat obiectum materiale immutare potentiam per vnionem ſui, aut mediatam, aut immediatam, non poteſt, niſi exiſtat, aut quia exhibeat propriam entitatem, aut ſaltem immittat ſui ſpeciem ad potentiam, quod non niſi præſens poteſt præſtare.

253 *Hinc eſt primò, quòd non poſſit ferri naturaliter potentia ſenſitiua in obiectum abſens.*

Cui accedit, quòd ſpecies materialis eſt ex ſe effectus pendens in fieri, & conſeruari à ſuo obiecto, neceſſe eſt ideò perſeuerare obiectū ad determinatam diſtantiam

quod ſpeciem conſeruet ad ſenſationem.

254 *Eſt ſecundò, quòd ſi obiectum minuatur valdè in mole, non remaneat vlteriùs ſenſibile.*

Cum enim ſentiri nequeat obiectum, niſi vel per ſe, vel per ſpeciem immutet potentiam, ſi valde minuatur, ad tam paruam molem reduci poterit, quòd minimam habeat vim actiuam, & ſui ſpeciem, vel ſenſationem nequeat producere. Ex quo minimum ſenſibile eſſet indiuiſibile, ſi per impoſſibile ſeparatum exiſteret.

255 *Eſt tertiò, quòd nequeat ſenſus [illegible] productionem ſui obiecti.*

Nulla namque productio eſt actum, cum ſit non ens; ergo nullo modo poteſt mouere ſenſum, vel per ſe, vel per quid ſui.

256 *Eſt quartò, quòd nequeat ſenſibilis fieri, ſaltem à ſenſu externo actus quilibet ſenſationis.*

Nam actus ſenſationum ſentiri non poſſunt, quin perſeuerent, donec ſui ſpeciem producant in potentiam, [illegible] actu potentia [illegible] ſenſatio [illegible] actum [illegible] non poteſt [illegible], & expletis [illegible], vt ſentiri poſſit, ergo &c. Aduertendum verò, quòd dicentes ab alio animali [illegible] poſſe, & debere, cùm ſingula illa percipiantur accidentia; cuius tamen oppoſitum experimur, ergo &c.

257 *Eſt quintò, quòd [illegible] ſenſus ab excellenti ſenſibili [illegible].*

Et quidem ſi vniatur cum ſenſu, vel per ſe, vel per ſpeciem ſui, quæ minimè excedat capacitatem potentiæ, non poteſt, quin aliqualiter lædat; licet hoc non proueniat præciſè ex entitate obiecti, vel ex ſpecie, ſed ex qualitatibus temperamento organi ſenſus contrarijs; quas ſecum defert, & non quatenus ſenſibile, ſed quatenus actiuum eſt, & contrarium, vt experimur inſpicientes intentè in Solem, vel in Niuem, vel in aliquid ſimi-

ſimilem, ob quam rationem etiam *impedit ſenſationem ſenſibile poſitum ſupra ſenſorium*;

258 *Senſus quicumque non ſe habet merè paſſiuè, ſed effectiuè concurrit ad ſuas [illegible]*

Patet primò ex [illegible]. Secundò, quia eadem ſpecies ſenſibilis obiecti recipitur in ſpeculo, aut in oculo mortuo, vel in alio ſimili corpore, & non elicitur viſio, ergo quia vitalitas potentiæ non eſt ſolùm in ordine ad receptionem ſenſationis, ſed etiam ad eius productionem. Tertiò, quia de facto plurimarum rerum ſpecies aſſeruantur in Phantaſia animalis viui, & tamen non eliciuntur ſenſationes illorum obiectorum, ergo quia aliquam vitalitatem exercet ſenſus in ſuas operationes.

Hactenus factum eſt debere obiectum vniri cum potentia, vel per ſe, vel per aliquid ſui, hoc eſt per ſpecies; aliqua modò de his ſpeciebus, & quidem de ſpeciebus ſenſibilibus, & impreſſis ago, quia de expreſſis, & intelligibilibus infrà.

259 *Dantur de facto ſpecies aliquæ ſenſibiles impreſſæ.*

Species dico, quia ſunt imagines quædam referentes ſimilitudinem obiecti à quo producuntur, *aliquæ*, quia non omnes potentiæ cognoſcitiuæ operantur per ſpecies, vt in ſequentibus; *ſenſibiles*, quia ſenſibus inſeruiunt, & materiales ſunt, de intellectualibus enim poſteà; *impreſſæ*, quia imprimuntur ab obiecto in potentia, ad differentiam expreſſarum, quæ expreſsè, & formaliter obiectum repræſentant, & ſunt ipſi actus cognoſcitiui eliciti de obiecto.

260 Plurimas dari conuincit experientia, quam dabo concl. 265. ratio inſuper eſt, quia quælibet ſenſatio, immò & quælibet cognitio, neceſſariò fit per aliquam actionem phyſicam, ergo per contactum, vel formalem, vel virtualem, ergo vbi non coniungitur obiectum per

ſe

ſe ipſum cum potentia, vniri opus, eſt per aliquid ſui, quod habeat vim referendi illud, quod dicimus *ſpecies impreſſas*; en antecedens, non fit per ſolam negationem, aut priuationem, quia certè aliter me habeo phyſicè, & poſitiuè, quando video, quàm antè, ergo fit per paſſionem, aut obiecti, aut potentiæ, ergo quia agat vel obiectum in potentiam, vel hæc in illud; quia verò ſenſatio eſt operatio vitalis non fit extra potentiam, ergo per receptionem alicuius in potentia ab obiecto; quod ſpecies dictas nominamus: en primum conſequens; non quælibet potentia operatur per vnionem immediatam ſui cum obiecto, vt videbis in ſequentibus, immò ſæpè ſenſibile poſitum ſuprà ſenſorium impedit ſenſationem, ergo per contactum virtualem: en ſecundum; quia non quodlibet ab obiecto in potentia relictum eſt aptum ad vniendum vtrumque, ſed debet eſſe aliquod, quod ſit aptum determinare potentiam ad hoc, vel illud obiectũ, quod nõ poteſt habere, niſi ſit aliqualis illius ſimilitudo; confirmatur, quia paſſim euenit, quòd obiectum diſtans potentiam moueat, ergo ratione contactus neceſſariò requiſiti ad actiones phyſicas; opus eſt moueri potentiam ab obiecto per aliquid ſui, ergo per dictas ſpecies; confirmatur magis, quia quæcũque video in alijs agentibus naturaliter requiri, video exigi etiam ab obiecto, & potentia, vt cognoſcatur obiectum, putà medium aptè diſpoſitum ad deferendum aliquid inter hæc duo, & conſequenter remotionem cuiuslibet impedimenti, maximè corporis denſi, & opaci; diſtantiam proporcionatam, quia ſi maior ſit vel minor, quàm ſit virtus obiecti, & potentiæ, non ſequitur cognitio obiecti, & ſimilia; ex alio capite ſcio cognoſci obiecti, eſſe quid vitale, & immanens, ergo fieri per aliquod intrinſecum potentiæ, ergo per aliquod, quod emittatur ab obiecto, ergo per datam ſpeciem,

Tum

Tum quia potentia cognoſcitiua eſt capax, atque adeo indifferens ad cognoſcendum quodlibet cognoſcibile, intra tamen latitudinem ſui obiecti, ergo debet determinari per aliquod ſibi proportionatum, quod ſit veluc ſemen huius, & non alterius obiecti, quod poſitum in potentia eam determinet ad eliciendum actum circa hoc, non circa illud obiectum, ergo per dictam ſpeciem.

260 *Hæ ſpecies non ſunt eiuſdem naturæ, vel ſpeciei cum obiecto, itaut ſint eius quidditas diuerſimodè exiſtens in potentia; ſiue talis conuenientia dicatur formalis, ſiue eminentialis ex quibus, & potentia fiat vnum per ſe.*

Eſt euidens, quia quidditas obiecti diuerſimodè exiſtens in potentia, vel verè eſt ipſum obiectum, & non ex præcedenti, vel quid diuerſum ab obiecto, & iam non eſt obiectum, nec quidditas illius, quia res, & quidditas rei ſunt idem; præterea quidditas rei, quæ ſit formalis rei ſimilitudo, non poteſt eſſe niſi ipſa res formaliter, quod non, vt iam; quæ verò ſit eminentialis contrà, quia prædicata formalia, & eminentialia nunquam ſunt eiuſdem ſpeciei, ergo non erunt hæ ſpecies quidditas, vel quid eiuſdem ſpeciei cum obiecto, immò ſpecies repræſentans plura obiecta, erit vel formaliter illa plura obiecta, atque adeo æquè perfecta; vel eminenter, & erit perfectior, ſi autem ex ſpecie, & cognoſcente fieri debeat vnum per ſe, ergo perfectior valdè fieri debebit cognoſcens v. g. ſe ipſo, cognoſcendo obiecta, quàm ſit ſecundùm ſuam ſubſtantiam, & fieri debebit formaliter obiecta ipſa cognita nō minus, quàm fiat lignum materia ex quidditate ligni, quam habet per formam. Quoniam verò puto debere hoc verificari vniuerſaliter de ſpecie etiam intelligibili; vrgeo, poteſt exiſtere homo v. g. & non intelligi, vel intelligi, & non

exiſtere,

existere, ergo id per quod reddetur intelligens hominem v. g. Angelum, non est quidditas hominis, probo; quia nihil potest esse sine sua quidditate, vel quidditas rei, [illegible] res, imò Angelus redderetur formaliter homo per hominis quidditatem sine homine, &c.

[illegible] obiectum [illegible] non sunt Idolum [illegible] imago, in qua [illegible] cognoscatur obiectum.

Prima ratio deducitur ex obiecto visibili, quia quodcumque visibile est, vel lumen, vel color (sic colores sunt qualitates à luce realiter distinctæ) species verò nec lumen sunt, nec color, vt habetur [illegible]. Præterea videns in ſpeculo Montem, non video in ea magnitudine & distantia, quia non habet ſpecies Montis in ſpeculo existens, quæ in ſuperficie ſpeculi recipitur, & maior non eſt ſpeculo, cùm tamen videatur Mons in ſua distantia, & mole ſua, ſecus ſi inſpiciam ſtatuam vel picturam Cæſaris, ergo &c. Inſuper cognitio intuitiua in hoc ab abſtractiua differt, quòd hæc cognitio [illegible], vt dum in ſtatua Cæſaris Cæſarem intueor, illa verò in ipſo obiecto; at ſi ſpecies eſſet obiectum [illegible], nulla cognitio eſſet intuitiua, ergo &c. Adde quòd ſi eſſet obiectum *Quod*, ergo cùm ſæpè diſtet à potentia non poſſet videri [illegible] per ſe ipſam [illegible] cum potentia [illegible] ſæpè non poteſt [illegible] per aliam ſpeciem [illegible] de qua eadem currit ratio, & ſi per ſe, ipſam ergo poſſet cognoſcere ſine vlla actiuitate potentiæ, poſtquàm redderet potentiam formaliter cognoſcentem, ſi quidem formaliter repræſentaret obiectum.

Sed ſunt qualitates ſpirituales realiter ab aliis accidentibus diuerſæ, [illegible] non formaliter repræſentatiue obiecti [illegible]

Qualitates dixi, quia corpora ſubſtantialia eſſe non poſſunt, cùm ad tantam ſæpè diſtantiam immittantur,

vt

vt vix ſufficiat virtus agentis ſubſtantiam gignere; tum quia cum totum potentiæ ſubſtantiam ingrediantur, naturaliter penetrarentur corpora, contra communem; etiam, quod non videtur tanta vis in quolibet obiecto, vt corpora ſubſtantialia diffundat ad tantum ſpatium vniformiter, quomodo fieri debet hac ſpecie videbis infra; tum denique, quia accidentia ſunt ſenſibilia, & ſæpè percipiuntur nulla præſente ſubſtantia, vt naturaliter accidit in Hoſtia iam conſecrata, ergo quia ſpecies dictæ ſunt qualitates non corpora ſubſtantialia.

Intentionales, quia nihil aliud inſeruiunt, quàm vt compleant potentiam intendentem in obiectum; & ſunt qualitates ab ipſis purè phyſicis accidentibus productæ, neque enim poſſunt eſſe accidentia ipſa purè phyſica, puta albedo, nigredo, & ſimilia; Primò, quia pleraquè ex his non ſunt vbiquè actiua; vt patet, neque alio modo poſſunt diffundi per ſpatium intermedium, & in potentia; Secundò, quia in eodem ſubiecto non poſſunt naturaliter eſſe accidentia contraria, ſaltem in ſummo, & tamen in eadem potentia eſt ſimul cognitio duorum contrariorum, etiam in ſummo, ergo eſt ſimul quod mouet potentiam ad eam cognitionem, ergo non poſſunt eſſe accidentia materialia inter ſe contraria; ergo erunt neceſſariæ dictæ qualitates intentionales, realiter diuerſæ ab alijs accidentibus materialibus.

Dixi *virtualiter, non formaliter repræſentantes obiecta*, ergo &c. quia formalis imago obiecti, aut realis eſt ſimpliciter, qualis eſt ſtatua, vel pictura Cæſaris, & hæc phyſicam conuenientiam debet habere cum obiecto, eiuſquè partes referre; & talis certè non eſt ſpecies dicta, aut eſt realis intentionalis; & repræſentans formaliter obiectum, reddens etiam potentiam formaliter cognoſcentem, neque certè talis eſt ſpecies hæc, quia ipſa ſola in organo poſita non facit ſenſationem, vt patet [illegible]

tur in oculo mortuo, vel ſpeculo, vitalitas autem non eſt conditio requiſita ſolùm ad recipere, vt in iis patet, ergo ad agere, ergo hæc non reddit formaliter cognoſcentem potentiam, remanet ergo quòd ſit virtualis, quæ licèt non habeat ſpecificam conuenientiam cum obiecto, ſit tamen veluti ſemen, & vis relicta ab obiecto in potentia, per quam obiectum concurrat ad ſui ſenſationem.

Sic igitur probo concluſionem, potentia in ſe incompleta eſt ad cognoſcendum obiectum, alioquin ſe ſola cognoſceret quodcumquè obiectum, hoc etiam ex ſe inſufficiens eſt ad cognoſci propter rationes dictas, vtrumquè ergo debet concurrere ad cognitionem, illud quidem per aliquid ſui, potentia verò per actum cognitionis; quoniam verò hoc ſemen obiecti non eſt formalis illius imago, vt dixi, remanet quòd ſit virtualis dicta, ſed hoc iam patet ex præcedenti, & clariùs nunc, quia

263 Sunt etiam intenſibiles, & remiſſibiles in ordine ad repræſentandum eoſdem, & diuerſos gradus cognoſcibilitatis obiecti.

Senſus eſt ſi obiectum ſit intenſum ex. g. vt quattuor, poſſit verò augeri, habet cognoſcibilitatem vt quattuor, quæ etiam poteſt augeri, ergo etiam quòd ſpecies poſſit repræſentare magis, & minus eoſdem gradus, vel plures ſi addantur, ſiuè etiam ſi obiectum ſit extenſum, v.g. ſecundùm palmum, poſſit ſpecies repræſentare plures, & minores partes eiuſdem obiecti, nec indiuiſibiliter producatur tota à toto obiecto, ſed ſecundùm partes à partibus obiecti.

Tota habetur ab experientia in viſione hæc aſſertio; ſi namque ponatur videns in tali diſtantia ab obiecto, vt confuſè, vix videat, quo magis accedit, clariùs videt, quò magis clariùs eandem albedinem v.g. obiecti, ergo

quia

Digitized by Google

quia ſpecies ſit intenſibilis in ordine ad repræſentandos eoſdem gradus cognoſcibilitatis obiecti; item ſi ſtem ad diſtantiam debitam ab obiecto luminoſo, & augeatur eius lux, iam continuè percipio maiorem lucem fieri in obiecto; ergo quia diuerſos gradus intenſionis habet etiam ſpecies ad diuerſos, & intenſiores gradus obiecti; Tertiò, ſi inſpiciam obiectum album ex. c. palmare, quod ſucceſſiuè aperiatur, video ſucceſſiuè partes extenſas obiecti, nec eas ſimul video, etiam ſi habeam ſpeciem productam ab aliquibus partibus eiuſdem obiecti, ergo quia non producitur indiuiſibiliter à ſingulis partibus obiecti, neque indiuiſibiliter totam obiecti latitudinem repræſentat; dicere autem, quòd dum magis repræſentatur obiectum, noua ſemper producatur ſpecies priori corrupta inutile planè, & perniciosum figmentum eſt, quod tollit concluſio 175.

Non deeſt etiam ratio deſumpta ex 187. obiectum enim eſt agens neceſſarium, non ſecus ac ignis v. g. ergo non minus debet agere intra ſuam ſphæram vniformiter, difformiter, & ſemper valeret, quòd obiectum ad quamcumque diſtantiam ſui ſpeciem producere poſſet, & illi tendere, & perfectiſſimè in vltimo, ac in primo puncto ſphæræ.

264 *Indè collige etiam eſſe diuiſibiles entitatiuè.*

Etenim non producuntur totæ à ſingulis partibus obiecti, ſed ſecundùm partes à partibus educuntur de potentia ſubiecti diuiſibilis, & materialis, ergo cum agenti, & ſubiecto diuiſibili materiali non debeant minus correſpondere, quàm cætera accidentia materialia, diuiſibiles erunt non minus, quàm illa entitatiuè. Adde, quòd hæ ſpecies non poſſunt repræſentare niſi obiectum, à quo producuntur, nec produci naturaliter, niſi ab obiecto, quod debent repræſentare, ergo produci indi-

uiſibi-

[illegible] non poſſum [illegible] obiecto, neque à ſingulis partibus obiecti totis, ſed à ſingulis [illegible] eſt certum; alioquin non [illegible] obiectum inſpicerem, [illegible] ſpecies [illegible] obiectum repræſentare poſſet, vel [illegible] produci, conſequentia tenet, quia per ſpeciei [illegible] obiecti, vt patet in obiecto [illegible] & tamen ſi [illegible] viſibilis eſſet [illegible] & [illegible] producere [illegible] totum obiectum deberem videre [illegible].

[illegible] Sunt igitur ſpecies [illegible] ſenſibiles [illegible] res intentionales [illegible] repræſentatiuæ obiecti [illegible] ordinatæ ad complendam potentiam [illegible] eſſe principij adæquati [illegible] ſenſibi[illegible]

Nam ex obiecto & potentia [illegible] notitia, ergo cum obiectum per ſeipſum non ſemper complere poſſit potentiam in eſſe principij adæquati [illegible] notitiam, neceſſe eſt complere per ſpeciem ſui: Etiam, quælibet ſpecies intentionalis [illegible] eſt formalis ſimilitudo intentionalis obiecti, ergo [illegible] non poteſt, niſi à principio [illegible] formalitates obiecti, ſaltem virtualiter [illegible] potentia de ſe [illegible] ſit vitalis, debet compleri per ſpeciem dictam continentem virtualiter formalitatem obiecti; etiam, [illegible] eſt, quod ſpecies præreq[illegible]itur in potentia ad ſenſationem, ergo vt [illegible] in genere cauſæ efficientis [illegible] & probo; non [illegible] ſufficiens eſt materia, & [illegible] vitales, ergo requiè recipi [illegible] ſpecies, ipſas & alia accidentia; neque in eſſe cauſæ formalis [illegible] formales obiecti ſimilitudines [illegible] obiectum formaliter ſentiendo [illegible] efficientis; Etiam, ſpecies [illegible] & [illegible] phantaſia [illegible] informare potentiam, & [illegible] determinari in genere cauſæ formalis [illegible] & tamen nulla [illegible] [illegible]tio,

[illegible]

tio, ergo quia aliud præſtare debet, quàm informare, videlicet concurrere effectiuè cum potentia ad ſenſationes.

266 His ſpeciebus impreſſis vtitur oculus.

Ducimur experientia magiſtra; primò, ſi inter oculum, & obiectum corpus oppacum interponas non vides obiectum, ergo impeditur obiectum, ne ſui ſimilitudinem immittat ad potentiam; ſecundò, ſi corpori leni, vel etiam diaphano profundo, putà ſpeculo, vel aquæ obiectum apponas, reflectit ad oculum eius ſpecies; tertiò, ſi vtaris perſpicillis, vel colore, vel figura diuerſis diuerſificatum cernis obiectum, & hoc propter modificationem diuerſam ſpeciei; quartò, ſi ſpeculum compactum ſit ex pluribus circularibus, totuplex cernitur obiectum, quia ſpecies toties multiplicatur, quot ſunt ſubiecta recipientia; quintò variæ, quæ paſſim cernuntur paralaxes obiectorum, aut ex diſtantia, aut ex combinatione eorum, procedũnt ex confuſione, vel tenuitate ſpecierum in medio, vt ſi remum ex parte, vel pomum in aqua inſpicias, & ſimilibus in effectibus.

Ratione quoque prob. quia obiectum viſibile aliqua ſemper in diſtantia proportionata debet collocari, vt videatur, & de oculo, ſicut de Aure maximè verificatur, quòd *ſenſibile ſuprà ſenſorium impedit ſenſationem*, ergo vt coniungatur viſibile cum oculo per ſpeciem ſui; nam viſio non eſt minus ſimilitudo formalis obiecti viſibilis, quàm quælibet alia cognitio, ergo debet fieri concurrente obiecto, vel per ſe, vel per ſpeciem ſui.

267 Vtitur etiam auris.

Moueor, quia ab his potentijs, quæ vtuntur ſpeciebus obiectorum, ſeu quæ non vniuntur immediatè cum obiectis, percipiuntur nõ ſolùm obiecta, ſed etiam obiectorum circumſtantiæ, nempè diſtantia, motus, ſitus, & ſimilia, vt præſertim oculis ipſis experimur, ergo cum

eædem ferè circumſtantiæ obiecti ſonori percipiantur in Aure, opus eſt hoc organum vti ſpecie audibili; ratione autem harum conditionum obiecti fit, quòd ſonus ſæpè etiam in magna diſtantia percipiatur, & magis quieſcente aere, quàm ſi moueatur, ergo certè, quia ſonus per ſe ipſum non defertur ad Aurem, ſed per ſpeciem ſui; immò patet, quòd ſi circà ſenſorium auditus moueatur aer, confunditur, nec perfici poteſt ſenſatio, ſonus verò non defertur niſi per motum aeris reſilientis, ob quam etiam rationem cum audiatur ſonus interpoſito etiam denſiſſimo pariete, certum eſt audiri ſonum per ſpeciem ſui, quia motus aer permeare non poteſt parietem, niſi velis penetrari naturaliter corpora. Addere poſſem experientiam Tubi, quo ad ſimilitudinem infundibuli vtuntur Aures læſæ ad facilitandam ſenſationem; ſiquidem, vt congregentur ſpecies, & vnitiores deferantur ad ſenſorium, quod penitus ſuperfluum eſſet, ſi ſonus per ſe ipſum pertingere poſſet ad aurem; vel etiam experientiam Echo, vbi ex reflexione ſpeciei ſonoræ, veluti multiplicatus percipitur ſonus, ſicuti in ſpeculis circularibus obiectum viſibile.

268 *Vtitur etiam ſpeciebus impreſſis ſenſibilibus Senſus Internus.*

Expreſsè dico hunc ſenſum vti ſpeciebus ſenſibilibus impreſſis, quia nō placet diuiſio illa ſpeciei in Senſatam, quam dicunt ſpeciem obiecti à ſenſu exteriori iam cogniti, putà ſpeciem Equi viſi, & Inſenſatam, quam dicunt ſpeciem à nullo exteriori ſenſu immiſſam, ſed in phantaſia productam excitantibus ſpeciebus ſenſatis, vt cum Ouis vides Lupum, & fugit; diſplicet inquam, quia non video, ad quid has nouas ſpecierum ſpecies dederit natura, vel vndè inferantur, cum omnia ſolis ſpeciebus ſenſatis debeant adſcribi, ſiquidem quòd fugiat Ouis viſo Lupo oritur ex anthipatica talis Ouis

tem-

temperie, quæ poſita viſione Lupi mouet appetitum ad timorem, & fugam, ſic in Cane viſo cibo mouetur appetitus ad amorem, & ſimilia;

Probant igitur aſſertum rationes ferè relatæ ſuprà, ſcilicet abſentia, vel diſtantia obiecti, quod nunquam per ſe ipſum cum ſenſu interno coniungitur, & neceſſitas complendi hanc potentiam in eſſe principij effectiui adæquati ſenſationis per aliquod, quod virtualiter contineat obiectum ſentiendum, ſitque obiecti ſemen, & potentiæ determinatiuum. Apertè etiam colligitur in Rationalibus, & Brutis dormientibus, in quibus phantaſia circa obiecta ſenſata operatur ſæpiſſimè, etiam læſis, vel quietis ſentibus externis, ergo quia remanet, & datur aliqua ſpecies impræſſa ſenſibilis in ſenſu interno.

269 *Non vtuntur tamen his, vel huiuſmodi ſpeciebus Guſtus, Olfactus, & Tactus.*

Sequitur ex præcedentibus, quoniam hi ſenſus ſemper coniunguntur immediatè cum obiecto ſenſibili, vt patet, ergo in his ceſſant omnia iura ad ſpecies impræſſas.

270 *Species dictæ ſenſuum exteriorum producuntur effectiuè, & adæquatè ab obiectis, quorum ſunt repræſentatiuæ.*

Sequitur hæc quoquè ex dictis, quia ſpecies imprimitur ab obiecto, vt ſit illius repræſentatiua, potentiam indifferentem, & inſufficientem compleat, & determinet ad hoc, & non ad aliud obiectum, ergo quia ſit effectiuè, & adæquatè producta ab eo obiecto, quod repræſentare debet, aliàs periret omnis certitudo experientiæ.

271 *Quæ verò ſenſui Interno deſeruiunt, producuntur effectiuè, aut ab actibus ſenſationum externarum, aut à ſenſu ipſo interno, ſic determinante ſenſatione externa.*

Ab alterutro dixi debere produci, quia dari certum eſt, à quo verò producatur, incertum, neceſſarium tamen quòd producatur ab aliquo, quod vel ſit obiectum ipſum, vel formalis obiecti ſimilitudo, ergo cum non ab obiecto, quod abeſt à ſenſu interno, produci debeat à ſenſatione externa; vel ſi maius dici poteſt produci à ſenſu interno agente, ſic determinante, & exigente exteriori actu ſenſationis; vrget quòd Senſus Internus non ſolùm cognoſcit obiectum, ſed ſe cognouiſſe obiectum, ergo quia eius ſpecies ſit repræſentatiua cognitionis externæ, & obiecti, & producta vel ab ipſa ſenſatione, vel à ſenſu ea determinante.

272 *Obiectum viſus eſt color, & lumen.*

Exploratum eſt continua experientia, per ſe enim aliud ſaltem non cernitur obiectum, in hoc verò ſemper fertur viſus quoties eluitur viſio, nec vnquam colorem ſinè Lumine, vel nunquam ferè Lumen ſinè colore videmus; præſertim verò Lumen.

273 *Probabile eſt colores eſſe qualites realiter diuerſas à lumine.*

Probabile dixi, quia vix per congruentias alterum ab altero ſecernitur, ſiquidem non aliud ſuadet eſſe qualitates reales, quàm quia videntur idem permanere, & videri ad quamlibet lucis, ſiuè intenſam, ſiuè remiſſam exhibitionem, vel quia contrario caret lumen, non carent colores, vel etiam quia improbabile eſt, tot perire, ac gigni colores, quoties illuminatur, vel obſcuratur obiectum.

Si tamen des colores, dicas etiam *eſſe motiuum perſpicui in actu*, lumen autem *actum perſpicui*, hoc eſt color eſt productiuus ſpeciei in corpore diaphano actu lumine affecto, quia hoc poſito opus eſt medium illuminari, vt color ſui ſpeciem per medium diffundat, & lumen eſt forma, ſeu actus reddens corpus diaphanum

aptum

aptum recipere ſpeciem coloris, eamque tranſmittere ad ſenſum.

274 *Probabile etiam non eſſe qualitates realiter à lumine diuerſos, ſed eſſe ipſam lumen diuerſimodè modificatum, & receptum in ſubiecto, magis, vel minus reflexiuo lucis receptæ.*

Senſus eſt, quòd quia corpora ex diuerſa diaphaneitate, vel opacitate, raritate, & denſitate, lenitate, vel aſperitate, figura, vel ſituatione, aliàque primarum, & ſecundarum qualitatum combinatione magis, vel minus reflexiua ſunt lucis receptæ, vt de facto apparet in plumis Auium, collo Columbæ, Nube Rorida, in qua formatur Iris, in pannis verſicoloribus, & ſimilibus, quæ negari non poſſunt, ita omnes cauſentur colorum varietates.

Patet probabilitas aſſerti, quia ſi æquè bene per ſolam lucis modificationem dictam, & diſpoſitionem corporum ſaluari poſſunt omnia, non tenemur nouas qualitates, & accidentia admittere, immò potius reijcere, & præſertim, quia talem lucis terminationem, & corporum capacitatem experimur quotidiè: Naturæ igitur intentum ſeruatur aptius, ſi tot accidentium ſpeciebus pareamus.

275 *Fit viſio non per extramiſſionem aliquorum radiorum viſualium, ſed per intus ſuſceptionem ſpecierum ab obiecto tranſmiſſarum.*

Patet primò paritate aliarum ſenſationum, putà auditionis, olfactionis, &c. quas nihil à paritate conuincit fieri non debere per radios auditiuos, vel olfactiuos emiſſos, ſi ergo hæ non fiunt per miſſionem, ſed intus receptionem, nec illæ; ſecundò, quia vniuerſaliter quæuis ſenſatio eſt operatio vitalis, ergo immanens, ergo fieri debet intrà potentiam, & quo magis per intra receptionem eo connaturaliùs ad imanentiam vitalitatis;

tis; tertiò, obiectum etiam in maxima mole, & actiuitate, ſi nimis diſtet vix valet ſui ſpeciem ad Oculum tranſmittere, vt experimur in corporibus cæleſtibus, Aſtris, & Planetis, ergo minus poterit Oculus eo vſq. dirigere, & repetere in inſtanti radium viſualem, ſi valet ratio à maiori ad minus; quartò, tandem ſpeciem dare teneris, hæc ſufficit, ſi aptè producatur in potentia diſpoſita, ergo fictitia eſt qualiſcumque radij emiſſio.

276 *Obiectum Auditus eſt ſonus.*

Actu namque nihil aliud ſaltem per ſe percipitur, in hunc ſolum fertur per ſe, & ſemper quoties exercetur Auditio, ergo &c.

277 *Eſt ſonus qualitas realiter diuiſa à motu aeris reſilientis.*

Fit ſonus ſemper ex colliſione duorum, vel trium corporum, præſertim in medio tenui, & fluido, ex qua colliſione reſilit aer, reſiliendo verò rumorem, & ſonum edit.

Do aſſumptum, quia ſenſibile commune eſt motus, ſonus verò proprium; varios præterea terminos, & proprietates habent motus, & ſonus, videlicet motus locationem diuerſam corporis moti, ſonus mouere potentiam ad ſenſationem, ſonus ad maximam etiam diſtantiam percipi, non diſcerni motus, & ſimilia, ergo &c.

Cæterorum obiecta, ſenſationes, & termini ex his proportionaliter patent, & facilè, tuæ igitur ſagacitati commiſſa ſiant.

Titu-

Titulus VI.

Anima Rationalis, eiuſquè Potentiæ.

PLeraquè ſenſibiliora ad huius nobiliſſimæ formæ indaginem conducentia fuerunt hactenus dicta, occultiora, atquè à materia remotiora ſtrictim proponam.

298 *Anima Rationalis eſt ſubſtantia ſpiritualis actuatiua corporis organici phyſici potentia vitam intellectiuam habentis.*

Subſtantiam eſſe habes ex 222. *Spiritualem* etiam eſſe ex 219, cætera habes ex 221. Adde tamen primò operationes à materia abſtractas intelligendi, & volendi, quas cernis in humano compoſito principium ſubſtantiale, & à materia independens euidenter inferre, vbi ſpecialiter videmus appetitum rationalem reluctante ſenſitiuo operari ſæpè, ergo cum in eodem principio ſtare non poſſit duplex operatio oppoſita eiuſdem potentiæ in eodem ordine, dicendum eſt vnam ſpiritualem eſſe videlicet appetitum rationalem, alteram materialem nempè appetitum ſenſitiuum, & quia quælibet operatio ſuum arguit principium ſubſtantiale ſibi proportionatum, erit forma talis ſubſtantia ſpiritualis, quàm Animam Rationalem dicimus; ſecundò modum operandi circà excellentiſſimum obiectum, nempè abſtrahendo, comparando, diuidendo, componendo obiecta tàm corporea, quàm ſpiritualia, ſingularia, vniuerſalia, finita, & infinita, quæ non niſi cum vi ſupernaturali incorporea, & ſubſtantiali intellectiua ſtare

 queunt;

queunt; Tandem perfectionem liberi arbitrij nulli adhuc irrationali, & materiali principio conceſſam.

Oſtendit etiam, quòd ſit vera ſubſtantia actuatiua, ſeu vera forma informans vt volunt alij, quòd ſit eſſentialiter ordinata ad conſtituendum vnum actu, cum ſua comparte, vt patet, quia ſtatim, ac primò eſt, vnitur corpori, ſecus forma aſſiſtens, vt vides in corpore obſeſſo, in ſphæris cæleſtibus ab intelligentia motis, quòd etiam homo ſit ſubſtantialiter, & formaliter viuens, ergo conſtitutum intrinſecè per aliquam veram formam viuentem, non per vegetantem, vel ſentientem, quia aut hæ formæ complerent hominem in ſpecie viuentis, & ſic non differret à Bruto, & Arbore, aut non complerent, ſed cõpleri deberet per Animam Rationalem aſſiſtentem, & iam eſſent formæ ſubordinatæ; primum ridiculum, ſecundum contradicens cum 26; Quòd prætereà operationes, quæ de facto in humano compoſito exercentur dependenter ab Anima Rationali, ſunt adeò à corporis organis, vel mediatè, vel immediatè dependentes, vt non niſi vnionem informationis inter Animã Rationalem inferant, vndè fit, quòd accedente Anima, viuificetur, nutriatur, moueatur, ſentiat, & intelligat homo, Anima recedente, eius corpus langueſcat, diſſoluatur, & corrumpatur homo; ergo quia Anima Rationalis ſit vera ſubſtantia actuatiua.

279 *Anima Rationalis eſt entitatiuè, & poteſtatiuè indiuiſibilis.*

Poteſtatiuè habes ex 239, ſi enim Anima quæcumquè indiuiſibiliter concurrit ad omnes ſuas operationes, & concurrunt Animæ irrationalium, multò magis rationalium; entitatiuè probo primò ex 218. & ex præcedenti; etenim Anima Rationalis eſt formaliter ſpiritus, ergo formaliter independens à materia, ergo etiam à quantitate, ergo carere debet partibus entitatiuis; partibilitas

litas namquè entitatiua in re ſubſtantiali (quia in accidente non vrget, cum ſit propter aliud) dicit partes extenſas in ordine ad ſe, ergo exigentiam extenſionis localis, ergo quantitatem à qua penitus abeſt ratio ſpiritus; Secundò, quia diuiſibilitas infert corruptibilitatem, ergo indiuiſibilis ſit neceſſe eſt, ſiquidem incorruptibilis, & immortalis eſt, probo ſeq. ſi manum abſcindas, vel ea pars remanet, aut corrumpitur; ſi hoc, ergò cum eadem ſit ratio de omnibus partibus, corruptibilis erit tota; ſi illud, aſſigna vbi ſit, non in manu, quæ mortua eſt, non in alijs partibus, ad quas ſe contrahat, ergo cur ſe contrahit ſi diuiſibilis eſt? quare magis ſeparatur pars Animæ in pede Equi, quàm in pede Petri? Secundò, quomodo eſt in alijs partibus corporis? an aſſiſtendo, an informando? non ſecundum, quia repugnat, alioquin duæ partes entitatiuæ eiuſdem formæ adæquatè informarent eandem materiam naturaliter; neque primum, quia naturaliter nulla forma diuiſibilis conſeruatur non vnita materiæ, vel ſecundùm partem, vt vides in alijs compoſitis, niſi priuilegium fecerit natura parti Animæ Rationalis, vt tuæ opinioni arrideat; concede igitur indiuiſibilem.

280 *Immortalis eſt Anima ex natura ſua.*

Hoc eſt incorruptibilis per contrarietatem, aut indiſſolubilis per diuiſionem. Subſtantia eſt ſpiritualis, & indiuiſibilis, ergo quaquà verſum incorruptibilis; quòdcumque verò deffectibile, aut tale eſt per ſe, aut per accidens, hæc forma non per ſe, vt iam, ſiquidem nec contrarietati, nec diuiſibilitati ſubdita eſt; non per accidens, quia à nullo, vel ſubiecto, vel connexo dependet, quo corrupto debeat ipſa deficere, ſicut accidit de ſubſtantijs corporeis à materia tranſmutabili dependentibus; ſubdo etiam indicia huius Immortalitatis, primò in ambitu humano ad æternitatem; ſecundò in operatione

tione

tione independenti à materia, & tendenti in omnia obiecta excogitabilia; vt eſt intellectio, & volitio; tertiò in humana libertate, quæ meritum in bonis operibus, demeritum in malis arguit, ergo capacitatem ad præmium, & pœnam; ergò indeffectibilitatem in re enim deffectibili, ad quid meritum, vel demeritum ſi mors omnia ſolo æquat? remanet ergo quòd in ſe indeffectibilis, ſoli diuinæ poteſtati ſit ſubdita.

281 *Hinc eſt primò, quòd Animæ Rationali debeatur exiſtentia, etiam corrupto toto humano; ſecundo, quòd ſtatus ſeparationis non ſit violentus, immò naturalis; tertiò, quòd dum ſit creetur, atquè adeo ſolùm ſit annihilabilis.*

Primum quidem, quia ſi immortalis ex ſe eſt, ergo petit ex ſe nè corrupta vnione inter ipſam, & corpus, ipſa corrumpatur; ſecundùm, quia licèt ordinata ſit vt actus ad conſtituendum totum, tamen ex alio capite cõformatur legi naturali, nè videlicet à priuatione ad habitum detur regreſſus, atquè adeò non vltra petit vniri corpori, ſed indifferenter ſe habet, ac proinde ſinè violentia, ſed ſubſiſtens in ſe, cùm ſit ſemel à corpore ſeparata, ſe ſola ſubſiſtit, nullam igitur patitur violentiam; tertium, quia ſi independens eſt à materia, ſpiritualis, & indiuiſibilis ab agente corporeo, & dependenti, naturæ viribus attingi non poteſt, ergo creetur neceſſe eſt.

Tribus porrò maximè potentijs pollet Anima noſtra quà Rationalis, videlicet: Intellectu, Voluntate, & Memoria.

Intellectus eſt vis ſpiritualis Animæ Rationalis cognoſcitiua à materia abſtracta ad omne cognoſcibile; Voluntas vis ſpiritualis Animæ Rationalis, qua ferri poteſt in bonum ſibi proportionatum, vel fugere à malo ſibi indebito. Memoria tandem eſt vis ſpiritualis Ani-

mæ Rationalis cognoſcitiua obiecti præteriti.

282. *Dantur de facto hæ tres potentiæ in Anima Rationali.*

De Intellectu experimur paſſim, neque enim poſſum affirmare, vel negare intellectum, niſi intelligendo, quid ſit, quod affirmo, vel nego, item Anima quotidiè fertur in obiectum ſenſibile, & intentionale, vniuerſale, & particulare, &c. illud inueſtigando, diuidendo, comparando, &c. ergo per vim cognoſcitiuam, quæ ad hæc omnia obiecta extendatur, hanc porrò dicimus omnes Intellectum.

De Voluntate etiam, quia vnuſquiſquè ſibi conſcius eſt, vtrum ne propoſitũ bonũ, vel malũ fugiet ſemper, vel ſemper proſequatur, an ſolum corporeum bonum, malumquè auerſetur, vel amet, an etiam ſpirituale, & incorporeum, quæ munera ſunt Voluntatis, ſeu potentiam, & virtutem, quam ad hæc habet Anima Rationalis voluntatem dicimus.

Memoria tandem intellectiua, quia non minus noua ſemper, & noua cognoſcimus obiecta intelligibilia, ſed plerumque viſorum, auditorum, & intellectorum, recordamur, nouas de illis formamus cognitiones, diſcurſus, componimus, diuidimus, inferimus, &c. quæ exercere non poteſt Anima Rationalis, ſinè ea virtute, quam dicimus Memoriam.

283 *Dictæ potentiæ, nec inter ſe, nec ab Anima rationali diſtinguuntur realiter.*

Recole 235. & 236. vbi vniuerſaliter hoc oſtendi de omnibus potentijs cuiuſuis Animæ in ordine ad actus immanentes.

284 *Dictæ potentiæ, non ſunt organo affixæ, licet in ſuis operationibus dependeant à potentijs organicis.*

Senſus eſt, quod operentur independenter à materia organica, & quocumquè ſuſtentante earum operationes; non

non poſſunt tamen ferri in ſua obiecta, quin propoſita ſint à potentijs organicis per Phantaſmata.

Ratio eſt, quia feruntur in obiecta immaterialia, & ſupernaturalia; non ſolum non læduntur ab excellenti illarum obiecto, vt omnes potentiæ organicæ, ſed potius ab obiecto perfectiori, & perfectiori, magis, ſemper, & ſemper perficiuntur; eiuſdem inſuper ſunt conditionis cum ſunt in corpore, quantum ex parte ſui, ac quando ſunt extra in ſtatu ſeparationis, ergo ſi tunc inorganicæ, & modò.

Quoniam autem exiſtente Anima in corpore non poſſunt obiecta deferri, vel per ſe, vel per ſpecies ſui ad virtutes intrinſecas, & immanentes, niſi tranſeundo per organa ſenſuum exteriorum, & interiorum, hinc fit, quòd nihil intelligere poſſit, amare, & recordari Anima noſtra, quàm dependenter à ſenſibus; accedit, quod læſo organo alicuius ſenſus, non poteſt amplius intellectus, & voluntas rectè ſaltem operari circa tale obiectum, fit ideo inde, quòd delatis obiecti imaginibus, ad Animam per phantaſmata, hiſquè depuratis excitetur ex naturali potentiarum connexione Anima ad producendas ſibi ſpecies intelligibiles de obiectis ſenſatis, propter quod intellectum diſtinguunt in agentem, qui ſpecies intelligibiles producat, & patientem, ſeu poſſibilem, qui recipiat, & intelligat; intellectione poſita moueatur voluntas à bonitate, vel malitia obiecti præcognita, ac propoſita.

285 *Obiectum intellectus materiale, eſt ens in tota ſua latitudine, formale, eſt Verum.*

Primam partem dat experientia, quia nullum eſt ens, quod intelligibile non ſit, nec vllus eſt intellectus ex intellectiuis de facto exiſtentibus, qui ens quodlibet non valeat aliquo modo intelligere, immò de facto non intelligat ſi proponatur; ratio etiam, quia omne ens, eo

ipſo;

ipſo, quod ens eſt, eſt cognoſcibile, non à cognitione ſenſitiua, quæ materialia non excedit, ergo ab intellectiua, ergo obiectum intellectus erit omne ens.

Secundum dat ratio primò, quia tendit intellectus in obiecta, vt eorum naturam ſcrutetur, & attingat, ergo quòd cognoſcat ea ſic, vel ſic ſe habere, hæc autem eſt entis cuiuslibet veritas; ſecundò, quia non alia ratio in obiecto cõfirmari poteſt cognoſcitiuitati intellectus, quàm tranſcendentalis entium veritas, ſtat etiam experientia, quia experimur in obiecto, nos nunquam tendere in obiecta per cognitionem, quà bona, quà vna, ſed quà vera; ergo,

286 *Vtitur intellectus ſpeciebus intelligibilibus impreſſis, ſeu dantur ſpecies intelligibiles impreſſæ.*

Colligas ex 258. & ſequentibus, non enim petit minus vniri intellectus cum ſuo obiecto, atquè compleri, & determinari per aliquod ſe tenens ex parte obiecti, quàm cæteræ potentiæ; ergò cum non poſſit intellectus, & obiectum per ſe, per aliquid ſui, videlicet per ſpeciem intelligibilem coniungatur neceſſe eſt.

Vrgeo, quòd intellectio actus ſpiritualis eſt, ac proindè effectiuè produci, nequit à comprincipio corporeo, putà à Phantaſmate, ergo à ſpecie dicta intelligibili impreſſa, prætereà dantur etiam actu ſpecies diuerſæ in intellectu ad actus memoratiuos, vt infrà, ergo ad primos actus, vel dà diſparitatem ſufficientem, dantur etiam in Anima ſeparata, in intellectu Angelico, &c. ergò & in intellectu humano in corpore, tandem multò plura cognoſcit intellectus in ſuis obiectis, quàm repræſentari queant per phantaſmata, ergo quia intelligit per ſpeciem dictam impreſſam.

287 *Producuntur dictæ ſpecies intelligibiles effectiuæ ab intellectu agente determinante phantaſmate per modum excitantis.*

Nam

Nam cum indifferens ſit intellectus ad hoc, vel illud obiectum, capax tamen intelligere ſingula accedente phantaſmate, A, v. g. non, B, extrinſecè determinatur ad obiectum, A non, B, quia verò incõpletus adhuc remanet intellectus, nec compleri poteſt per phantaſma immediatè, quòd materiale ſit, nec per aliquod, quod à phantaſmate producatur, quod æquè improportionatum erit intellectui, ac ſuum principium, nec quidquàm recipere debeat à Deo, in quem non opus eſt refundere talem effectum, eſt prætereà ſufficiens, virtus in intellectu, vt poſito phantaſmate excitante dictas ſpecies ſibi producat, ratione maximæ colligationis, & vnionis, quam habent inter ſe potentiæ, & ſubordinationem materialium ad immateriales, ergo quod fiant effectiuè ab intellectu agente.

288 *Datur in intellectu ſpecies impreſſa intelligibilis Singularis materialis, ſeù cognoſcit Intellectus ſingulare materiale per propriam ſpeciem.*

Fundamentum eſt, quia nullo habito actu reflexo, viſo Petro, aut quouis alio obiecto ſingulari de eo intellectus diſcurrit, & iudicat, ab eo abſtrahit prædicata vniuerſalia, & ſimilia, ergo quia verè cognoſcit directè, & per propriam ſpeciem obiecta ſingularia, immò non poteſt intellectus quo minùs obiecta ſingularia cognoſcat, ſaltem conuertendo ſe ad phantaſmata, verùm ipſa phantaſmata ſingularia ſunt, ergo immediatè, & directè aliquod obiectum materiale ſingulare, vel quid obſtat quin cognoſcat intellectus, & cætera obiecta ſingularia? fortè improportio ſpeciei intelligibilis, quæ ſpiritualis ſit? an nè etiã ſpecies intelligibilis vniuerſalium non eſt ſpiritualis? ergo eadem ratione improportionata; ſi ergo non illa, nec iſta. Adde, quod non poteſt intellectus habere cognitionem vniuerſalium, niſi per reſolutionem; quatenùs cognoſcens in ſingularibus ali-

quam

quam conuenientiam in aliquo prædicato ab illis prædicatum vniuerſale abſtrahit, tali ductus conuenientia, modo demonſtrando in Metaphyſicis, ergo cognoſcat ſingularia materialia neceſſe eſt.

289 *Quæ tamen non cadunt ſub ſenſu, non cognoſcuntur directè, ſed abſtractiuè, ſeu quæ non cadunt ſub ſenſu ſunt tantum obiectum terminatiuum, non motiuum intellectus.*

Senſus eſt, quod intellectus non cognoſcat per propriam ſpeciem ea, quæ ſub ſenſu non cadunt cuiuſmodi ſunt ſubſtantiæ Immateriales, vel etiam Materiales, quæ non ſunt ſenſibiles, niſi per accidentia, & ſimilia, ſed arguitiuè inferendo vnum ex alio, vel concipiendo per ſpeciem alterius.

Sequitur ex 283, ſi enim non operatur intellectus in corpore niſi dependenter à ſenſatione, quæ ſpeciem rei prius ſenſatæ imprimat interius, & ſenſationi non ſubditur ſubſtantia ſpiritualis, & materialis iam non poteſt cognoſcere eas directè per propriam ſpeciem, cum verò cognoſcat, vt experimur, opus eſt cognoſcat arguitiuè, vel abſtractiuè, ipſæ verò ſint obiectum merè terminatiuum, non motiuum intellectus.

290 *Immò, ex obiectis vniuerſalibus, & ſingularibus in debitis circonſtantijs, quod primò cognoſcitur ab intellectu eſt ſingulare, & ex ſingularibus accidentale.*

Probo ex præcedentibus, quia quòd primo obijcitur intellectui cognoſcendo, eſt obiectum, quod poteſt intellectus cognoſcere dependenter à phantaſmatibus, à quibus dependet, vt ex 283. ſed hoc eſt ſingulare, vt ex 287. ergo &c. fortiùs, quià intellectus eſt potentia neceſſaria, ita quòd poſito in debitis circonſtantijs obiecto non poteſt non operari, ex alio capite non repugnat poni, immò de facto ſæpè ponitur in debitis circonſtantijs obiectum ſingulare, & magis quàm vniuerſale, donec

depen-

dependet Intellectus à phantaſmatibus, & ſenſationibus, quin perfectior eſt cognitio ſingularis, quàm vniuerſalis, cum dicat rationem vniuerſalem, ſingularem, & circonſtantias ſingularitatis, neque quidquàm aliud obſtat, ergo debet Intellectus primò cognoſcere obiectum ſingulare, ſiquidem ſemper operatur potentia neceſſaria perfectiori quò poteſt modo, ſi nihil obſtat.

De ſingulari accidentali ex hoc ipſo arguo, quia id cognoſcit, & hoc ordine Intellectus in corpore, quod repræſentatur per phantaſma, ſed primò repræſentatur ſingulare accidentis, immutatur enim primò ſenſus ab accidentibus, quin immò, ſingulare accidens eſt, quam directè, & per propriam ſpeciem eſt cognoſcibile, ergo &c. & confirmo, quia Intellectus in his circonſtantijs infert ſingulare ſubſtantiæ, quia videt ſingulare accidentis, ex quo cum ſtare non poſſit hoc ſine illo infert illud, ergo quia ex his primò cognoſcit ſingulare accidentale.

Conſultò poſui, in debitis circonſtantijs, quia ſi aliquod adſit impedimentum, aut ex parte obiecti, aut ex parte potentiæ, priùs cognoſcit Intellectus vniuerſale, & magis vniuerſale, vt dùm vides à longè moueri corpus à ſe, infers eſſe animal, deindè accedens, eſſe hominem, &c.

Ex his oriuntur varia intellectionum genera, videlicet Intellectionis Intuitiuæ, Abſtractiuæ, Quidditatiuæ, Actualis, Virtualis, & ſimilium.

291 *Vniuerſaliter tamen Intellectio (idem iudicium fero de alia quacumquè operatione vitali) conſiſtit formaliter in ſola qualitate intentionali repræſentante formaliter obiectum, & conſtituente Intellectum formaliter intelligentem; Realiter verò, & adæquatè importat etiam phyſicam, ſeu vitam actualem phyſicam per modum viæ, & vitam actualem intentionalem per modum*

dum

ium termini, vel ſi manis actionem phyſicam, & actionem grammaticalem.

Duo ſunt, quæ intercedunt in omni operatione; & eſt actio per quam producitur effectus, & effectus ipſe productus, neque enim reperiri vel ſupernaturaliter poteſt actio ſinè termino, cum actio ſit formale fieri illius, neque reperiri poteſt terminus in fieri ſinè actione, & quidem ſinè actione ab ipſo realiter diſtincta, quod iam dedi concl. 71. niſi velis eſſe ſibi ſuum terminum, & ſuum fieri, quod non facilè conuinces. Duobus etiam modis conſiderari poteſt, & formaliter, & adequatè; ſi primum actio formaliter dicit tendentiam ſolam cauſæ operantis in terminum, & terminus formaliter dicit entitatem ſolam productam, ſi ſecundum, vtrumque dicit in operatione vitali, eſt præterea, quòd terminus productus ſit ipſa formalis tendentia, & intentio potentiæ in obiectum, quæ in eo ſtat, quòd potentia reddatur formaliter cognoſcens obiectum, dixi proptereà intellectionem formaliter conſiſtere in qualitate intentionali exprimente formaliter obiectum, & conſtituente Intellectum in eſſe formaliter intelligentis, adæquatè verò, etiam in actione phyſica, quia vtraque dicitur actio, ſed altera phyſica, quia eſt reale fieri imaginis obiecti, altera intentionalis, quia exprimit tendentiam potentiæ in obiectum, quæ non eſt fieri, ſed exprimi obiecti, dicitur proptereà vita intentionalis, actio grammaticalis, &c. ex quo patet ſecunda pars huius aſſerti.

Argumentor modò pro prima, vita intentionalis in actu primo de ſe, nihil aliud dicit, quàm vim intrinſecam tendendi intentionaliter in obiectum, ergo vita intentionalis in actu ſecundo, dicit de ſe ſolùm actualem tendentiam intentionalem potentiæ in obiectum, ſed hæc eſt ſola qualitas intentionalis repræſentans for-

maliter obiectum., & reddens Intellectum formaliter cognoſcentem obiectum, actio enim phyſica, ſeu formalis productio, non eſt expreſſio obiecti, ſed fieri talis imaginis, ergo &c. conſeq. illa tenet, quia actus ſecundus primo debet proportionari, antec. eruitur ex diſcrimine, quod eſt inter hanc, & vitam phyſicam in actu primo.

Argumentor prætereà; dicta qualitas ſola dat quidquid formaliter ſpectat ad intellectionem, putà quòd ſit formalis tendentia Intellectus in obiectum intelligibile, quòd ſit formalis obiecti imago, quod conſtituat Intellectum formaliter intentionaliter viuentem, & ſimilem obiecto &c., hæc enim vera ſunt intentionaliter non phyſicè, & nulla eſt forma, quæ ſuum effectum formalem præbeat per actionem à qua fit, ſed per ſe ipſam ſolam, ergo &c.

292 *Ex quo habes proportionaliter Verbum mentis de ſuo formali importare ſolam qualitatem dictam, realiter verò vtramquè actionem, atque adeò ſolùm conceptibiliter diſtingui ab intellectione.*

Quandoquidem Verbum mentis nihil aliud eſt de ſe formaliter, quàm imago obiecti; & expreſſio illius, quâ Intellectus ſibi loquitur, & repræſentat obiectum cognitum, ergò de ſuo formali dicet qualitatem illam intentionalem; quia igitur Verbum eſt expreſſio formalis obiecti, dicit repræſentare obiectum, ergo dicit formaliter id, in quo conſiſtit Imago, quia eſt locutio Intellectus in ſe ipſo, vel ſibi ipſi, dicit & imaginem ob ecti, & actionem, quia producatur imago, tum verò conſideratur phyſicè, & adequatè, ea proportione, quâ externa locutio dicit adequatè actionem phyſicam infringentem aerem ad arteriam, & cætera organa, & ſonum ipſum efformatum, ſeu Verbum exprimens conceptum mentis, formaliter verò dicit ſolum Verbum.

Obie-

Obiectum memoriæ idem eſt, quod Intellectus, idemque actus, cū nō diſtinguatur inter ſe hæ potentiæ, ſiquidem Intellectus idem eſt vis cognoſcitiua præſentium, futurorum, & præteritorum, in quantum verò obiecta iam cognita, quæcumquè illa ſint, recognoſcit, Memoria appellatur, hoc ſolum fundamento, quod,

292 *Actus memoratiuus debet eſſe de obiecto formaliter vt præterito, ſeu præcognito.*

Ratio eſt, quia non poteſt eſſe actus memoriæ, quin fiat dependenter à ſpecie impreſſa relicta à cognitione præterita, ergo producta ab ipſa cognitione, vel etiam (ſi placet) ab Intellectu agente determinante Intellectione, modo dicto de phantaſmate 288. ergo à ſpecie repræſentante obiectum, vt præcognitum, vera hæc conſeq. quia ſpecies cognitionis, quæ fuit de obiecto non poteſt non repræſentare cognitionem, quæ fuit, & obiectum de quo fuit, ergo obiectum præteritum, ſeu præcognitum, vera etiam eſt prior, quia alterutro modo non implicat, immò debet de facto fieri ſpecies impreſſa intelligibilis; verum tandem ant. quia in hoc differt actus ſimpliciter, & primò intellectiuus à Memoratiuo, ſiuè fiat cum aliquo diſcurſu, & *Reminiſcentiam* appelles iuxtà Philoſophum, ſiuè directè ſinè vllo diſcurſu & *Memoriam* abſolutè dicas.

Obiectum, & actus Voluntatis, Liberiq. Arbitrij conditionem puriori committimus iudicio, nè Philoſophi naturalis modum excedamus.

Titulus Vltimus.

Habitus.

AD actus præſertim intellectuales ſequuntur Habitus ſcientifici, illis ideò præmiſſis; hos decernam, eodem tamen labore de omnibus agam.

294 *Deffinitur habitus; qualitas difficilè mobilis ab actibus genita, potentiam operatiuam adiuuans ad ſimiles actus.*

Qualitas dicitur, quia accidentia ſunt omnes habitus potentiarum; *difficilè mobilis*, quia ſemel producta, difficilè corrumpitur, *ab actibus genita*, quia producitur in potentia ex pluribus actibus elicitis eius potentiæ; Vndè eſt illud *ex frequentatis actibus fit habitus*; additur *addiuuans potentiam operatiuam*, quod exprimit naturam habitus acquiſiti ab infuſo, ſic enim ſupponit potentiam ſimpliciter operatiuam, datquè ſolùm facilius poſſe; infuſus verò dat ſimpliciter operari; & tandem *ad ſimiles actus*, hoc eſt ad actus eiuſdem ſpeciei, à quibus fuerat producta qualitas habitualis, inter quos ſolos videtur dari proportio.

295 *De facto non dantur habitus acquiſiti diſtincti in potentijs neceſſarijs non cognoſcitiuis.*

Videtur certa primò, quia nihil, quod moueat admittere hanc nouam qualitatem in his potentijs, ſi quid enim apparet, eſt vt facilitetur potentia, ex ſe aliqualiter potens operari, at ad ſummum vrget hoc motiuum in potentijs capacibus maioris, vel minoris facilitatis ad operandum, nulla autem potentia neceſſaria non cognoſcitiua, maioris facilitatis eſt capax, neceſſaria cùm ſit, atquè adeo operetur ſemper quantum poteſt,

ergo &c. ex quo ſecundo, potentia neceſſaria eius eſt naturæ, quòd poſita in debita diſtantia ad ſubiectum capax, remotiſque obſtaculis, conetur in actionem quantum poteſt, ergo ex his totam recognoſcit agilitatem ſuæ operationis, nulla adiecta qualitate facilitante, vt experiri potes in igne comburente.

296 *Nequè in potentijs neceſſarijs cognoſcitiuis ſpiritualibus, putà in Intellectu, ſed ſufficiunt species impreſſæ coordinatæ, & confirmatæ.*

Quia enim certum eſt in potentijs cognoſcitiuis, præſertim verò in Intellectu dari ſpecies intelligibiles impreſſas, vt probaui concl. 285. quibus poſitis determinatur Intellectus; alioquin ex ſe potens, vt in obiectum hoc tendat, non in aliud, tanta intenſione, & non maiori iuxta capacitatem, & intenſionem ſpeciei, ergo cum potentia neceſſaria ſit, poſita tali ſpecie mox operabitur quantum poteſt, ex vi dictæ ſpeciei impreſſæ; quia verò poſito primo actu Intellectus producitur noua ſpecies impreſſa repræſentans obiectum cognitum, vt concl. 292. quæ cũ priori addita, vim addit Intellectui ad eoſdem gradus cognoſcibilitatis obiecti, cum ſit æquè intenſibilis, & remiſſibilis, ac impreſſa ſenſibilis (repete 262.) perfectioribus in diſpoſitionibus ſtatuit Intellectum, vt vim intellectiuam exerceat, quantum poteſt ad eos gradus cognoſcibilitatis obiecti, quod idem fit ſucceſſiuè in ordine etiam ad alios gradus eiuſdem, & diuerſorum obiectorum, & hoc eſt coordinari, & confirmari ſpecies impreſſas intelligibiles, ergo his ſolis poſitis in Intellectu facilius ferretur Intellectus in eadem, & diuerſa obiecta, & quæuis alia qualitas erit penitùs ſuperflua.

Ex quo recurrit argumentum præcedentis aſſerti.

Arguo tamen ſecundò, quià ad nullum actum Intellectus neceſſaria eſt qualitas facilitans à dictis ſpeciebus

bus diuerſa ; omnis enim actus aut eſt circa obiectum euidenter, aut obſcurè propoſitum ; ſi primum, neceſſitatur Intellectus ad actum aſſenſus ab euidentia obiecti delata in ſpecie impreſſa perfectiſſima ; ſi ſecundum, aut aſſentitur obiecto, quia ſimpliciter proponatur, aut quia clariùs, ſi primum ergo per ſpeciem ſimpliciter impreſſam ; ſi ſecundum, ergo per ſpeciem intenſiorem, hoc eſt confirmatam modo dicto, quacumquè verò ſpecie poſita, non poteſt Intellectus, quin tota vi, qua poteſt in talibus circumſtantijs feratur in obiectum, ergo; Quin ex oppoſito, quantumuis qualitatem facilitantem des, & intendas, ſinè ſpecie impreſſa dicta non operabitur Intellectus, niſi velis qualitatẽ ipſam eſſe obiecti repræſentatiuam, & conuenimus, ergò tolle hanc qualitatem.

297 *Immò nequè in Voluntate.*

Iiſdem moueor argumentis, licèt enim voluntas non ſit potentia neceſſaria, nequè toto ſemper feratur conatu, quo poteſt in obiectum, ſed intenſiùs modò, modò remiſſiùs, attamen ſufficientiſſimè facilitatur à ſola ſpecie coordinata, & confirmata intellectuali, ergo fruſtranea penitus dicta qualitas ;

Quòd ſic oſtendo ; certum eſt primò voluntatem ex ſe potentem verſari circa obiectum bonum, vel malum, compleri per propoſitionem obiecti factam ab Intellectu ; non enim fertur in incognitum ſaltem naturaliter, ex quo fit, quòd ſicut nõ fertur ſimpliciter in obiectum, niſi propoſitum ab Intellectu, ità nec fertur, niſi taliter, qualiter proponitur ; ergo ſi viuaciùs, & clariùs proponatur, efficacius inueniet motiuum voluntas ad amorem, vel odium obiecti ; cum verò voluntas ſemel operata eſt circà obiectum, remanet in Intellectu ſpecies experimentalis, non ſolùm de conditionibus obiecti, verùm etiam de ſuauitate, vel incomodo ex præterita operatione, ergo ſi iterum recogitet Intellectus de obie-

cto,

cto,nõ ſolùm proponitur obiectum, ſed ſuauitas etiam, vel incomodum præteritum, proptereà efficaciùs exhibetur voluntati motiuum obiecti, ac proinde efficaciùs mouetur voluntas ad amorem, vel fugam obiecti.

Secundò certum eſt, quòd ſi ſit in Intellectu cognitio experimentalis intenſa de obiecto bono ſit tamen ex oppoſito cognitio æquiualens de malitia, non habet prior cognitio tantam vim trahendi voluntatem ad proſequtionem obiecti, quam tamen haberet ſi deficeret, vel imminueretur altera; vndè eſt, quòd iuxta diuerſam cognitionum naturam magis, vel minus moueatur voluntas, ergo quòd reddatur promptior ad fugam, vel amorem obiecti, præſertim cum id, quod mouet voluntatem nõ ſemper ſe teneat ex parte obiecti, ſed ſæpè etiam ſit in cognitione intenſiùs vel remiſſiùs, clariùs, vel obſcuriùs proponente conditiones obiecti.

Cum igitur cuncta, quæ ad voluntatis promptitudinem ſpectare poſſunt, euidentiſſimè proueniant ex coordinatione, & confirmatione dicta ſpecierum, ad quid noua qualitas? Adde, quòd quò magis trahitur voluntas ad amorem obiecti, faciliùs mouetur, & operatur, ſed eo ipſo, quòd vel maior bonitas, vel efficaciùs eadem proponitur magis mouetur, ergò &c. Prætereà ea ratio, quæ in ſumma intenſione propoſita, poteſt Voluntatem neceſſitare ad amorem, v. gr. Diuina Bonitas, eadem remiſſiùs propoſita poterit alicere (ſic proportionaliter philoſophare de cętero) ergo propoſitio obiecti poteſt magis, vel minus mouere, ergo facilitare voluntatem. Tandem ab ea ſola cauſa poteſt oriri maior, vel minor facilitas voluntatis, qua ſimpliciter poſita operatur, ablata non operatur voluntas, hoc porrò verificatur de cognitione, & ſpeciebus dictis, ergo tolle has qualitates diſtinctas.

298 *Hinc ſequitur primò multò minus dari habitus*

diſtinctos in potentijs neceſſarijs cognoſcitiuis corporeis, tàm internis, quàm externis, ſed ſi qua in eis cernitur promptitudo oritur ex ſpeciebus impreſſis coordinatis, & confirmatis ſenſibilibus proportionaliter ad Intellectuales.

Conuincitur Argumēti præcedentium cōcluſionum.

299 *Secundò nec dari in potentia loco motiua.*

Stat hæc concl. præcedentibus firmata fundamentis, roboratur tamen prætereà, quia facilitari potentiam motiuam per habitum diſtinctum, non eſt ſolùm remoueri impedimenta, præſcribi clariùs operationem faciendam, diſtinctiùs coordinari motus faciendos &c., ſed eſt ſuper addi vim intrinſecam operatiuam facilitantem, aſt poſitis debitis circumſtantijs reliquis, hac ſola qualitate dempta determinata intrinſecè potentia motiua eſt, vt operetur quantum poteſt, ſtantibus talibus circumſtantijs, eſt enim potentia neceſſaria, ergo ſuperflua dicta qualitas; aptè prætereà congruunt vniuerſa, quæ de potentiæ promptitudine, & coordinatione motus cum ſola ſpecierum coordinatione phantaſiæ in Brutis, Intellectus in Homine, ſi adſit debita organorum diſpoſitio in temperie qualitatum, & remotione impedimentorum, putà in exſiccatione partium humidarum, & tenacium, & ſimilium, vt cernimus in Pueris, ergo tolle hoc nouum accidens.

300 *Eſt tertiò habitus ſcietificos non eſſe vnam ſimplicem qualitatem ex pluribus integratam, neque plures qualitates partiales habentes vnitatem, vel ex obiecto, vel ex aliquo alio, ſed eſſe plures ſpecies intellectuales coordinatas, & confirmatas ex frequentatis actibus, vel circà idem obiectum ſi indiuiſibile ſit, vel circà plura ſi ſint partialia, acquiſitas.*

301 *Eſt quartò quomodo habitus, quicumq. illi ſint, fiant, conſeruentur, & corrumpatur.*

Quia videlicet ſequuntur naturam ſpecierum.

Prima

Prima Philoſophia,

HOC EST

METAPHYSICA

Deffinita.

QVÆ ſupra naturam ſunt meditans dicitur METAPHYSICA; prima dignitate obiecta conſiderans, & vniuerſaliſſimis vtens principijs, PRIMA PHILOSOPHIA nuncupatur; vnum cum habeat obiectum, Ens ſcilicet, partibus caret, & ſi quãdo ad membra diuertatur, vix aut nunquam ab ente diſcedit, & entia diuidens, cæteris ſcientijs frangit panem, & SCIENTIARVM SCIENTIA meruit appellari.

Titulus I.

Metaphyſicæ Natura, & Obiectum.

1. *OBiectum vniuerſale Metaphyſicæ eſt quidquid ſub ratione entis realis occurrit.*

Obiectum vniuerſale dixi, ſeu *commune*, *aut totale*, quia compræhendit quidquid à Metaphyſica poteſt conſiderari; addidi *ſub ratione entis realis*; quia entia ficta Philoſophicæ veritati inimica proſcribimus, atquè capitali damnamus ſententia; ſi tamen peracuto quopiã patrocinante Ingenio obſeſſæ olim redderentur dignitati, non niſi digno contemptu, & per accidens obuiarent huic

huic Philoſophiæ: iniquo etenim iure entis nomen vſurpat, quod neque conceptibile eſt.

Facilè dabitur ratio, quia totale obiectum alicuius ſcientiæ illud eſt, quod eam exæquat vniuerſaquè ab ea pertractata abſorbet: recole 12. ex Log. Adde, quòd nihil eſt, ſupernaturale ſit, ſiuè naturale, ſpirituale, aut materiale ſubſtantiale, aut accidentale &c., quod rationem entis participet, & Metaphyſicæ conſiderationi non ſubſit, ergo &c.

2 Eius obiectum attributionis eſt D. O. M., cætera ſunt obiecta attributa.

Cuncta enim, quæ Metaphyſicæ obijciuntur ſub ratione entis realis ad Deum diriguntur, ab eoque pendent, vt à primo ente; immò & ipſa prima Philoſophia quota eſt hunc reſpicit, vt id, quod per ſe primò intendit, & meditatur, in eiuſquè ſola contemplatione quieſcit, quod non ſic in cæterorum entium conſideratione, quæ quia ad Metaphyſicæ obiectum pertinent, nec alterutrum eſt, quod eius capacitati ſatisfaciat, attributa dicuntur.

3 Hinc eſt, quòd Metaphyſica eſt inter ſcientias ſpeculatiuas nobiliſſima.

Scientiæ conditio deducitur ab obiecto, & à modo in illud tendendi; quodnam autem inter obiecta ſcibilia excellentius Primo Ente? qui excellentior modus operandi circa obiectum, quàm merè contemplando, ità quòd in obiecti cognitione quieſcat? in obiectum ab omni abſtractum materia operabili, modo à materia penitus abſtracto tendit, principijs nobiliſſimis innititur, ſublimioribuſque vtitur demonſtrationibus in indagando obiectum, eius paſſiones, & proprietates, ergo inter ſcientias ſpeculatiuas perfectiſſima eſt.

4 Eſt Metaphyſica habitus intellectualis de nouo acquiſitus ex cognitione rei per cauſam.

Patet,

Patet, quia non in ſolo actu ſtat cognitio ſcientifica; quia eſt cognitio rei per cauſam, neque alterius potentiæ habitus eſſe poteſt, cum maximè ſpeculatiua ſit Metaphyſica; lege 102. Log.

5 Non eſt tamen qualitas diſtincta à ſpeciebus Intellectualibus coordinatis, & confirmatis, ſicut qualibet alia cognitio ſcientifica, neque eſt vna ſimplex ſpecies, ſed integrata ex pluribus partialibus.

Expreſſa eſt in 295. Phyſica.

Titulus II.

Ens in Communi.

Nomine Entis intelligo quidquid habet, vel habere poteſt actualem eſſentiam, ſeu eſſentia rei poſſibilis ſit, aut actualis, ac proindè:

6 Eſt ens illudcumquè, cui non repugnat exiſtere.

Sic ratio Entis comprehendit Ens Creatum, & Increatum, Subſtantiale, Accidentale, Abſolutum, Reſpectiuum, Modale &c. & excludit Ens Rationis; nullus prætereà aptior ſuppetit modus explicandi, quàm dicere eſſe quid capax exiſtentiæ, clariùs enim datur Entis conceptus per ordinem ad exiſtentiam, quæ inter Entis conceptibilitates notiſſima eſt, quàm per negationem chimæræ, aut alius iſtiuſmodi, ergo &c. præſertim cum res quæcumquè prius ſit cognoſcibilis per id, quod eſt in ſe, vel eſſe poteſt, quàm per id, quod non eſt in ſe, vel eſſe non poteſt; immò entia impoſſibilia non explicamus niſi per negationem poſſibilium.

7 Conceptus Entis vnus eſt communis Deo, & Creaturis quibuſcumquè.

Ratio eſt primò, quia fundamentum abſtrahendi vnam

aliquam

aliquam rationem communem omnibus eſt, ſi talis ratio intrinſeca illis ſit, de quibus dicitur, intrinſeca autem eò eſt ratio Entis Deo, & Creaturis quibuslibet, quòd concipi neque poſſit Deus, aut Creatura, quin concipiantur Entia; immò, ſi te audiam, nequè poſſunt, vel conceptibiliter ſeparari differentiæ à ratione Entis, ergo &c. Secundò, quia ratio Entis tranſcendit per omnes differentias, à quibus eſt contrahibilis, ergò communis ſit omnibus neceſſe eſt; nequè enim ratio aliqua tranſcendere poteſt, quin intrinſeca ſit ijs, per quæ tranſcendit, nequè intrinſecè poteſt ineſſe, quin etiam ſit communis, vt vides in differentia ſubſtantiæ v. g., quæ quia intrinſeca non eſt accidenti, nequè ad accidens tranſcendit, neque accidenti, & ſubſtantiæ communis eſt; Tertiò, quia ratio Entis immediatè, & formaliter non dicit ſubſtantiam, & accidens, vtriquè tamen eſt debita, ergo quia vtriquè communis, debetur enim, quià nec concipi poteſt (vt vis) differentia accidentis, vel ſubſtantiæ, quin concipiatur Ens; immediatè verò, & formaliter eas non importat, quia de illis prædicatur per veram, & bonam prædicationem non ſecus, ac cum prædicatur Animal de Rationali, ergo quia eas non includit immediatè, & formaliter, alioquin eſſet prædicatio identica, & inutilis.

Adde, quòd ſiuè obiectiuè, ſiuè formaliter præſcindas, concipi poteſt capacitas ad exiſtendum, vel nullo modo, vel ſaltem confusè ſolùm concepta ratione ſubſtantiæ, & accidentis creati, & increati &c. & quoquo modo concipiatur, ſemper debet eſſe conceptus indifferens ad prædicari de ſubſtantia, aut de accidente, alioquin non eſt conceptus Entis, ſed differentiæ contrahentis.

8 *Dependentia non impedit vniuocationem in conceptu Entis.*

Depen-

Dependentia namquè eſt ratio ſupponens formaliter rationem Entis, ergo eius vniuocationem impedire, nec analogiam cauſare poteſt; Conſeq. eſt clara, tollitur enim vniuocatio, & cauſatur analogia per rationem formaliter diuerſificantem, quæ nulla eſt in conceptu communi Entis, ant. quoquè habes, quià ratio Entis abſtracta, & communis eſt, nec formaliter dicit differentias, alioquin non eſſet ratio Entis, ſed talis Entis, ergo neque includit dependentiam, ergo conceptus Entis in ſe per dependentiam nō tollitur ab vniuocatione, nec datur analogiæ. Prætereà dependere, vel non dependere non facit Ens contractum ſecundùm ſe eſſe inæqualiter, vel diuerſimodè in ſuis inferioribus, ſed tantùm ratione ipſius differentiæ, ergò ſemper Ens ſecundùm ſe idem remanet, ergo analogiam non tribuit, per hoc, quòd dependeat, vel non dependeat.

9 *Nequè tranſcendentia tollit ab Ente vniuocationem.*

Patet proportionaliter ex præcedenti; prob. tamen prætereà, quià ad tollendam vniuocationem ab aliquo conceptu opus eſt, quòd ſubſtantia directè ſignificata per tale nomen ſit partim eadem, partim diuerſa, & dabit analogiam, vel omninò diuerſa, & dabit æquiuocationem ex 31, & 32. Log.; Porrò tranſcendentia Entis relinquit ſemper ſubſtantiam ſignificatam directè per nomen Ens eandem in omnibus, per quæ tranſcendit, nihil formaliter ponit in ratione Entis ſecundùm ſe, quod non habeat Ens etiam in ſtatu præciſionis, quæcúnquè illa ſit, ergo &c., & ex oppoſito importat vniuocatio rationem eandem omnino ſignificatam per idem nomen ex 37. Log., verùm etiam in ſtatu tranſcendentiæ ratio Entis eſt ſemper omnino eadem in quantùm ſignificatur per nomen Entis, & ratio ſignificata per nomen Perſeitatis, & Inaleitatis non eſt Ens, ſed Entis taleitas, ſem-

per

per ſiquidem Ens dicit capacitatem ad exiſtendum, Perſeitas, vel Inaleitas dicit talem capacitatem, ergo &c. Et tandem Ens contractum, ſeu tranſcendens, vel eſt idem, quod abſtractum, vel diuerſum; ſi idem, ergo non amittit vniuocationem; ſi diuerſum, ergo conceptus differentiæ abſtrahet à conceptu Entis abſtracti, ergo poterit præſcindi conceptus differentiæ ab Ente, ergo formaliter non immutabit conceptum Entis, ergo ſemper Ens remanebit, ergo non amittet vniuocationem.

10 *Conceptus communis Entis vniuocus eſt Deo, & Creaturis, ſeu Ens vniuocè debetur omnibus ſuis inferioribus.*

Sequitur primò ex præcedentibus, quia nempè Ens vnum, idemque eſt in omnibus inferioribus, vniuocationem non tollit dependentia, & tranſcendentia, nec aliud quippiam ſuppetit æquiuocationem, vel analogiam dans illi, ergo &c. Secundò prob. quia ſecundùm totum, quod intrinſecè dicit Ens in ſe formaliter, & immediatè, prædicatur, & ineſt Deo, Creaturæ, Subſtantiæ, & Accidenti, ergo vniuocè; Siquidem non differunt in eo, quòd capacia ſint exiſtentiæ ſecundùm quod intrinſecè dicit talis capacitas: & hinc eſt, quòd verè æqualiter ſint, & bonæ huiuſmodi prædicationes, Deus eſt Ens, Creatura eſt Ens, & quidquid addas, ad differentiam attinet.

11 *Ens in communi habet attributa, nulla reali diſtinctione ab eo diſcreta.*

Habet enim Ens, quæ illud veluti proprietates, & attributa ſubſequantur; quòd ſit hoc, & non aliud; quòd ſit aliquod bonum, & non malum, verum, & non falſum, & ſimilia; quæ quoniam ita Ens videntur conſequi, quòd non ſint primarius illius conceptus, ab eo tamen indiſtincta eò ſunt, vt cum Ens eſt, eſt etiam

vnum,

vnum, bonum, verum &c. ideo indiſtincta ab eo realiter ſunt; immò ſi diſtincta realiter, non poſſent, quin eſſent entia, ergo & ſibi ſua attributa; & ſi ens eſſet, atquè attributa diſtincta realiter haberet, ergo proceſſus in infinitum.

Primaria ſunt tria dicta Vnum ſcilicet, Verum, & Bonum; hæc dabo.

12 *Dicitur vnum illud omne, quod indiuiſum eſt in ſe, & diuiſum à quouis alio.*

Vnum dico tranſcendentale, quod ſcilicet debetur Enti latiſſimè ſumpto; *indiuiſum in ſe*, putà quod non diuidatur, nec diuidi poſſit, & aptiùs Dices, quod non diſtinguatur; nec diſtingui queat in plura entia ſe; *Diuiſum à quouis alio*, nempe quod non eſt ipſum; ſub qua vnitate cadit vnum *Indiuiduale, Specificum, & Genericum*.

13 *Vnum tranſcendentale nihil addit poſitiuum, ſiuè reale, ſiuè rationis ſuprà ens, cuius eſt attributum.*

Tradita eſt in 11. ſpecialiter tamen; hoc ſuperadditum reale eſſet ens, ergo vnum, ergo per aliud reale, ergo in infinitum; vel ſi mauis eſſe per ſe ipſum, cur idem non dicis de ipſo Ente, præcipuè cum ideo addantur rationes formales, vt tollatur rerũ indifferentia, nullum verò ſit ens, quod indifferens ſit, vt vnum ſit, vel plura? Deindè præcisè per ſolam entitatem realem entis, illiuſquè indiuiſionem habeo eius vnitatem, habeo namquè entitatem entis per ſe ipſam non eſſe illud reale, quod ſuperaddis in vnitate, ergò habeo etiam eſſe id, à quo hoc reale diſtinguitur, ergo etiam à quo diſtinguuntur alia omnia, quæ non ſunt talis entitas entis, cum vbiquè par ratio.

Nec poteſt eſſe quid rationis, quia præſcindendo à quocumque opere Intellectus quodlibet Ens eſt vnum, immò in tantùm Deus, Lapis, Homo eſſet vnus, in

quantum

quantum Mens fingeret quid abſolutum, vel reſpectiuum in illis; Præterea hoc ſuperadditum rationis concipere nequis, quin fundatum in Ente, ergo vel vno, vel multiplici, vel indifferenti; ſi vno, ergo antequam tu concipias eſt vnum; ſi multiplici, ergo ſecundùm ſe, & per aliquod, quod tuum conceptum præcedit, ergo cum multitudo ſit pluralitas vnitatum, ante tuum conceptum erit aliquod erit vnum; ſi deniquè indifferenti, neque per hoc, quod tu fingis poterit fieri vnum reale, ſed indifferens realiter perſeuerabit: Tandem, fictitia ab omni Philoſophia excludimus, vt infrà, ergo &c.

14 *Nequè conſiſtit vnum in aliqua negatione diuiſionis, vel indiuiſionis, ſed conſiſtit formaliter in tali poſitiua entitate rei, explicabili tamen per terminos negatiuos.*

Hoc eſt, id, quod formaliter dat Enti, quòd ſit vnum, non eſt aliqua negatio realis ſuperaddita, quæ ſupponat pro fundamento entitatem poſitiuam rei, ſed eſt & fundamentaliter, & formaliter ipſa entitas poſitiua per ſe ipſam hæc, & vna, atquè adeò ab omni alio diuiſa, quæ tamen explicatur per terminos negatiuos, videlicet per negationem diuiſionis in ſe, & idemtitatis cum alio.

Probo modò propoſitionem primò, quia indiuiſio Entis in ſe, & diuiſio Entis in ſe opponuntur formaliter, & contradictoriè, vt patet, diuiſio autem entis in ſe eſt formaliter negatio, ergo indiuiſio erit formaliter quid poſitiuum, non quid diſtinctum, vt ex præcedenti, ergo ipſa entitas poſitiua rei; do illam minorem, quia diuidi vnum in ſe, eſt tolli idemtitatem, & vnionem, quæ eſt inter extrema conſtituentia eſſentiam Entis, ergo erit negatio vnionis, vel talis idemtitatis, ergò indiuiſio, ſeu negatio talis diuiſionis erit quid formaliter poſitiuũ; ſiquidem non tollitur negatio, niſi per poſitiuum formaliter, proportionaliter, ac in Phyſicis.

Secun-

Secundo, poſito omni, & ſolo poſitiuo, quod ſpectat ad eſſentiam cuiuslibet rei, eoquè dempto habetur, & tollitur vnitas formalis rei; nulla accedente negatione, ergo vnitas erit formaliter ſola entitas poſitiua rei; oſtendo ant. quia poſito præcisè eo poſitiuo, implicat rem non eſſe ipſam, ergo non eſſe hanc, ergo non eſſe vnam, ergo per ſe ipſam formaliter indiuiſam in ſe, & diuiſam ab omni alio; idem proportionaliter dico, ſi tollas entitatem poſitiuam rei.

15 *Rem eſſe vnam metaphyſicè dicit æquè primò, & formaliter eſſe indiuiſam in ſe, & diuiſam ab omni alio per propriam entitatem poſitiuam, explicabilem tamen per dictas negationes.*

Certum etenim eſt non minus deberi Petro, quòd nō ſit ſua negatio, quàm quòd non ſit eſſe poſitiuum v. g. Pauli, nam non minus Petrus eſt vnus, quia non eſt ſua negatio, quàm quia non Paulus, æquè enim Petrus eſſet plura, ſi eſſet negatio ſuæ vnitatis, ac ſi eſſet eſſe Pauli, ergo æquè primò debetur formaliter Petro eſſe indiuiſū in ſe, & diuiſum ab omni alio: adde, ens v. g. & Petrum non eſſe ſuam negationem, & non eſſe Paulum, nihil eſt aliud formaliter, quàm Petrum eſſe Petrum, licèt explicetur per terminos negatiuos, ens enim, & Petrus non eſt diuiſus à Paulo per aliquod ſibi ſuperadditum, ſed per proprium eſſe poſitiuum, quod æquè primò conſtituit ens, & Petrum in ordine ad eſſe indiuiſum in ſe, ac ad eſſe diuiſum à Paulo: Confirmatur, Petrum non eſſe ſuam negationem, non eſt Petrum eſſe negationem ſuæ negationis, ſed eſſe hoc poſitiuum, quod opponitur formaliter ſuæ negationi; item, Petrum non eſſe Paulum, non eſt formaliter Petrum eſſe negationem Pauli, aliud ſiquidem eſt Petrum non eſſe Paulum, ſeu eſſe diuiſum à Paulo, aliud Petrum eſſe non Paulum, ſeu negationem Pauli, ſed eſt formaliter Petrum habere hoc eſſe poſi-

tiuum, ergo æquè primo eſt vnus Petrus formaliter per proprium eſſe poſitiuum.

Quòd ſi per terminos negatiuos dictos explicetur vnitas eſſentialis rei, eſt quia magis ſenſibilis eſt multitudo, & diuiſibile, quàm vnum, & indiuiſibile, cum minori ideò difficultate explicatur vnitas per negationes multitudinis, & idemtitatis.

16 *Verum non addit aliquod poſitiuum, ſeu fictum, ſeu reale ſuprà ens, ſed eſt entitas ipſa rei potentis terminare cognitionem veram, ſeu cognoſcentem obiectum ſicut in ſe eſt.*

Patet proportionaliter, ac præcedens; adde, quòd ea obiecta ſunt formaliter vera, quæ actu conformia ſunt cum cognitione, ergò ea vera erunt tranſcendentaliter, quæ terminare poterunt cognitionem veram, ſeu quibus competere poterunt conceptus, quos facimus de illis; tenet conſeq. quia veritas tranſcendentalis eſt fundamentum formalis; ant. habes ex 75. Log., ergo erit ipſa entitas rei potens terminare cognitionem;

Prætereà, verum quà tale eſt obiectum Intellectus ex 284. Phyſ., ergò congruentiùs explicatur per conformabilitatem intrinſecā cum cognitione, ergo per propriam entitatem, ſi enim aliquid adderet ſupra ens, non eſſet intrinſeca conformabilitas; etiam, quia fictum, & apparens conſiſtit in negatione vera, ſiquidem eſt id, quod non eſt tale, quale apparet, ergo verum erit hoc poſitiuum cuius negatio eſt fictum, & apparens, ergo entitas poſitiua rei.

17 *Bonum nequè quidquam addit Enti, ſed eſt ea quælibet entitas, cui nihil deeſt ad perfectum eſſe.*

Ideſt, eſt id, quod conſtituit completè eſſe rei, vndè eſt, quòd in poſitiua rei entitate, & prædicatis conſiſtat, vt dixi de vero, & vno, vbiquè enim eadem vrget ratio.

Titu-

Titulus III.

Poſſibile, & Impoſſibile.

POſſibile eſt quodcumquè capax exiſtere, ac proindè quodcumquè, quod verè eſt Ens: Quæ porrò capacitas extenditur tàm ad Improductum, quàm etiam ad Productum, & Producibile; in quantum autem vtrumquè complectitur,

18 *Dici poteſt talia prædicata, quæ ſi ſint, non inuoluunt contradictionem, ſeu non fundant contradictoria,*

Prædicata dixi eſſentialia, quia contingentia ſunt extra eſſentiam rei; *ſi ſint* ſiuè à ſe, ſiuè ab alio; conditionatè, non abſolutè, quia eſſe abſolutè dicit exiſtentiæ actualitatem, quam non dicit Ens Poſſibile; *non fundant contradictionem*, hoc eſt talia ſunt, quibus non repugnet vniri, & idemtificari, ſeu quarum idemtitas non eſt eſſe, & non eſſe rei; & hactenus præſcindit à Producibili, vel Improducto: in quantùm verò Producibile, & Ens dependens reſpicit, dici poteſt *Prædicata, quæ ſi producantur, contradictionem non fundant,* ſecundùm quod connotant cauſam, à qua fiant, quæ Prædicata non contradicentia *Eſſentiæ rerum poſſibiles* dicuntur, ſeu *Creaturæ poſſibiles*, vel etiam *Creaturæ in eſſe poſſibili*: de his modò.

19 *Eſſentiæ rerum nullam habent actualitatem intrinſecam, quæ dicatur actualitas Eſſentiæ, vel Exiſtentiæ, intelligibilis, vel dimminuta, dependens, vel independens extra Cauſam antequam ſint: ſiuè Eſſentiæ*

rerum nihil ſunt actuale extra Deum ab æterno.

Prob. quia quæuis actualitas extra Cauſam Primam eſt ab alio, quæcumquè illa ſit, ergo producta, ergo cum ab æterno nihil actu ſit, neque productum ſit, nulla erit dicta actualitas: ant. habes in 57. Phyſica; conſeq. do, quia quod actu eſt, aut eſt à ſe, aut ab alio; dicens autem hoc eſſe actuale Eſſentiæ, das verba, quia quodcumque ſit, & quouis nomine afferatur, ſi eſt cum Deo idemtificatum, iam non eſt aliquod extra Deum, ſi eſt à Deo contradiſtinctum, iam eſt Creatura, ergo &c. Confirm. quia nulla actualitas creaturæ eſt neceſſaria, ſed quæcumquè illa ſit, eſt contingens, ergo poteſt non eſſe, ergo non poteſt eſſe actualitas eſſentiæ, vel ſimilis extra Deum, quin illam produxerit, quod falſum eſt.

Quòd ſi velis hanc actualitatem habere eſſentiam creatam à Deo per hoc, quòd in illam feratur Diuina cognitio, iam das non eſſe actualitatem aliquam ſpectantem ad formale eſſentiæ, quia per hoc, quod Deus prædicata aliqua cognoſcat, non reddit poſſibilia, vt aſſeris tu de prædicatis Chimæræ, quam ab intellectu creato confictam, vis à Deo cognoſci; ſecundò, cognoſcibilitas ſupponit entitatem, & de hac eſt res; tertiò, quòd Deus cognoſcens prædicata faciat poſſibilia, vel eſt ponere aliquid extra ſe, & das produci, vel nihil, & iam concedis hoc, quod dicis aliquod actuale, eſſe nihil: ludimus terminis.

20 *Non ſunt tamen poſſibiles eſſentiæ Creaturarum per ſolam denominationem extrinſecam à virtute cauſæ potentis illas ponere in actu.*

Deducitur primò ex conceptu Omnipotentiæ Diuinæ, quæ potentia infinita cum ſit, dicit omne poſſibile, ergo poſſibilitatem ſupponit in termino, non ideo ergo impoſſibilis erit Chimæra, & poſſibilis homo, quia poſſit Deus hominem, non Chimæram producere, ſed è contrà

trà non poterit Deus Chimæram, poterit hominem, quia poſſibilis eſt homo, impoſſibilis Chimæra, nempe quia ex prædicatis humanæ Eſſentiæ non ſequerentur contradictoria, quæ ſequerentur ex prædicatis Chimæræ; dilucido illud ant. quia impoſſibilis dici nequit Chimæra, quòd defficiat in omnipotentia virtus ad illam producendam, infinita cum ſit, & perfectiſſima, ergo quòd defficiat in prædicatis Chimæræ capacitas ad exiſtendum; enim verò in ſtatu poſſibilitatis impoſſibilitas Chimæræ eſſet deffectus omnipotentiæ, nam ſemper verum eſſet, quòd ideo Chimæra implicat, quia defficit in Deo hoc poſitiuum, quod eſt virtus ad edendam Chimæram; verificatiuum igitur huius propoſitionis *Chimæra implicat* non eſt ſola denominatio extrinſeca ab omnipotentia: Secundò, quia ſi inter poſſibilia ſimpliciter enumeres Deum, certè non eſt poſſibilis, quia Cauſam habeat, à qua poſſit produci, & tamen in ratione entis non diſcrepat à creatura, vt vides in 7. & 19. Tertiò ex paritate cognitionis, quia æquè valet Deus ideo cognoſcit obiectum, quia verum eſt hoc, & cognoſcibile in ſe, ac ideo poteſt obiectum, quia poſſibile hoc in ſe eſt; vel da diſparitatem.

21 *Sed poſſibiles ſunt intrinſecè, quia prædicata eſſentialia vnibilia ſunt, & ſi ponantur non fundant contradictoria; extrinſecè verò in virtute Cauſæ potente talia prædicata ponere, quæ ſi ponat, non contradicunt.*

Vndè eſt, quòd eſſentiæ creatæ duplicem referant poſſibilitatem; intrinſecam vnam, & in ſe, quæ ſtat in propria non repugnantia, ſeu in capacitate prædicatorũ eſſentialium ad idemtificari inter ſe, ex quo fit, quòd ſi idemtificentur actu non ſequatur eſſe, & non eſſe rei; alteram extrinſecam in cauſa, quæ vim habeat edendi talia prædicata.

Prima pars aſſerti ſequitur ex præcedenti, ſi enim non ſunt poſſibiles per ſolam denominationem à Cauſa, ergo intrinſecè à propria capacitate: adde, quòd nulla aptior via ad indagandam poſſibilitatem entis, cum egregiè oſtendatur quomodo ab æterno res ſit poſſibilis etiam intrinſecè, & nullum eſſe actuale habeat extra Deum, ſed obiectiuè tantùm ſit in mente Dei, non ſecundùm illud eſſe abſolutum, quod actu habet, ſed conditionatum, quod videlicet haberet, ſi poneretur in re; Nullo prætereà vrgetur abſurdo, vt vides, ergo &c.

Quoniam verò eſt eſſe creaturæ, quæ eſſentialiter dicit eſſe ab alio ex 57. Phyſ., ſupponit ideo virtutem in Cauſa; & hinc eſt, quòd ratione ſuæ contingentiæ plura requirantur ad complendam poſſibilitatem creaturæ, quàm entis vt ſic, hoc enim eſt poſſibile præcisè, quia ſi ſit non fundat contradictionem, illa verò partim per hoc intrinſecè, partim per virtutem cauſæ extrinſecè; & eſt ſecunda pars aſſerti.

Dixeram explicari conceptum entis per ordinem ad actualitatem, ſeu ad exiſtentiam; eadem ratione explicantur eſſentiæ rerum, tanquam per prædicatum notius, quod poſſibilitatem ſequitur, & nobis cognoſcibilius; propterea

22. *Eſt exiſtentia vltima actualitas eſſentiæ.*

Hoc eſt, exiſtentia eſt id, quod formaliter conſtituit eſſentiam in eſſe, eamquè reducit ab eſſe obiectiuo, & potentiali ad actuale, & phyſicum; dicitur autem *vltima* in ordine ad prædicata conſtituentia eſſentiam, vſq; ad exiſtentiam excluſiuè, prædicata enim creaturæ eſſentiam conſtituunt, ſecus Exiſtentia, licèt ſit prima in ordine ad cognoſci, cum eſſentias rerum non cognoſcamus, niſi aliquando actu exiſtant; *actualitas*, quia eſſentia exiſtens eſt eſſentia in actu, & in eſſe phyſico, cum priùs in ſolo obiectiuo, & potentiali eſſet.

23 *Exiſtentia nullo modo realiter diſtinguitur ab Eſſentia creata.*

Senſus eſt, quòd dicta actualitas non eſt prædicatum, vel entitas phyſicè modaliter, aut abſolutè diſtincta ab entitate eſſentiæ creatæ, ſed quòd dum creatura ſit exiſtens terminat actionem productiuam entitas eſſentiæ, quæ prius nihil erat actu.

Ratio autem concl. relucet primò in 19, quia diſtinctio actualis, & realis quæcumquè illa ſit eſt inter extrema actualia, & realia, eſſentiæ verò nihil actuale ſunt antè exiſtentiam: ſecundò in eo, quòd te fortè mouet ad diſtinguenda hæc duo, nempè quia eſſentia modò eſt actu, modò non eſt actu, ergo cum actu eſt, eſt per formam diſtinctam, hoc enim idem vrget in eſſentia exiſtentiæ; & ſi hanc facis exiſtentem per ſe ipſam, cur non illam? Tertiò in re exiſtente, vel das duplicem entitatem ſcilicet eſſentiæ, & exiſtentiæ, vel non; ſi hoc, ergo non diſtinguuntur vt vis; ſi illud, ergo eſſentia eſt actu per aliud quàm per exiſtentiam; nequè enim actu diſtingui poteſt, quin actu ſit, at hoc per quod eſt actu iam non poteſt eſſe quid diſtinctum, ergo &c. Quartò, per hoc formaliter res debet exiſtere, per quod formaliter ponitur extra cauſas, verùm per hoc ponitur extra cauſas, per quod tollit negationem ſui, quod eſt propria entitas, & non quid à re diſtinctum, nam non tollitur negatio corporis in loco formaliter per vbicationem, & ſimilia, ſed tollitur negatio per ſuum contradictorium: & præterea per id res eſt actu, per quod contradiſtinguitur actu, & formaliter à ſuis cauſis, quod eſt propria entitas; Inſuper, per id res eſt actu, per quod diſtinguitur à ſua potentialitate, at certè non per aliud à ſe, quia aliud non eſt hoc, ergo &c., mai. habes ex eſſe potentiali, & actuali: Quintò, actio productiua non extrahit à cauſa ſolam exiſtentiam, alioquin remaneret

formaliter eſſentia in cauſa, ergo eſſentiæ entitatem attingit, ergo fit actu entitas eſſentiæ, ergo ſuperflua exiſtentia: Deniquè res per id fit actu, per quod formaliter conſtituitur in ratione entis actu, at non per aliquod diſtinctum, ergo &c., mai. eſt certa, min. oſtendo, per id res eſt ens, per quod eſt hæc, vna, & non alia, talis autem eſt per ſe ipſam, vt habes in 14., ergo &c.

24 *Hinc, deduc proportionaliter Impoſſibile eſſe ea prædicata, quæ ſi ponerentur in re fundarent contradictoria, ſeu ex quibus ſequeretur eſſe, & non eſſe rei.*

Patet ex 18. Poſſibile enim, & Impoſſibile inter ſe opponuntur, oppoſitorum verò eædem ſunt diſciplinæ, & exinde eſt, quòd obiectum verificatiuum propoſitionis cuiuſcumquè de Impoſſibili ſint prædicata poſitiua entis poſſibilis conſiderata in ſe, ſecundùm quòd hæc ſunt, & non alia, atque adeo in ſe ita idemtificata, vt cum alijs idemtificari repugnet, licèt negatiuè explicentur, vel potiùs implicentur per obſcuriſſimos terminos negatiuos, ac proinde eſſentia Impoſſibilis eſſentia non eſt, ſed eſt eſſentia poſſibilis, terminis abuſiuis confuſa, & indirectè ſignificata.

25 *Deduc etiam vnitatem, bonitatem, veritatem, & cognoſcibilitatem Impoſſibilis non aliam eſſe ab ea, quam habet Poſſibile indirectè, & abuſiuè expoſitam.*

Nihil in ſe eſt Impoſſibile, & contradictio prædicatorum Impoſſibilium eſt ſola entitas cuiuſuis rei in ſe, & per ſe formaliter vna, id eſt hæc, & non alia, vt vides in 14., nullum ergo erit Impoſſibile in ſe cognoſcibile niſi vt Impoſſibile; & quia ſe habet res ad eſſe, & ad cognoſci proportionaliter, ſicut nulla eſt Eſſentia Impoſſibilis præter eſſentiam Poſſibilis, ita cognoſcibilitas nulla erit præter cognoſcibilitatem poſſibilis indirectè propoſitam; quod enim nec in ſe eſt quid, nec eſſe

poteſt,

poteſt, non poteſt cognoſci niſi per id, quòd non eſt, ſeu non poteſt cognoſci niſi in alio, vt vides in negationibus, itaquè cum Impoſſibile ſit negatio Poſſibilis, cognoſci non poterit, niſi cognoſcendo eſſe poſitiuum Poſſibilis, ac proinde nullum obiectum Impoſſibile poteſt attingere in ſe Intellectus.

26 *Sequitur hinc nullum dari ens Impoſſibile à Poſſibili contradiſtinctum, quod habeat tantùm eſſe obiectiuè in intellectu, ſeu non poſſe Intellectum quemcumquè facere entia, quæ dicunt Rationis.*

Dixi ſequi hanc ex præced. concl., quia irrefragabile puto Intellectum, quiuis ille ſit, huiuſmodi entia confingere non poſſe, quin res concipiat aliter, quàm ſint in ſe, alioquin ſtatim, ac res concipit ſicut in ſe ſunt, iam rei cognoſcibilitati conformatur, atque adeo non fingit, ſi igitur nullum impoſſibile cognoſcere in ſe queat intellectus, cum in ſe non ſit, nec eſſe poſſit, Impoſſibile numquam cognoſcetur Poſſibile, & ſi poſſibile cognoſcatur, iam non hoc, ſed aliud cognoſcitur.

Vniuerſaliùs tamen ad hoc aſſertum moueor primò, quia fingere nequit intellectus entia talia, quin vel diuidat indiuiſa, vel vniat diuiſa, quæ aut contradictoriè ſe habeant, aut diſparatè ſaltem (ſi enim contraria ſint, iam ſimpliciter non repugnabunt) ita tamen, quòd talis indiuiſio, vel diuiſio ſit illis eſſentialis, quia ſi contingens, iam tolli non erit impoſſibile, ergo non erit obiectum Intellectui tantùm poſſibile. Hæc ergo diuiſa, quæ vnit, vel vnita, quæ diuidit, aut cognoſcit intellectus cum ſua diuiſione, vel indiuiſione, aut non; ſi hoc, ergo ea non cognoſcit intellectus, quorum eſſentia eſt, quòd ſint hæc, & indiuiſa, vel diuiſa, ergo aliud obiectum habet intellectus ab hoc, quod fortè non repugnat, ergo quod non ſit obiectum poſſibile tantùm intellectui; ſi illud, ergo cognoſcens v. g. animal rationale in Petro

cum

cum eſſentiali indiuiſione, vel Hircum, & Ceruum in Hircoceruo cum eſſentiali diuiſione, aut etiam formam, & priuationem cum oppoſitione contradictoria, cognoſcet ſinè eſſentiali indiuiſione animal rationale in Petro, ſinè diuiſione Hircum, & Ceruum &c. quod vel inexcogitabile eſt, cum ſtatim rei eſſentiam tollat; quam cognoſcens non tollit; Quòd ſi non cognoſcat, iam non habet hoc obiectum, quod eſt hoc, & tale eſſentialiter.

Secundò certum eſt non poſſe ſimul vera, & ſimul falſa duo contradictoria; certum eſt etiam obiectum formale aſſenſus eſſe verum, & diſſenſus eſſe falſum; certum prætereà intellectum eſſe potentiam neceſſariā, quæ obiecto verò non poteſt non præbere aſſenſum; & falſo diſſenſum; ac proinde aſſentire, & diſſentire non poſſe ſimul duobus contradictorijs, non ſecus, ac illa eſſe ſimul vera, vel falſa eſſe non poſſunt, cum aſſentiri obiecto ſit indicare illud eſſe verum; diſſentiri eſſe falſum, aut formaliter in iudicio expreſſo, v. g. *Priuatio eſt forma*, vel virtualiter in iudicio virtuali, ſeu in apprehenſione compoſita putà *Forma priuatio*; ergo non poterit intellectus aſſentire obiecto, quod indicat eſſe falſum, vel diſſentire obiecto, quod verum cenſet, multò minùs aſſentire ſimul, & diſſentire, quod apertè faceret, ſi huiuſmodi entia confingeret; oſtendo hoc vltimum in hoc obiecto *Priuatio eſt forma*, intellectus cognoſcens formam, ſcit eam per propriam entitatem contradiſtinctam formaliter à priuatione, atqui non eſſe eſſentialiter negationem ſui in ſubiecto apto, vt ex 14. ſup. & 38. inf.; concipiens verò formam, & priuationem identificari, iam conciperet formam eſſe id, quod non eſt, & cognoſcit non eſſe; ergo ſimul præberet aſſenſum duobus contradictorijs, vel diſſenſum ijſdem; immò aſſenſum, & diſſenſum ſimul; cum quidquid verificatur

de

de forma in ordine ad priuationem in data hypotheſi; verificetur de priuatione in ordine ad formam.

Tertiò certum eſt, quòd quæuis cognitio eſt formalis expreſſio obiecti, ergo nō poteſt repræſentare obiectum eſſe, quod non eſt, alioquin non eſt ſimilitudo illius, ſed alterius obiecti, ergo nulla cognitio poteſt ex vna parte repreſentare v.g. Hircū cū vnitate propria eſſentiali data concl. 14., & cum idemtitate cum Ceruo danda inf. concl. 34., alioquin dat Hircum eſſe Hircum, & non eſſe, eſſe Hircum, & eſſe Ceruum ſimul, quod repugnat cum actu repræſentante formaliter obiectum, & ſi velis cognoſci ſinè tali vnitate, iam non habet Hircoceruum, ſed aliud obiectum fortè non repugnans: Sicut igitur Impoſſibile reale eſt, cuius prædicata, ſi ponantur inuoluunt contradictionem in re, ita Impoſſibile obiectiuum erit, cuius prædicata, ſi concipiantur, inuoluunt eſſe, & non eſſe rei in intellectu; Itaquè cum nullum ſit obiectum Impoſſibile, ſeu ex his, quæ appelles Entia Rationis, quod cōtradictionem non afferat in intellectu, ſequitur euidenter, quòd nullum ſit obiectum Impoſſibile intellectui tantùm poſſibile; & ſemper verum eſt, quòd obiectum quodlibet cognitum aliter, ac eſt in ſe, iam non eſt tale obiectum cognitum, ſed aliud ab ipſo, ex quo oriuntur cognitiones opinatiuæ, & falſæ.

27 *Infero ex his primò Primam Operationem humanæ mentis non facere Entia Rationis.*

Habet enim Prima Operatio ſuam veritatem, & falſitatem formalem ſaltem incōplexam 67. Logica oſtenſam; & habet, quòd ſit formalis expreſſio obiecti, ergo quòd verè repræſentet obiectum, cuius eſt ſimilitudo, ergo quòd non poſſit repræſentare aliter, ac ſit in ſe. & propterea in ſimplicium Apprehenſione non poteſt ſtare fictio, quæ diuiſionem, vel compoſitionem importat; in Apprehenſione verò cōplexorum vrgent præcedentia.

28 *Infero*

28 *Infero ſecundò, nec huiuſmodi obiecta habere ſecundam Operationem.*

Præſertim enim conuincitur rationibus nuper adductis, cum compoſitio, & diuiſio quælibet mentalis ſtet in Iudicio, ſiuè fiat per aſſenſum falſum, cum dico ex.gr. *Hircocerũs eſt poſſibilis*, ſiuè diſſenſum verum, cum dico *Hircocerũs implicat*; ſemper enim ex parte obiecti habeo eſſentiam Hirci, & Cerui cum propria vnitate eſſentiali dicente indiuiſionem in ſe, & diuiſionem ab omni alio formaliter per propriam entitatem poſitiuã, quæ eſſentia indirectè ſignificatur, & confunditur terminis ſæpè obiecto carentibus, vt innui 24. concl.

29 *Infero tertiò, nequè obiecta fictitia habere tertiam Operationem.*

Pro quo ſuperioribus fundamentis addo, quod euidens exiſtimo apud omnes, ſcilicet diſcurſum fundari in Iudicio, & apprehenſione, quales ergo ſunt illæ, talis diſcurſus: Item, Intellectum neceſſitari ex præmiſſis ad Cõcluſionem, & ab aſſenſu, vel diſſenſũ præmiſſarum ad aſſenſum, vel diſſenſum Concluſionis, quod oſtendi in 86. Logica, ergo tantùm abeſt, quòd concluſionem contradictoriam, vel diſparatam inferre poſſit, quin potius neceſſitetur ad oppoſitum, & ad diſſentiendum obiecto Chimærico, quod tibi videtur; multò magis igitur repugnat Intellectum per diſcurſum tendere in Entia ficta, quàm Iudicium, & Apprehenſionem, quia præterquam quod duobus contradictorijs aſſenſum, vel diſſenſum præberet, alterum contradicentium ab altero ex vi illius inferret, quod planè Chimæricum, & imperceptibile eſt.

30 *Infero quartò, multò minùs intellectum Angelicum, & Diuinum Apicem.*

Infero inquam, & quidem à fortiori, quia ſi repugnat intellectui ſimpliciter, & maximè humano diſcurrenti

ſæpè

ſæpè per ſpecies abſtractas, & dependenter à ſenſibus, cæcutienti etiam ſæpè in meridie, multo magis Angelo, & Deo ſingula intuitiuè cognoſcenti; nequè enim ideò Intellectui Diuino repugnat fingere, quia vim habeat infinitè cognoſcitiuam, ſed quia intuitiuè cognoſcit, ergo paritate rationis repugnabit Angelico, quod quia non habet homo, fallitur ſæpiſſimè in ſuis cognitionibus, & iudicia erronea, atquè opinatiua fert de obiectis, non tamen Chimærica, nullus quippe inſulſus adeo, qui velit ſe rem aliter cognoſcere, ac facere, quàm faciat, cognoſcat, & ſciat ſe facere, & cognoſcere non poſſe; & ſi ignoret, iam errat, ſed non fingit.

Confirm. tandem, quia Summa Veritas eſt Deus, ergo ſumma conformitas ſuæ cognitionis cum obiecto; Nequè Entia Rationis vllatenus cognoſcere poteſt, quàm ab intellecto creato conficta, quæ porrò cum nulla ſint, vel eſſe poſſint, iam Diuinæ Menti tribui indecens eſt, quocumquè Iudicio fieri dicantur, maximè verò iudicio falſo, quia non mentitur, nec fallitur Deus; nequè verò etiam iudicio vero, quia obiectum iudicij veri de ente Impoſſibili nullum eſt præter entia realia dicta concl. 241.

31 *Infero tandem, nequè Voluntatem, nequè Potentias cæteras cognoſcitiuas tum externas, tum internas facere Ens Volitum, vel Senſatum proportionatum Enti Rationis.*

De Voluntate res eſt facilis, quia non fertur in incognitum, nihilquè volitum, quin præcognitum, nequè obiecta ad ſe trahit Voluntas, vt ea ad placitum ſibi effingat, ſed ab obiectis trahitur, ergo quale proponitur obiectum, ipſa operatur, vt fuſius habes in 296. Phyſ., ergo obiecta componere, vel diuidere non eſt opus Voluntatis: Fertur prætereà Voluntas in obiectum ſub ratione boni, vel realis, vel apparentis, ergo bonitatem propo-

propoſitam præſupponit, quem modum operandi naturaliter ſemper ſeruat; ergo vim non habet componendi, vel diuidendi obiecta, vt faciat Ens Volitum fictum.

De Sensibus Externis oſtendo, quia obiectum ſenſibile, quodcumquè illud ſit, non habet tantùm eſſe obiectiuè in ſenſu, ſed tale à ſenſu præſupponitur, vt ab illius ſpeciebus ſaltem moueri poſſit, ergo eſſe obiecti, quod eſt in ſenſu, eſt dependenter à ſpecie, vel ab alia qualitate reali, adeoq; non eſt impoſſibile factum poſſibile: Immò nullum ens Impoſſibile tale eſt, quod poſſit habere eſſe tantùm obiectiuè in Senſu, cum nihil ſit Impoſſibile niſi in ordine ad materiam neceſſariam, aſt nullum obiectum eſt ſenſibile ſecundùm eſſentiam, ſeu nullus ſenſus percipit eſſentias rerum, ergo &c.

De Internis patet, quia licèt ſenſus internus aliquando ſpecies diuerſas componat, vel diuidat, vt maximè accidit in Inſaniente, Ebrio, vel Somniante, tamen non habet compoſitionem, vel diuiſionem ſpeciei repræſentantis Impoſſibile, ſed vel quod rarò fit, vel numquam, abſolutè tamen non repugnat, quod ad Ens fictum, ſeu ad Ens Rationis Metaphyſicum requiritur, ſiquidem, ſi alioquin poſſibile eſt aliquando, iam non habet tantùm eſſe obiectiuè in Potentia.

32 *Non nego tamen Compoſitiones, Prædicationes, & Illationes Chimæricas, ſed dico eſſe purè Entia Linguæ.*

Audio ſiquidem frequenter reſonare Hyppocentauros, Hircocernos, Formapriuationes, & ſimilia; Audio inquam, & loquor paſſim, ſi Philoſophorum cætus adire velim, & Linguæ miniſterium, qualecumquè ſit, nō dedigner; ſcio verò nec à me percipi ſicut loquor, nec loqui ſicut percipio, quia mens expeditior in his maximè rebus, aut res percipit quales in ſe ſunt, aut quæ non cognoſcit, probabiliter diſcurrit, Linguamquè iubet;
huius

huius tamen inopia, vel iniuria fit ſæpè, quòd res aliter exprimatur, ac concipiatur. Nouum hoc non eſt, aut mirum, quia Æquiuocis crebrò, Figuratis, & Parabolicis vtitur verbis; Rerum Vnitatem in ſe poſitiuam, & poſitiuè conceptam, explicat negatiuè, & his non diſſimilia, quæ rem dant certiſſimam; concludo ideò, quòd tot Combinationes, Prædicationes, & Illationes Chimæricæ, quas damus, Linguæ incuria, & tenuitate fiant. Sic Mihi.

Titulus IV.

Diſtinctio, & Idemtitas Entis.

ENS, quodcumquè vnum eſt in ſe, & non aliud, dicit ergo in ſe Idemtitatem ſuorum prædicatorum, & diuiſionem eorum à prædicatis alterius, aliàs non eſſet Idem in ſe, ſed Idem cum alio, quod ideò aptiùs Diſtinctionem appellant.

33 *Eſt Diſtinctio vnius rei ab alia talis Prædicatorum eſſentialium diſcrepantia, quòd ſi hæc tolleretur, ſequerentur contradictoria, ſeu eſſe, & non eſſe rei.*

Diſtinctionem actualem, & realem præſertim conſidero, quæ verè Diſtinctio eſt, propterea dico eſſe *Talem prædicatorum eſſentialium &c.* ità ſiquidem quodlibet eſt hoc, & ab alio diſtinguitur per aliquod illi intrinſecum, & eſſentiale, quòd in eo eſſentiali inſit aliqua repugnantia cum eſſentiali alterius, ergo ita vt ſi tolli debeat diſcrepantia, dematur aliquod eſſentiale rei, ergo quòd ſequatur eſſe rei, & non eſſe rei.

34 *Idemtitas autem eſt talis prædicatorum eſſentialium mutua congruentia, vt hac dempta ſequatur eſſe, & non eſſe rei.*

Patet

Patet proportionaliter ex præced., nòn enim quælibet congruentia duorum Idemtitas eſt, ſed opus eſt, quòd ſit congruentia in eſſentialibus, quæ proinde talis erit, vt tolli non poſſit, quin corripiatur eſſentia rei, & hinc eſt; quòd in eo omnia dicantur Idem, in quo eſt eſſentialis congruentia, ſic Petrus, & Paulus in Humanitate, Homo, & Leo in Animalitate, ſingula in ratione Entis; Ideò etiam fit, quòd non opponantur contradictoriè quælibet Idemtitas, & quælibet Diſtinctio, alioquin Petrus v. g. Idem in ſe ipſo, à Paulo diſtinctus eſſet duo contradictoria ſimul, ergo Chimæra, opponuntur autem Idemtitas, & Diſtinctio eorumdem prædicatorum in eadem entitate, vel inter eadem duo.

35 *Species quas dant Diſtinctionis ſunt, Diſtinctio Realis, & Rationis*; Prior continet *Poſitiuam, Negatiuam, & Mixtam*; Poſitiua *Abſolutam, Modalem, & Mixtam*; Poſterior *Rationis Ratiocinantis*, quam expungit concl. 26., *Rationis Ratiocinatæ*, vel etiam *Formalem ex natura Rei, & Virtualem*, cæteræ ad has reducuntur.

Realis poſitiua expræſſa eſt in 33. *Negatiua*, quæ eſt inter duas Negationes, erit diſcrepantia prædicatorum eſſentialium Negationis; *Mixta*, quæ inter Negationem, & rem; *Abſoluta* inter duas ſubſtantias, aut accidentia abſoluta; *Modalis* inter duos Modos; *Mixta* inter rem, & Modum; *Ratione Ratiocinata* diſtinguuntur ab Intellectu aliqua realiter Indiſtincta, cum aliquo tamen fundamento; *Formalis ex natura rei*, quam dicunt eſſe inter formalitates obiecti antecedenter ad opus Mentis; *Virtualis* tandem, quæ eſt inter plures formalitates, quæ de facto non diſtinguuntur, ſed diſtinctionem agnoſcunt ab intellectu, cui aliquod in ſe exhibent fundamentum. *Realem., Formalem, & Virtualem* breuiter dabo, cæteras habes ex alibi dictis.

n. 36 *Diſtinctio realis poſitiua non conſiſtit formaliter in aliquo negatiuo rei, quæ diſtinguitur, ſuperaddito.*

Patet hæc Concl. ex 14. ſemper enim remanet, quòd res diſtincta ſit à tali negatiuo, ergo per aliud; Peto etiam cuius ſit hæc negatio, fortè Idemtitatis vnius cum alio, aſt tali Idemtitas eſt Impoſſibilis; & Impoſſibile eſt entitas poſſibilis indirectè propoſita, vt vides in 14; ergo &c.

37 *Nequè in aliquo poſitiuo Reali, aut Rationis Abſoluto, aut Reſpectiuo.*

De poſitiuo Rationis conſtat ex 26, quia æquè impoſſibile eſt Intellectui concipere non eſſe, quod eſt, ac eſſe, quod non eſt: De poſitiuo reali ex 13. ſiquidem hoc ipſum diſtingui neceſſe eſt; Præterea diſtinguitur Deus à Creatura ſinè poſitione alicuius poſitiui aduenientis; Tandem tot renouari debent entia diſtinguentia, quot producuntur entia diſtincta quotidiè; & ſæpè nihil ſuppetit, quod vrgeat; Immò certum eſt, & euidens, quòd prædicata cuiuslibet rei in ſe, & per ſe ſunt hæc, & non alia, ergo non per aliud diſtinctum.

38 *Conſiſtet igitur formaliter in idemtitate poſitiua rei, quæ dicitur diſtingui, explicabili tamen per negationem Idemtitatis cum alio.*

Sequitur primò ex præcedentibus; patet ſecundò ex 14; Tertiò prob. quia intelligi non poteſt res diſtincta per negationem, vel per aliud quodpiam, quin prius intelligatur in ſe, ſiquidè prius eſt res id quod eſt, quàm quòd non eſt, at ſtatim in priori intelligitur hæc, ergo non eſſe aliam; min. exhibeo, quia in priori intelligo rem eſſe vnam, ergo habere quidquid requirit vt ſit hæc, ergo etiam quidquid facit non eſſe aliam; Item, Petrum v.g. non eſſe lapidem, non eſt aliquod negatiuum, nequè aliquod poſitiuum diſtinctum, ergo eſſe poſitiuum Petri; do ant. quia Petrus non eſt diſtinctus à lapide per

Digitized by Google

id, quod non eſt, ſed per id, quod eſt, at Petrus non eſt negatio, aut aliud à ſe diſtinctum, ergo &c. Inſuper id, per quod res diſtinguitur eſt id, per quod res differt, at hoc eſt differentia poſitiua, ergo &c., ſed diſtinctiuum eſt conſtitutiuum, ergo per id differet, per quod conſtituetur, ergo per proprium eſſe poſitiuum. Demum antequam Manus v. g. ſit calida diſtinguitur à calore, vel per negationem caloris, vel per aliquod poſitiuum remouens calorem, ſi fiat calida; perit negatio, & illud poſitiuum perſeuerāte diſtinctione manus à calore, ergo quia per aliud diſtinguitur realiter manus à calore, ergo per ſe ipſam; & Metaphyſicè loquendo, duæ naturæ eidem ſuppoſito vnitæ, negationem, & quoduis aliud poſitiuum deperdunt, & adhuc diſtinguuntur, ergo per ſe ipſas formaliter.

39 *Reperitur diſtinctio realis de facto inter producens, & productum; inter diſſita loco, vel tempore; inter terminos diuerſarum productionum, vel corruptionum; & tandem inter ea, quorum vnum poteſt remanere pereunte altero, vel è contra.*

Hæc enim ſunt primaria indicia Diſtinctionis realis; & quidem primū; quia Producens petit eſſe, vt agat, productum non eſſe, vt fiat; ſecundum, quia quæ diſtant tempore, vel loco idem eſſe non habent, neque eandem entitatem; Tertium, quia magis ſemper non ſunt idem ea, quorum hoc fit per vnā actionem, alterum per aliam; actio ſiquidem eſt tendentia in eſſe rei; Quartum tandem, & potiſſimum, ſi vnum ſit, aliud non, quis dubitat.n. quin exiſtens nō ſit, quod corrumpitur, neque hoc, quod exiſtit; ſiuè ſint mutuò ſeparabilia, ſiuè non? & hæc omnem Identitatem excludit in tali ratione.

Ex hijs autem, quæ realiter identificata, aliqualiter tamen ab intellectu diſtinguuntur, ſaltem ſecundùm conceptum magis, vel minus vniuerſalis, perfectioris,

vel imperfectioris, ſunt Prædicata Intrinſeca cuiuslibet rei, quarum nulla ſimplex adeo eſt, quin plura habeat prædicata intrinſeca, quæ prædicata dicuntur *Gradus Metaphyſici*: Hæc reſpicit Diſtinctio quæcumque, quæ realis abſolutè non eſt, ſiuè dicatur ineſſe independenter ab Intellectu, qualem volunt eſſe Diſtinctionem Formalem ex natura rei, ſiuè penitus dependenter ab Intellectu, qualem appellant Diſtinctionem Rationis Ratiocinantis, ſiuè dependenter ab intellectu ſupponente aliquod fundamentum in obiecto, qualis eſt Diſtinctio Virtualis.

Non datur diſtinctio Formalis ex natura rei.

Improbatur primò hæc diſtinctio, quia quæuis diſtinguibilitas rei, aut eſt in re in ordine ad realitatem, aut in ordine ad intellectum, ergo etiam quæuis diſtinctio, aut realis eſt, aut per Intellectum; conſeq. vera eſt, quia diſtinctio diſtinguibilitatem ſequitur, prob. ant. omnis diſtinguibilitas, aut eſt in re vt res exiſtens ſit hæc, & non alia, aut etiam quia exiſtens, vel merè poſſibilis ſit conceptibilis ſecundùm diuerſa prædicata, virtutes, & formalitates; primum euidenter infert diſtinguibilitatem in ordine ad eſſe reale, ſecundum ad eſſe conceptibile, ſeu rationis, natura enim rei, vel eſt in ordine ad eſſe, vel ad cognoſci, ergo &c. Secundò, duæ formalitates ex natura rei diſtinctæ ſunt duæ entitates, ergo duæ realitates, ergo erit diſtinctio realis; ad ant. duæ formalitates dictæ sūt duo prędicata explicabilia vtrimquè per non eſſe idem cum alio, non ſecus, ac materia v. g. & forma eiuſdem compoſiti, verùm, hoc ipſum eſt eſſe duas realitates, ergo & diſtinctio realis. Tertiò, formalitates inferiores non poſſunt diſtingui ex natura rei à ſuperioribus, ergo nec ſuperiores ab his, v. g. homo ab animali, prob. ant. quia formaliter, & ex natura rei formalitas inferior v. g. humanitas eſt formalitas ne-

nior nempe animal, quod verò eſt formaliter, & ex natura ſua idem, non eſt formaliter diuerſum; prob. etiam conſeq., quia formalitates ſuperiores ſunt ex natura rei formaliter in inferioribus, & illæ ipſæ, ergo ex natura rei ſunt indiſtinctæ.

Quartò, quæ ſunt realiter idem, ſunt ex natura rei idem; natura enim, & realitas ſunt diuerſa nomina, idem ſignificatum; Quintò, animalitas v.g. Petri vel ex natura ſua eſt indifferens ad identificari cum Petreitate, vel aliquam ad hoc habet exigentiam; ſi hoc, ergo ex natura rei eſt idem cum Petreitate, prob. quia exigentia eſt ipſum eſſe in eſſentijs rerum, ergo non diſtinguitur ex natura rei; ſi illud, ergo poteſt etiam identificari cum hinnibilitate Bucephali, quia verò in eſſentijs eſſe, & poſſe ex natura rei ſunt idem, de facto eſt idem; quod falſum eſt; Sextò, nulla apparet neceſſitas ſic res diſtinguendi alioquin à parte rei actu indiſtinctas, ergo &c. Deniquè, alijs miſſis, formalitates ex natura rei diſtinctæ ſunt diuerſa prædicata conceptibilia in obiecto; ergo non ſunt formalizatæ niſi per actum intellectus, ergo antecedenter non actu diſtinctæ; quapropter, cum ad hæc ſufficiat diſtinctio virtualis, quam mox dabo, hæc reijcienda.

41. *Datur Diſtinctio Virtualis tum intrinſeca, tum extrinſeca.*

Talis videlicet, quæ fiat quidem ab intellectu, cum aliquo fundamento in obiecto, quod aliquã diuerſitatem, vel conuenientiam exhibeat in ſuis prædicatis, qua ductus intellectus vnum concipiat non concepto alio; quæ Diſtinctio propterea dicitur Fundamentalis, Potentialis, ſeu Inchoata; *Intrinſeca* quidem, ſi aliquam exhibeat diuerſitatem in obiectum in ipſis prædicatis conceptibile in à priori; *extrinſeca*, ſi comparabile ſit diuerſa connotata, effectus, operationes &c.

Quatuor enim ex capitibus indigitatur fundamentum huius Diſtinctionis; primò, ſi entitas obiecti in ſe simplex, diſtinguibilis tamen, & multiplicabilis ab intellectu, quia eas perfectiones, quas idemtificatas realiter continet illa, diſperſas realiter, & diuiſas inueniat in alijs; Secundò, ſi diuerſos præſtare poſſit effectus in ordine ad quos ab intellectu cōcipi poteſt vt multiplex virtus cauſatiua, licèt in ſe realiter ſimplex; Tertiò, ſi entitas realiter vna, diuerſos terminos extrinſecos reſpiciat; Quartò tandem, ſi vni ſimilis, alteri diſſimilis ſit eadem entitas, intellectum enim ducit, vt eam concipiat in quantùm vnum terminum reſpicit; & vni eſt ſimilis non alioquin; & ſi de vna obiecti virtualitate agat mens, ità quòd de alia nec cogitet *Diſtinctionē virtualem præciſiuam* habet, ſi verò aliam cognoſcat, ſed reijciat, *Negatiuam*. In his igitur certum eſt Intellectum non fingere ſibi diſtinguibilitatem obiecti, quia ſimplicat concipere diſtinguibilia, quæ indiſtinguibilia cognoſcit ex 26, certum etiam, quòd hæc quattuor fundamenta inueniat ex parte obiecti, ergo quòd in obiecto detur fundamentum ad diſtingui modo dicto, quod eſt dari diſtinctionem virtualem; ſed ad praxim philoſophicam:

42 ***Datur de facto Diſtinctio Virtualis inter Gradus Metaphyſicos etiam creaturæ, ſaltem quoad prædicata intentionalia.***

Dixi quoad *prædicata intentionalia*, quia limitatum eſſe creaturæ fortè aliter philoſophari docet, quàm eſſe illimitatum Diuinum, de quo Theologus.

Mihi certiſſima eſt, & euidens hæc aſſertio primò, quia aliquo modo debere diſtingui hos Gradus vniuerſa nonuincit Metaphyſica; at non realiter ex 33, non formaliter ex natura rei ex 40, non Ratione Ratiocinatæ ex 26, ergo virtualiter; Prætereà quoque modo diſtin-

gui dicas, aliquod ſemper fundamentum aſſignas ex parte obiecti; & hoc eſt, quod dico dari diſtinctionem fundamentalem. Secundò, quia inuenio v. g. in Petro, quòd non tantam habet Identitatem animalitas cum rationalitate, quantam habet animalitas in ſe ipſa, ergo magis diſtinguibilis eſt animalitas à rationalitate, quàm animalitas in ſe, hoc ipſum dico Diſtinctionem virtualem; ant. autem patet, quia plures dicit perfectiones principium ſentiendi, & principium diſcurrendi, quàm illud ſolum; & fortiùs, ſi compares Petrus v. g. cum Leone, plus perfectionis habet Petrus, quàm Leo, ergo in Petro eſt hoc plus perfectionis, in quo excedit Leonem, & hoc in quo Leonem coæquat, ergo fundamentum eſt in Petro, vt diſtinguam id, in quo conuenit, ab eo, in quo diſcrepat: Etiam, Idem eſt penitus cum alio, quod eadem penitus habet prædicata, ita vt ſi fieri debeat Petrus v. g. lapis, debeat ſe ipſum omnimodè exuere, & prædicata lapidis induere, alioquin Petrus non fiet lapis, ſed tertium quid, Petruslapis, ergo ſi etiam ex parte obiecti debet eſſe omnino idem in Petro animal, & Rationale, animal debet eadem penitus prædicata habere, quæ Rationale, & è contra, ergo nihil magis eſſe animal, quàm eſſe rationale, ſed euidens eſt, quòd plus eſt Petrus quà rationalis, quàm quà animal, ergo quia in Petro aliquod eſt ex parte rationalis, quod non eſt ex parte animalis, ergo fundamentaliter diſtinguitur animal à rationali.

Tandem, hanc non potes non concedere in Diuinis; ergo magis in creatis, ſi aliud non obſtet; ant. audiui à Theologo Profeſſore, aliundè enim nequis prædicata aliàs contradictoria, quæ circumferuntur explicare.

Conſeq. efficaciter do; Vbi maior compoſitio, & minor ſimplicitas, ibi diſtinguibilitas maior; ergo maior cum ſit compoſitio, minorquè ſimplicitas creaturæ, maior

ſit diſtinguibilitas opus eſt, aſt non realis, vel formalis dicta, hæc ergo.

Neque vror, quia dicar difficultatem ex Theologis maximam transferre; pijſſimos ſiquidem viros ſuſpicio, ſed falli cenſeo, quippequi à Philoſophicis ad Theologica viam ſterno, & quæ lucem præferant præmitto; præterquamquod vrgere videretur in ordine ad prædicata realia, non intentionalia, quod aliundè fortaſſis oritur.

43 *Dantur etiam de facto in Creatis Præciſiones Obiectiuæ.*

Hoc eſt dàtur tales actus Intellectuales, qui obiectum in ſe realiter indiuiſum, intentionaliter diuidant in plura prædicata, ſeu etiam in plures formalitates, alteram repræſentando, alteram non, & ſint veluti conceptus inadæquati obiecti.

Benè infertur ex præced. virtualiter enim diſtinguuntur prædicata obiecti, ergo præſcindi poterit vnum ab alio, & vnum ſinè altero concipi; Vrgeo tamen, quia certum eſt apud omnes intellectum aliquo modo abſtrahere, & præſcindere vnam rationem ab alia, v. g. genus à differentijs, ergo ſi ſingula, quæ ſunt in obiecto conciperet, iam non præſcinderet, ſed vtrumque cognoſceret, & ad ſummum verificaretur, quòd idem cognoſceret clarè, & obſcurè; Immò videns à longè moueri corpus, cognoſco quidem eſſe animal v. g., nequaquam verò eſſe Leonem, vel Equum, ergo quia verè cognoſco animalitatem, non cognoſco differentiam, ergo quia præſcindo obiectiuè, in quo ſolo ſtare poteſt cognitio inadæquata obiecti, illud ant. oſtendo primò, quia motiuum ducens in principij cognitionem eſt ſolus motus, ergo principium cognitum eſt ſolum principium ſentiendi, & tantùm abeſt, quòd rugibile, vel hinnibile cognoſcam, quin ſæpè cogitem eſſe vnum, & eſt aliud;

ſecundo, quia cognitio eſt imago obiecti, ergo non poteſt repræſentare niſi obiectum cuius imago eſt, non ſecus, ac ſi imaginem arboris videas, quæ non magis accedat ad Quercum, quàm ad Vlmum, ita quod implicante hoc, vel illo mobili, hac vel illa arbore, nec talis cognitio, nec talis pictura implicaret, cum igitur nullam habeam ſpeciem rugibilitatis, vel hinnibilitatis in obiecto dato, actus erit cognitio ſolius animalitatis, ergo &c. Tertio, dum concipio animal, aliquod ſanè concipio, quod non, dum concipio rationale in ſe, ergo quia vnum ab alio præſcindo obiectiuè.

Inſuper dum animal v. g. cognoſco in mobili à longè viſo, vel præſcindo verè illud à differentijs, vel cum illis omnibus concipio; primum, eſt quod volo; ſecundum implicat, & oſtendo, quia ex parte animalitatis nihil eſt, quod poſſit ducere mentem in cognitionem omnium differentiarum, non eſt autem maior ratio de vna, quàm de alia; immò ſtando in caſu, quo videam mobile à longè, dicis quod non præſcindo, quia realiter ſunt idem principium, quod motum elicit animal v. g. & hinnibile, ergo non poteſt intellectus concipere animal cum omnibus differentijs, quia hæ realiter non idemtificantur animali; Dein, quæ, & quot aſſiduè monſtra fert Affrica, quorum differentias, nec imaginari mens poterat? & quomodo vel obſcurè haberi poterant in cognitione animalis? Præterea certum eſt cognoſci ſæpiſſimè inadæquatè obiectum, & nihil eſt, quod conuincat tunc non fieri præciſionem obiectiuam, ergo &c.

Deniquè periret forma ſyllogiſtica, ſiquidem vel fierent ſemper prædicationes idemticæ, vel ſaltem Chimæricæ; oſtendo primum in hoc ſyllogiſmo *omne viſibile eſt animal: omne rationale eſt viſibile, ergo omne rationale eſt animal*, quia ſi riſibile eſt formaliter

idem

idem cum animali, ex parte prædicati in maiori venit ipſum riſibile ſignatum per animal; oſtendo ſecundum, quia in eodem ſyllogiſmo ex parte prædicati ſignificarem omnia indiuidua, vel omnes differentias confusè ſaltem cognitas, eaſquè prædicarem de riſibili per animal in maiori, & in concluſione ſimiliter, ac ſi dicerem riſibile eſt principium ſentiendi cum omnibus differentijs ſpecificis, & indiuidualibus; & quis non videat Chimæricas, & idemticas prædicationes, quas patitur, & parit Præciſio confuſa? vel etiam ſi dicas prædicari ſolam animalitatem contractam à rationali, iam præſcindis animalitatem ab alijs differentijs etiam obiectiuè.

Titulus V.

Vniuerſale, & Singulare.

Singularia ſunt quæquè exiſtunt, Vniuerſalia ſæpè, quæ præſcinduntur, cognitio enim intellectiua non ſolam indiuiduationem, ſed etiam prædicata communiora meditatur; Qua propter Præciſione Obiectiua ſtatuta ad prædicata vniuerſalia rei procedo.

44 *Eſt Vniuerſale vnum aptum ineſſe multis, & de illis prædicari.*

Vnum vniuocè, non æquiuocè, *aptum ineſſe*, quia debet eſſe natura aliqua, & prædicatum eſſentiale multis, quia natura vni ſoli indiuiduo participabilis communis, & vniuerſalis non erit; *& de illis pluribus dici* non quomodocunquè, ſed in recto tamquam pars eſſentiæ, vel ſaltem proprietas eſſentialis; hæc vltima particula prædicabilitatem Logicam reſpicit; de qua ibi Titulo VI. cæteræ vniuerſalitatem in eſſendo, ſeu Metaphyſi-

phyſicam; vndè Vniuerſale Metaphyſicum dices *Vnum aptum ineſſe multis*, aptum quidem, quia ſiuè exiſtat, ſiuè non exiſtat in pluribus, parum refert, dumodo aptum natum ſit ineſſe multis, quòd dedi concluſione 45. ſuprà.

Tria ergo requirit natura vniuerſalis; Primò, quòd aliquo modo ſit vna, ex deffectu cuius aceruus lapidum non eſt quid vniuerſale, quia de ſuis inferioribus dici non poteſt ſaltem in recto; Secundò, quòd ſit apta pluribus ineſſe, propter quod natura Angeli Thomiſtici non poterit fieri vniuerſalis; Tertiò, quòd natura vniuerſalis ità pluribus inſit, quòd in illis ſit multiplicata, non eadem communicata; ex quo natura Diuina non poteſt fieri vniuerſalis, quia licèt tribus perſonis communis, vna tamen eſt, & indiuiſa realiter, non multiplicata in illis; & hinc eſt, quòd quò magis contrahibilis eſt, & pluribus differentijs communicabilis natura, eò magis vniuerſalis ſit; ita v. g. natura ſubſtantialis magis contrahibilis ſit, quàm natura vitalis, vitalis quàm ſenſitiua, hæc quàm rationalis &c. vnitas proptereà imperfecta erit vnitas Vniuerſalis, ſecum enim patietur aliquam partibilitatem.

45 *Natura, quæ dicitur vniuerſalis non datur à parte rei extra indiuidua.*

Reijcitur enim ex eo, quòd ſi talis natura eſt realiter, aut in ſuis inferioribus putà in indiuiduis ineſt, vel non; ſi non, ergo ea non conſtituit, nihil enim magis intrinſecum rei debet eſſe, quàm id, per quod conſtituitur; ſi ſic, ergo ab eis ſeparata non eſt, neque enim eadem poteſt eſſe in pluribus realiter diuiſis, & diuerſis qualia ſunt indiuidua; Præterea hæc natura antequam ſit in indiuiduis eſt realiter ab illis diuiſa, ergo non poteſt cum illis realiter identificari, nam quæ ſemel ſunt realiter diuerſa, non poſſunt aliquandò eſſe idem, &

quæ

quæ idem ſint nūquam realiter diuerſa; Tertiò nullum conſtitutiuum intrinſecum poteſt eſſe realiter diuerſum à conſtituto, alioquin idem eſſet, & aliud; nullum efficiens reale poteſt eſſe idem realiter cum effectu, non ergo poterit natura vniuerſalis eſſe effectrix indiuidui, ſi cum illo identificetur, neque illud conſtituere, ſi ab eo realiter diſtinguatur, Inſuper cum producitur, vel corrumpitur indiuiduum, vel gignitur ipſa, & corrumpitur, vel non; ſi hoc, ergo nec gignitur, nec corrumpitur indiuiduum; quia nihil magis dat, tollituè rem quàm natura rei; ſi illud, ergo talis natura non eſt realiter extra indiuidua; Deniquè ea natura eſt quid reale vt vis, ergo quid determinatum, ergo ſingularis; prob. primam conſeq. nam ea natura eſt entitas indiuiduorū, ergo non poteſt eſſe indifferens; vt ſit natura huius, vel alterius, alioquin natura non eſt, & entitas rei, ſed accidens, ergo determinata entitas huius, ergo hæc, ergo ſingularis.

46 *Neque præcedit natura aliquo modo ſecundùm ſe realiter indiuidua, indifferens vt fiat, vel non fiat ſingularis.*

Coincidit enim primò cum præcedenti, quamuis diuerſis explicetur terminis, ſiquidem naturam vniuerſalem realiter extra indiuidua conſtituit, & ſi hanc indifferentiam dicas non eſſe realem, iam ad rem non eſt, ſi verò realem velis eſſe, ergo eam retinere debet in ſingulari, eſt enim prædicatum reale realiter idemtificatū cum natura, at ſic eſt, quòd non retinet, aliquando namquè ſingularizatur, igitur nulla eſt ea indifferentia; Immò ſi realis eſt, ergo aliquādo debet poſſe eſſe à parte rei ſecundùm quod eſt in ſe, vt vides etiam in alijs rebus ſaltem in ordine ad potentiam obedientialem; quòd ſi non poteſt, ergo realis non eſt, vel ſi poteſt, ergo iam das præcedens reiectum, ſed quia nulla natura poſſibilis

eſt quidquam actuale extra Deum ex 19, nullum etiam habet ſtatum ſecundùm ſe, in quò aptitudinem aliquam, & vnitatem actualem habeat extra ſingularia.

47 *Neque natura vniuerſalis eſt vna vnitate ſecundùm ſe formaliter ex natura rei diſtincta ab vnitatibus numericis.*

Conſtat primò ex 40, vbi oſtendi vniuerſaliter repugnare hanc diſtinctionem Formalem; ſecundò ex eo, quòd eſſet eſſentialiter vna, & eſſentialiter non vna, ſeu multiplex ea natura, quo nihil abſurdius, cum eſſe vnum dicat eſſentialiter prædicatum idemtitatis in ſe, eſſe verò multiplex plura prædicata eſſentialia poſitiua diuidentia; doſeq. vna eſſet, quia talem vis eſſe ex natura ſua, multiplex, quia realiter, & eſſentialiter idemtificata eſt cum rationibus indiuiduantibus, quæ enim realiter cum eſſentia rei idemtificantur, ſunt realiter ipſa eſſentia rei; Magis, natura v. g. quæ eſt in Petro, vel habet eſſentialem diuiſionem à natura, quæ eſt in Paulo, vel non; ſi hoc, ergo accidentaliter ſolùm differt, ergo quo ad eſſentiam eſt eadem, & ex oppoſito Petreitas v. g. erit accidens naturæ humanæ, & cum differentia indiuidualis idemtificetur realiter cum natura, natura erit idem cum ſuo accidente; Si illud, ergò vna & multiplex eſſentialiter; Tertiò natura, quæ eſt idemtificata cum Petreitate, poterat-ne idemtificari realiter cum Pauleitate? ſi aſſeras, ergo Petrus poterat realiter eſſe Paulus, natura enim Petri eſt ipſe Petrus; & inſto, quæ ſemel realiter ſunt idem, nec diuinitùs realiter poſſunt eſſe diuerſa; ergo multò minùs idemtificari cum ſuo oppoſito; Si neges, ergo natura, quæ eſt in Petro de ſe aliquid importat per quod ſit ſolùm idemtificabilis cum Petreitate, ergo ex natura ſua non eſt vna cum natura Pauli, quæ ob eandem rationem formaliter ex ſe habebit aliquid, per quod petat nō idemtificari cū Petreitate,

48 *Nec etiam natura vniuerſalis vnitatem aliquam negatiuam habet, quatenus antequam intelligatur contracta à differentijs; de ſe nec ſit identifica cum Paulo, nec à Paulo diuiſa.*

Primo minimum differt à præcedentibus niſi in dando vnitatem negatiuam, dumodo aliquam det vnitatem actualem naturæ antequam ſit in indiuiduis; Secundò, ſi ſemel velis naturam eſſe vnam actu antecedenter ad rationes indiuiduantes, concedere cogeris eſſe vnam poſitiuè ex 24. Tertiò, natura identificata realiter cum differentia indiuiduali, eſt diſtincta, & diuiſa ab alia differentia, & ab alia natura per poſitiuam entitatem propriam, vt ex 38, ergo etiam ſecundùm ſe erit diſtincta, & diuiſa per proprium eſſe poſitiuum, prob. hanc conſeq. quia non eſt maior ratio de vna, quàm de alia; & quia quæ ſunt realiter vnum, eius ſunt conditionis, quòd quidquid vni realiter competit, competat alteri; Quartò, natura vna ſuo modo eſt natura non ſingularis, ſed antecedenter ad actum præſcindentem, qualiſcũque illa ſit, nulla natura eſt actu non ſingularis, quidquid enim eſt actu, eſt hoc, & ſingulare, ergo &c.

49 *Neque tandem conſiſtit natura vniuerſalis in ſolis vocibus vniuerſaliter ſignificantibus, & conceptibus plura repræſentantibus.*

Certum eſt namque, quòd prædicata, quæ de homine affirmantur v. g. eſſe animal, eſſe rationale &c, non ſunt meræ voces, ſed aliquid important ex parte obiecti, & ſignificant aliquid commune, in quo verè homo conuenit cum Brutis, nemine enim adhuc loquente, vel etiam cogitante verè homo eſt animal, & per eſſe principium ſentiendi conuenit cum Leone, Equo &c., & dum de his philoſophor, ago de aliquo præter meras voces.

50 *Sed habet natura vniuerſalis antecedenter ad quemlibet intellectus actum vnitatem, & apti- dinem*

fundamentalem, ſeu natura vniuerſalis non præcedit opus intellectus niſi fundamentaliter.

Remanet probata primò ex 5. præcedentibus, ſi enim nullam habet ſecundùm ſe vnitatem actualem, ſupereſt, quòd ſaltem Fundamentalem habeat; Secundò ex 2, quia fundamentaliter diſtinguuntur Gradus Metaphyſici, & ex 26, quia intellectus non niſi aliquo ductus fundamento poteſt rerum eſſentias diſtinguere, vel præſcindere, alioquin in obiecta etiam ſibi impoſſibilia, vt probatum eſt, incideret; porrò hoc fundamentum dicit vnitatem fundamentalem.

Arguo præterea, quia datur de facto aliqua vnitas minor vnitate numerica, ergo fundamentalis; prob. ant. quia vnitas de ſe dicit rem indiuiſam in ſe, & diuiſam à quolibet alio, at certè quælibet res creata poteſt eſſe indiuiſa in ſe, & diuiſa à quolibet alio, & ſpecie, & genere, ergò & vna; porrò hæc vnitas non eſt actualis, quia nihil eſt actu in ſolo genere, vel in ſola ſpecie, ergo erit fundamentalis; prob. verò ant. min. quia v. g. Petrus habet, quòd ſummè diuiſus ſit à Paulo, illique incommunicabilis, & habet etiam, quòd ſit non ſummè diuiſus, & aliqualiter communicabilis Paulo, primum habet per vnitatem numericam, vt concedes tu quoquè, ſecundum per vnitatem fundamentalem, & prob. Petrus per hoc quòd ſit homo non eſt ſummè diſſitus à Paulo, per hoc quòd ſit animal, nõ eſt ſummè diſſitus ab Equo, & à Paulo, ergo habet aliquam idemtitatem, ex qua non ſequitur eſſe, & non eſſe Petri, ſicut ſequeretur ex idemtitate indiuiduali independenter à quouis actu intellectus, ſed talis idemtitas non eſt actualis, ergo fundamentalis, ergo etiam in quolibet indiuiduo eſt actu aliqua ratio, & aliquod prędicatum genericum, per quod cum alijs conuenit, differentiale, per quod ab aliquibus differt & magis differentiale, per quod ab omnibus

alijs

alijs differt, quæ ſingula aliquam vnitatem important, ſiquidem rem indiuiſam ab aliquibus, & ab alijs diuiſam, vel aliqualiter, vel omnimodè reddit; priora, vnitas generica, vel ſpecifica, quam fundamentalem dico, hoc vltimum, vnitas numerica, quam actualem dicimus, vel formalem, præbet; eas verò vnitates cernis diſcurrens per ſingula prædicata generica, ſpecifica, & indiuidualia, licèt inter ſe realiter idemtificata; formalem itaquè vnitatem recognoſcet natura vniuerſalis ab intellectu præſcindente fundamentali dicta ductus vnitate.

51 *Vnitas tamen formalis naturæ vniuerſalis non habetur, nec haberi poteſt per actum confuſum, ſiuè copulatiuus ſit, ſiuè disiunctiuus, ſiuè collectiuus, vel alius quiſquè, ſeu non poteſt haberi per præciſionem formalem.*

Actus formaliter præciſiuus quoquò nomine circumferatur, repræſentat ſemper naturam cum differentijs diuiſiuis realiter, & formaliter ex parte obiecti idemtificatam, etiamſi obſcurè differentias attingat, ergo nunquam dabit naturam vnam actu, vel enim in tali actu elucent omnes differentiæ à natura formaliter indiſtinctæ, licèt confuſè cognitæ, & iam dat naturam formaliter multiplicatam, licèt confuſè repræſentatam, ſiquidem dat naturam formaliter indiſtinctam à rationibus formaliter diuiſiuis, ergo formaliter diuiſam; vel nullatenus eas differentias attingit, & iam non eſt actus præciſiuus confuſus; ſed fortiùs ſi ſingulos actus perpendas;

Siquidem actus copulatiuus non ſolùm non repræſentat differentias indiſtinctè, ſed potiùs diſtinguit, copulat enim hanc, & hanc, & ſemper verum eſt, quod omnes aliquo modo naturæ idemticas repræſentat, ergo naturam formaliter diuiſam per hanc, & hanc differen[illegible]m,

quam

quamuis confuſè cognitam; Vrgeo verò, aut hic actus repræſentat differentias eo modo, quo ſunt à parte rei, vel non; ſi hoc, ergo non concipitur modus diſtinguens, qui eſt à parte rei, ergò non eſt actus repræſentans omnia confuſè; ſi illud, ergò non repræſentat naturam vnam, ſemper enim aliquam pluralitatem attingit, quin immò actus copulatiuus eſſentialiter dicit plura, ergo nunquã dabit naturam vnam; aut etiam, actus iſte vnitatem poſitiuam non dat naturæ, quia hæc dicit entitatem poſitiuam rei, quam vnam non habet natura quantumuis concipiatur cum differentijs confuſè; neque vnitatem negatiuam; quia hoc ad minus dicit naturam non ſingularem, aſt quomodo fiet natura non ſingularis per actum, per quem concipitur cum ſingularibus confuſè ſaltem?

Actus verò diſiunctiuus ſemper repræſentat naturam ſecundùm quòd multiplex eſt actu, & formaliter; dicit enim naturam connexam vel cum hac, vel cum altera differentia, diuidit ergo naturam, ergo non facit vnam; diuiſio enim eſt inter plura, & non ſecus, ac actus copulatiuus pluralitatem ſemper attingit; ergo &c.

Actus tandem collectiuus eiuſdem penitus eſt conditionis, plura etenim formaliter ſemper colligét, ergo naturam cum pluribus formaliter collectis repræſentabit, ergo numquam naturam vnam; vnitas namquè naturæ formaliter excludit pluralitatem differentiarum diuidentium ſub ea ratione; & hoc ex re ipſo conuinco, dum rogo per quem actum facias Vniuerſale, reſpondes per actum copulatiuum, ergo iam ſcis eſſe actum vnitiuum plurium, ergo eſſe repræſentatiuum plurium.

52 *Vnitas ergo naturæ Vniuerſalis habebitur per actum obiectiuè præciſiuum.*

ertur ex impugnatione preced., quia inutilis planè, & impoſ-

& impoſſibilis eſt actu confuſus; patet ex 43, quia hic actu datur, & ſufficientiſſimus eſt; prob. etiam, quia vt natura fiat Vniuerſalis ſufficit, ſi concipiantur eius prædicata eſſentialia præciſa à differentijs, neque opus eſt quòd cognoſcatur cum negatione illarum, quod oſtendi concl. 14., ex quo fit poſtea, quòd natura concepta ſecundùm ſe, cognoſcatur non contracta, ſeu nullam includens differentiam contrahentem, ergo quòd cognoſcatur vna in ſe, & apta eſſe in alijs, ſed per hunc actum talis cognoſcitur natura, ergo &c. prob. hanc min. per talem actum concipitur natura ſecundùm prædicata, quę in ſe non ſunt rationes diuidentes, ergo quæ ſunt indiſtincta, ergo quæ faciunt naturam vnam; ſimiliter dum cognoſcitur ſecundùm ſua prædicata, cognoſcitur non contracta, & non repugnans contrahi, talia enim ſunt eius prædicata in ſe, ergo apta contrahi, ergo Vniuerſalis; Confirm. quia tota diſtinctio actualis, & incommunicabilitas poſitiua erit à differentijs, ſi igitur ſinè illis concipiatur à tali actu, iam concipitur indiſtincta, & communicabilis, ergo vna in ſe, & apta in multis.

53 *Et hinc eſt, quòd neque ſit neceſſarius actus comparatiuus ad hoc, vt natura fiat Vniuerſalis.*

Ratio eſt, quia ſufficit, ſi natura concipiatur ſecundùm ſua prædicata poſitiua, ſecundùm quæ vna eſt, indiuiſa in ſe, & diuiſa ab omni alio ſuo modo, & ſecundùm quæ non eſt formaliter poſitiuè incommunicabilis, talis enim eſt per prædicata differentiæ, ſed eſt poſitiuè communicabilis, ergo non eſt neceſſarius actus comparatiuus.

54 *Indiuiduum ex his, & ſingulare deffiniri poterit entitas habens differentiam intrinſecam numericam alteri incommunicabilem.*

Quatenus *entitas* eſt, conuenit cum genere, & ſpecie, per *differentiam intrinſecam*, differt à genere, ...

nenit cum ſpecie, *numericam incommunicabilem* differt à ſpecie, cuius differentia communicabilis alteri remanet; dicit ideo Indiuiduatio, & Singularitas omnem incommunicabilitatem cum alio.

55 *Principium Indiuiduationis Metaphyſicum non eſt forma ſpecifica.*

Ratio eſt primò, quia tale principium eſt quod dat entitatem rei, at ſola forma non dat rei entitatem; Secundò, quæritur principium Metaphyſicum; Tertiò, forma ipſa indiuidua eſt, ergo à quo? Quartò tandem quot ſunt, quæ indiuidua ſunt Metaphyſicè, nec formam habent, videlicet omnes ſubſtantiæ ſpirituales, cæli in aliorum opinione, & omnia corpora ſimplicia poſſibilia, quæ non repugnare habet concl. 137. phyſ.

56 *Neque eſt materia ſignata per quantitatem, aut aliud ſimile accidens.*

Primò, quia Indiuiduum quodlibet ſubſtantiæ, vt tale formaliter eſt Indiuiduum, ergo non poteſt indiuiduari per accidens quodcumquè illud ſit, ſiuè quouis titulo circumferatur, ant. clarum eſt, quia ſubſtantia omnis exiſtens non eſt ſubſtantia generica, vel ſpecifica, ſed eſt hæc, & hæc ſubſtantia, & ſi accidentibus omnibus diuinitus ſaltem denudaretur, adhuc indiuidua eſſet, & hæc, ergo &c. Secundò hæc ipſa indiuiduari eſſentialiter debent, nec habes quidquam, quod ſuadeat eſſe rationes formaliter indiuiduantes cætera, & gratis penitus loqueris; Tertiò, quot ſunt, quæ nullum penitus dicunt ordinem ad materiam, & indiuidua ſunt? & ſi neges, non minus gratuita eſt hæc negatio, quàm ſit aſſerere materiam dictam cætera indiuiduare.

57 *Principium igitur indiuiduans Metaphyſicum nihil reale ſupperaddit entitati rei, ſed eſt ipſa qualibet entitas poſitiua rei dicens incommunicabilitatem cum alio per differentiam numericam.*

Patet,

Patet, quia nihil aptius aſſignabile, quia ſic explicata ſummè congruit cum deſſinitione Indiuidui; quia per id formaliter res indiuidua eſt, per quod terminus eſt Generationis, videlicet per quod fit, & exiſtere poteſt, ergo per propriam entitatem poſitiuam; quia non per materiam, vel formam, vel per quid ſimile, ſed per ſolam entitatem poſitiuam res eſt formaliter incommunicabilis alteri, ergo Indiuidua; quia quælibet res eſt etiam incommunicabilis omni accidenti, ergo indiuidua independenter ab omni ſigno, vel ſignato per accidentia; immò & forma eſt incommunicabilis materiæ, vt membro inferiori, ergo quia indiuiduatio ſit prædicatum eſſentiale, & realiter idemtificatum cum eſſentia rei, realiter ab illa inſeparabile, ad ſummum virtualiter diſtinctum à natura rei, ergo eſt entitas propria cuiuslibet rei.

Titulus Vltimus.

Diuiſio Entis.

Reducitur ampliſſima Entis latitudo ad decem capita, quæ in Log. Tit. V. recenſui, an nè benè, an malè puto ſatis deciſum, cum de ſinguli ferè actum ſit in Naturali Philoſophia; & quæ ſuperfuere mox ſubdam.

Diuiditur Ens in *Creatum*, *& Increatum*, de quo aliqua Tit. VII. Phyſ.; in *Subſtantiam*, *& Accidens*, de quo hìc; in *Abſolutum*, *& Reſpectiuum*, de quo item; cætera iam.

58 *Dici poteſt ſubſtantia ens per ſe intentum à natura, dans eſſentialem rei conceptum, vel tanquam Totum, vel tanquam Pars, vel tanquam Complementum.*

Ens per ſe hoc eſt in ſe exiſtens, & ſubſiſtens, non in alio; vel etiam *per ſe intentum à natura*, ideſt propter ſe, & in ordine ad ſe, non in ordine ad aliud; *dans eſſentialem rei conceptum*, quia ſcilicet rem eſſentialiter conſtituat, & quod rei eſſentiam non det, ſubſtantia non ſit, ſed accidens rei; *vel tamquam Totum*, ſi ſimplex eſt; *vel tanquam Pars*, ſi compoſita ſit res; *vel tanquam Complementum*, quod ſubſiſtentiam indicat. Per eſſe *Ens* communis eſt Accidenti, quia in ente conuenit vniuocè ex 10; in cæteris ab Accidente diſcrepat, quod proinde,

59 *Dici poteſt Ens extra eſſentialem rei conceptum.* Ex quo elucet, quòd adeſſe poſſit, & abeſſe à ſubſtantia rei abſquè illius læſione; & omnia, quæ alteri adhærent, abſoluta ſint, ſiuè reſpectiua, ſiuè modalia, comprehendit; ab actuali etiam, vel aptitudinali inhærentia in ſubiecto præſcindit; Patet, quomodo dicatur Entis ens, ens in alio, ens propter aliud, cuius eſſe eſt ineſſe, & ſimilia.

60 *Euidens phyſicè eſt dari Ens Subſtantiale, & Accidentale.*

Patet primò ex deffinitione vtriuſquè; Secundò, quia certum eſt, & euidens dari ſubiectum aliquod in ſe alia recipiens, ipſum verò non receptum in alio, quod Materiam Primam dicimus in 13. Phyſ.; euidens etiam dari aliquod Principium operatiuum, & conſtitutiuum, quod in ſe eſt, & non per aliud à ſe diſtinctum, quod Formam dicimus in 22. Phyſ.; certiſſimum tandem eſſe aliquod Primum omnium Principium, & Originẽ, à nullo originem ducentem, quam Phyſici dicimus Cauſam Primam concl. 56. Metaphyſici Primum Ens, Theologi Deum dicimus, & adoramus: Alia prætereà agnoſcimus Entium genera, quæ ſubſtantias nominamus, euidens ergo d[illegible] ns ſubſtantiale.

Ex

Ex his verò tot, quæ emergunt in ordine ad operari, & pati, vel vt inſtrumenta, vel vt proprietates, vel vt diſpoſitiones, cum nulla Creatura, ſeu nullum Ens dependens ſit ſibi ſuum operari, ſunt Subſtantiæ Accidentia, ſeu Entia non eſſentialia, ac proinde tot Entium accidentalium ſpecies, quot in dies cernimus, quæ extra rei eſſentiam, rei inſeruiunt: Colores præter eà, lumen, & qualitates actiuas, ac reſiſtitiuas, quas experimur continuè, & ſcimus euidenter dari, dicimus Entia Accidentalia, ergo &c.

Sicut tamen de Eſſentia Accidentis ſaltem abſoluti non eſt actuale inhærere, ſed ad ſummum aptitudinaliter, vel exigitiuè, ità de Eſſentia Subſtantiæ non eſt actuale ſubſiſtere ſaltem completè; illud ſiquidem habes in Sacram. Euchariſt., hoc in Incarn. Myſt.; Ità etiam ſicut actuale inhærere Accidentis dicimus *Inhærentiam*, actuale & completum ſubſiſtere Subſtantiæ *Subſiſtentiam*.

61 *Eſt Subſiſtentia vltimum Complementum ſubſiſtendi.*

Complementum, quia quantum eſt ex parte Naturæ in ſe ſubſiſtens eſt quoad eſſentiam, niſi tamen aliud intelligatur, hactenus non eſt vltimo completa, & perfecta; *Vltimum*, quia ipſo poſito nil prætereà deſideratur, vt natura rei ſubſtantialis ſit indiuidualiter, & ſubſtantialiter perfecta; non omnibus tamen eadem, quia in ſubſtantijs Irrationalibus *Suppoſitum, vel Subſiſtentia eſt*, in Rationalibus *Perſona, vel Perſonalitas*, iuxta quod ſolet dici Perſona *Rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia.*

62 *Subſiſtentia creata eſt aliquod ſubſtantiale realiter à Natura diſtinctum.*

Aliquod ſubſtantiale eſt, quia complementum ſubſiſtendi, Accidens enim dare non poteſt formaliter ſub-

ſiſtere, cum nec ſit, nec eſſe poſſit ratio ſubſiſtendi: *Poſitiuum*, quia nulla negatio complet, cum ſit non eſſe; & ſi qua eſſet, fortè negatio dependentiæ ab alio tanquam à ſuppoſito, verùm hæc fundari debet in poſitiuo eſſe naturæ, ita vt ab alio non dependeat, quia ſibi ſufficiens eſt, ergo quia ſupponat in natura poſitiuum aliquod, per quod ſibi ſit ſufficiens, quod poſitiuum dicimus ſubſiſtentiam, ergo &c. Accedit, quòd nomine ſuppoſiti, cum quo incommunicabilem dicis naturam per talem negationem, aut intelligis quid negatiuum, aut poſitiuum; ſi hoc, ergo das aliquando ſubſiſtentiam eſſe quid poſitiuum, cur non ergo ſemper? ſi illud, ergo natura quæuis ſubſiſtens erit per negationem negationis; Præterea ad ſummum hæc negatio eſſet Idemtitatis naturæ cum alio, aſt hæc eſt in ſolo termino explicante, ni velis repetam, quæ dixi in 14, in tantum enim reſultat negatio communicabilitatis alteri ſuppoſito, in quantum natura in ſe non exigit alteri communicari; porrò hoc nihil aliud eſt, quàm natura exigens communicari proprio, quod ſtat in entitate poſitiua naturæ, ergo &c.

Tandem *realiter à natura diſtinctum*, quod enim ſola ratione diſtinguitur, non eſt realiter ſeparabile; neque eſt vltimus terminus, vel vltimum complementum reale, alioquin idem eſſet terminus, & complementum reale ſui. Ex ſe etiam nulla natura creata dicit eſſentialiter eſſe completam in eſſe ſubſiſtendi, quamuis dicat in eſſe naturæ, ergo importat reale complementum à ſe diſtinctum, ergo quia ſubſiſtentia ſit vltimus terminus, & vltimum complementum ſubſiſtendi.

63 *Non eſt tamen entitas realiter abſolutè, ſed modaliter mixtè diſtincta.*

Modaliter mixtè dixi, iuxtà dicta concluſ. 35. probo vero aſſertum, quia per ſe ipſam formaliter ſubſiſtentia eſt

eſt vltimum complementum naturæ, eamquè determinat ad eſſe in ſe per hanc, & non aliam propriam, ad eſſe in ſe; & non in alio ſuppoſito, ergo ſi repetas 69, & 70. Phyſ. eſt modus naturæ; iterum, non magis eſt verum, quòd multiplicari non debent entitates ſimpliciter ſinè neceſſitate, quàm quòd multiplicari non debeant perfectiores, cum itaquè, & ſufficiat, & neceſſarijſſima ſit entitas ſubſtantialis modalis vt complementum naturæ ſubſiſtentis, dicenda eſt modus Subſiſtentia; tandem ſi res eſſet, ergo quæ meam naturam terminat, poſſet terminare alienam, ergo quæ dat mihi inmeitatem, formaliter poſſet dare Petro inſeitatem; immò ob eandem rationem, poſſet Petro dare inmeitatem, & mihi inſeitatem, & ſi mihi inmeitatem, & Petro inſeitatem dat, vel habet, quia talis eſt in ſe formaliter, & das eſſe modum, vel quia recipit ab alio, & concedis proceſſum in infinitum, vel mihi non contradicis, quia hoc ipſum dico ſubſiſtentiam, hoc amplector vt ſufficiens, cætera reijcio vt ſuperflua.

64 *Hinc eſt primò, quòd non poſſit ſubſiſtentia propria alienam naturam perſonalizare, nec plures alienæ tandem naturam.*

Sunt enim modi.

65 *Eſt ſecundò ſingula ſubſtantialia, quæ ſunt in compoſito propria partiali ſubſiſtentia debere ſubſiſtere, putà materiam, formam, & vnionem.*

Ratio eſt, quia ſubſiſtentia eſt modus, & complementum intrinſecum rei ſubſiſtentis, ergo intrinſecam proportionem exigit habere cum illa, actus cum actu, potentia cum potentia, nexus cum nexu.

66 *Eſt tertiò cauſam efficientem ſubſiſtentiæ eſſe ipſam naturam, quæ tanquàm cauſa principalis per naturalem emanationem eam ſibi producit.*

Eſt enim illius terminus modalis; quòd autem produc-

ducat vt cauſa principalis probatum eſt concluſ. 208. Phyſ.

67 *Eſt deniquè effectus formalis ſubſiſtentiæ, videlicet reddere naturam alteri incommunicabilem vt ſuppoſito.*

Siquidem ità intrinſecè naturam complet, vt illi nihil deſit ad completè ſubſiſtendum, ergo quia incommunicabilem reddat modo dicto, ſi enim communicabilem relinquit, ergo capacem, capacitas autem in ordine ad completum eſſe intrinſecum in neceſſarijs eſt exigentia.

Quoad ſecundam diuiſionem Entis in Abſolutum, & Reſpectiuum, non multa ſuperſunt, ſiquidem nihil clariùs, quàm dari entia Abſoluta ſubſtantiæ ſint, vel accidentia, de his enim hactenus in Philoſophia Rationali, & Naturali, dari etiam Reſpectiua, quæ ſparſim tacta ſunt, ſed ſpecialiter;

68 *Dantur de facto entia reſpectiua;*

Patet in 69. Phyſ. vbi oſtendi entitates modales; euidens etiam eſt in alijs, multa enim ſunt, quæ nullo cogitāte Intellectu ad aliud referuntur putà Pater ad Filiū, ſimile ad ſimile, ſcientia ad ſcibile, Cauſa ad Effectum &c. nomine autem huius reſpicientiæ intelligimus Relationem realem.

69 *Adæquata diuiſio Entis Reſpectiui eſt in Prædicamentale, & Tranſcendentale.*

Relatiuum prædicamentale eſt, cui *eſſe idem eſt, ac ad aliquid, aliquo modo ſe habere*, hoc eſt cuius totum eſſe, eſt eſſe ad aliud, itaut nihil vltra præſtet in ſubiecto, quàm illud afficere in ordine ad aliud; Relatiuum Tranſcendentale, cuius *eſſe idem eſt, ac ad aliquid ſe habere, ſubiectumquè, quod afficit, conſtituit;* hoc eſt præterquam quod referat ad aliud, intrinſecè etiam conſtituit, ac proinde ſemper importat aliquod abſolu-

abſolutum. Relatiuum Prædicamentale dicitur illud, quia ſpeciale prædicamentum Relationis Tit. V. Log. relati conſtituit; hoc verò Tranſcendentale, quia per omnia prædicamenta tranſcendit.

Vndè Prædicamentale dicit quinquè, ***Subiectum***, & eſt illud abſolutum, quod relatione afficitur, & ad aliud ordinatur, ***Terminum***, & eſt id, in ordine ad quod afficitur, & ad quod ordinatur ſubiectum, ***Fundamentum***, & eſt ratio illa, cur ſubiectum reſpiciat terminum, ***Rationem fundandi***, & eſt ratio proxima fundans reſpicientiam ſubiecti ad terminum, tãdem ***Relationem ipſam***, & eſt forma afficiens ſubiectum, & ordinans ad terminum; quæ omnia, quia requirit actu ſuo modo exiſtentia vt verum prædicamentum conſtituat, præſertim ſubiectum, & terminum, propterea differt à Tranſcendentali, quæ ad terminum exiſtentem, licèt non ad impoſſibilem formaliter, eſſe poteſt;

70 ***Relatio prædicamentalis non eſt modus aliquis realiter à ſubiecto relato diſtinctus.***

Reijcio primò hanc entitatem modalem, quia abſolutè nulla penitus admittenda, vbi non vrget neceſſitas in oppoſitum, & æquè benè ſaluantur omnia, quæ occurrunt, nulla ergo cum ſit neceſſitas in oppoſitum, & optimè vnum ad aliud referatur ſinè modo diſtincto, vt mox dabo, reijciendus eſt hic modus; Secundò, vt vnum dem modum relationis, ſinè vlla prorſus neceſſitate innumeros penè, nè dicam infinitos teneor concedere, ſiquidem ad motum, vel leuiſſimum Atomi noua producitur vbicatio, quæ ſimilis eſt alijs innumeris, quæ de facto ſunt, & altera corrumpitur, quæ ſimilis item erat alijs, huic verò diſſimilis, ergo innumeri modi ſimilitudinis, & diſſimilitudinis reſultant, & corrumpuntur, quod ne dum improbabile, ſed impoſſibile penitùs cenſeo, cum maximè aſſignabile minimè ſit, quod,

dum hìc Placentiæ ſcribens calamum duco, tot modos producere, & corrumpi exigat Romæ, Pariſijs, Londini, in Indiam &c. Quàm quæſo, connexionem, exigentiam, neceſſitatem, vides in Natura, vt eam defatigari adeò velis in tot modis?

Immò tertiò, quia modi hi ſimilitudinis, & diſſimilitudinis adhuc ſimiles, & diſſimiles ſunt, ergo per alios modos, rurſus hi, ergo nedum das modos innumeros, ſed proceſſum in infinitum in illis concedis; nec facilè te expedies, quæ enim dices de his modis, dicam fortiùs ego de ſuis fundamentis; Quartò tandem, quia modum Relationis ſimilitudinis, vel æqualitatis non potes concedere inter duas quantitates v. g. diſcretas æquales, ergo nec inter continuas, conſeq. non negabis, quin aſſignes diſparitatem, quam non habes, ant. prob. ego in Binario v. g. ad Binarium, modus enim idem non poteſt ſubiectari in toto Binario, quia idem accidens non poteſt ſubiectari in duplici ſubiecto realiter diuiſo, neque in alterutra parte Binarij, quia ideò ponitur, vt referat quod eſt ſimile, & alterutra pars Binarij Binario nedum eſt ſimilis, ſed diſſimilis, ergo &c. reijce ergo hos modos.

71 *Neque conſiſtit adæquatè in ſolo fundamento, ſiuè connotatum, ſiuè formalitatem aliquam velis reſultare.*

Quidquid ſit hoc, quod de nouo ſuperaddis non poteſt eſſe quid nouum, quin ſit aliquod à fundamento realiter diuiſum; ergo quin ſit res, vel modus realiter à fundamento diuerſus; prob. ant., quia quidquid de nouo eſt, & non eſt à ſe, ergò eſt ab alio, ergo per actionem diſtinctam ex 57. & 71. Phyſ. ergo erit terminus realiter diſtinctus, ergo modus, vel res, vel nihil erit de nouo reſultans; non benè igitur vis eſſe quid reſultans ad poſitionem termini deſinens ad eius interitum,

tum, quod ſit idem realiter cum fundamento, ſi fundamentum perſeuerat, alioquin de nouo eſſet quia dicis, non eſſet quia fundamentum cum omnibus ſecum realiter idemtificatis erat anteà; immò idem dicere poſſem ego de Viſione, Nutritione, Intellectione, & alijs ſimilibus, quòd fierent ſcilicet per ſolam formalitatem de nouo &c.

72 *Sed erit realis denominatio partim intrinſeca, partim extrinſeca extremis relatis.*


Senſus eſt, quòd quia ponatur ratio fundandi, & terminus illius reſultet denominatio quædam ſubiecti habentis rationem talem fundandi hanc denominationem connexi, & relati cum termino, ablato verò alterutro deſtruatur talis denominatio realis extrinſeca, dicatur ſubiectum referri modò, modò non referri ad terminum; quia verò eadem denominatio in recto fundamentum connotet, dicatur intrinſeca ſecundùm hanc partem, quia verò in obliquo terminum importet, dicatur ſecundùm partem extrinſeca fundamento.

Ratio verò efficax eſt, quia his tribus poſitis, ſufficienter intelligitur vnum extremum ad aliud referri, ergo &c. prob. ant. quia poſitis duobus albis vt quattuor, & poſito v. g. Petro, & Paulo cum actuali generatione, vnum album habet formam, qualem habet aliud, & Petrus eſt formaliter Pater Pauli ſinè vllo ſuperaddito, eſt enim totum, quod formaliter dat vni albo habere formam talem, qualem habet aliud, & Petro totum, quod formaliter eum conſtituit in eſſe Patris, idem eſt in diſſimilibus ſinè vllo ſuperaddito, verè enim Album A habet talem Albedinem, qualem habet Album B Palmare B tantam quantitatem, quantam Palmare A, Petrus generat Paulum, ergo &c. Præterea per hæc habentur quæcumquè dicuntur de Relatiuis Prædicamentalibus, vt patebit conſideranti, videlicèt, quòd

ſint ſimul natura, quòd ad Relatiua non detur motus propriè dictus &c. Cætera verò, quæ ſuperaddas ſatis reiecta ſunt, ergo &c.

FINIS.

Si lutum abis, præpone tibi quæcumquè in Balneo fiunt, Irrorantes, Inquietos, Conuiciantes, Furantes, atquè ità rem tutiùs aggredieris. *Epict. Enchirid. cap. 7.*



Diſpu-

Google

DIſputabuntur publicè

Obiectis reſpondente D. Laurentio Frigio, & aſſiſtente P. D. Andrea Raynerio eodem qui ſuprà. Anno 1660. *Menſe Die Hora*

Digitized by Google

Digitized by Google

Imprimatur.

Fr. Caſimirus Inquiſit. Placentiæ.

Io. Bapt. Calix Vic. Gen.

Aianus Præſes Sereniſs. Cam.

PLACENTIÆ

In Camerali Typographia Ioannis Bazachij. Anno 1660.

Digitized by Google

Digitized by Google

Santin O.
Restauro
del Libro

DIC. [illegible]

Digitized by Google